PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TIMOTHEUS ZAPELENA S. I.

DE ECCLESIA CHRISTI

PARS APOLOGETICA

Editio sexta recognita et aucta

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

1955

PONTIFICIA UNIVERSITAS GREGORIANA

TIMOTHEUS ZAPELENA S. I.

DE ECCLESIA CHRISTI

PARS APOLOGETICA

Editio sexta recognita et aucta

ROMAE

APUD AEDES UNIVERSITATIS GREGORIANAE

1955

IMPRIMI POTEST

Romae, die 5 septembris 1955.

P. PETRUS M. ABELLÁN, S. I.
Rector Universitatis

IMPRIMATUR

Ex Vicariatu Urbis, die 15 octobris 1955.

† A. TRAGLIA
Archiep. Caesarien., Vic. Ger.

TYPIS PONTIFICIAE UNIVERSITATIS GREGORIANAE — ROMAE

INTRODUCTIO GENERALIS

IN THEOLOGIAM UNIVERSAM

Tria possunt utiliter tractari in hac introductione generali: prius est de *obiecto* theologico; alterum de *munere* theologico; tertium denique de *methodo* theologica. Pauca de singulis.

I

De obiecto theologico

Quid sit Theologia ipso iam vocis etymo aliquatenus manifestum redditur: vox quippe theologia sonat sermonem de Deo, doctrinam de Deo. Atqui duplex est fons unde nostra de Deo doctrina potest scaturiri: unus naturalis innixus rationi quae de effectis ad causam, de creaturis ad creatorem lente et laboriose ascendit; alter supernaturalis, revelatione fundatus, quae de coelo ad terram, de Deo ad hominem large et sollemniter descendit. Duplex ergo adest theologia: una naturalis, alia supernaturalis; una rationis, alia revelationis. At usus iam ubique receptus habet, ut theologia rationis suo proprio nomine appelletur *Theodicea,* nomenque *Theologiae* simpliciter reservetur ad alteram, quam theologiam revelationis nuncupavimus.

Est ergo Theologia doctrina de Deo ex revelatione procedens. Quam doctrinam si ad tramitem scientificum ordinari contingat, eo ipso obtinetur brevis et classica theologiae definitio: *scientia* videlicet *fidei* seu revelationis. Atqui in omni scentia iure distingui consuevit obiectum triplex: primo quidem obiectum *materiale,* seu materia universa, de qua in scientia agitur; deinde obiectum *formale quod,* qui est respectus ille particularis, qui in praefata materia consideratur (punto de vista, ángulo visual); demum

obiectum *formale quo,* cuius nomine venit *lumen* sub quo duplex prius obiectum attingitur, id quod multi dicunt: obiecti cognoscibilitas seu perceptibilitas. Videndum ergo qualiter haec tria scientiae sacrae seu theologiae possint applicari.

Obiectum materiale theologiae est Deus; Deus, inquam, consideratus in sua existentia, in sua essentia, in suis attributis, in suis personis, in suis arcanis consiliis, in suis mirandis operibus. Opera porro divina, que theologo amplam scientificae elaborationis materiam praebent, sunt: opus creationis, opus elevationis, opus permisi collapsus originalis, opus restaurationis; hinc opus Incarnationis, opus redemptionis, opus sanctificationis, opus glorificationis, opus finalis et definitivae consummationis (Eschatologia). Vides materiam theologicam esse inmensam, paene infinitam, quae tamen universa ad ordinem et unitatem redigitur consideratione obiecti formalis.

Obiectum formale quod theologiae, seu, quod in idem recidit, subiectum formale theologiae est *Deitas qua talis.* Haec est germana Doctoris communis doctrina, quae post varias pugnas et vicissitudines facta est primo quidem thomistica, deinde vero plus minus universalis, quaeque hodie fere una regnat in scholis catholicis. Quodsi quaeratur qualiter sit intelligenda particula reduplicativa deitatis qua talis, non una est omnium theologorum sententia atque interpretatio. Quum non liceat nec deceat hoc loco disputando vagari liberius, propono eam explicationem quam duco veriorem, quaeque ad scopum nostri propositi prae ceteris aptissima existit. Deitas qua talis, nihil est aliud quam deitas prout est obiective in se; deitas proin, prout subest cognitioni quam Deus ipse habet de se; hinc deitas, prout subest cognitioni quam nos possumus habere de Deo per revelationem: ideo praecise asseruimus theologiam esse scientificam de Deo doctrinam quae ex revelatione procedit. At notum est Deum revelationis esse Deum unum et trinum, ordinis supernaturalis principium et finem, Patrem, Filium et Spiritum Sanctum, unum viventem Deum, unum vitae divinae irradiatorem. Ergo formula deitatis qua talis demum resolvitur in formulam *vitae divinae et trinitariae.* Hic est

respectus formalis theologiae universae; haec est idea vere centralis et quasi axis circa quam materia theologica universa potest apte organizari et convenienter systematizari. Videamus paulisper, si placet, qualiter iste vitae divinae respectus sit implicatus in omni et singulo tractatu theologicò, qualiter consequenter scientia sacra universa possit sub eo lucide ordinari *sensu vere theocentrico.*

Vita divina potest spectari sive in suo fonte in quo perenniter evolvitur, sive in rivulis creaturarum rationalium ad quas, agente divina bonitate, iugiter descendit: noli turbari si *evolutionem* audis in divinis. Evolutionem intelligo non transitum ex potentia in actum, qui transitus in actu puro manifeste repugnat, sed illum divinae naturae dynamismum perennem atque irrequietum in quo nullum principium, nullus finis, nulla successio, sed vitae incommutabilis tota simul atque perfecta possessio. Vita porro divina in suo fonte trinitario evolvitur duplici quasi circulo concentrico seu via: via nempe intellectiva et affectiva. Est quippe Deus ens summe intellectivum. Intellectus divini obiectum princeps est essentia divina infinite dives, infinite vera. Deus seipsum cognoscens, producit limpidissimam suae essentiae imaginem vivam, substantiae divinae characterem, lumen de lumine, verum Deum de Deo vero. Activitas ergo divina, via intellectiva decurrens, terminatur in *generationem Verbi,* in originem viventis a vivente tamquam ex principio coniuncto in similitudinem naturae.

At Deus est quoque ens summe volitivum summeque affectivum. Divinae voluntatis obiectum princeps est bonitas divina infinite dives et amabilis. Deus ergo seipsum amat amore infinite perfecto. Sed amor praesupponit cognitionem; hinc Deus amatus est Deus cognitus. Atqui Deus cognitus est Deus subsistens in Patre et Filio. Amor ergo divinus est amor Patris in Filium, et amor Filii in Patrem. Pater ergo et Filius amore mutuo, spiratione unica spirant Spiritum Sanctum. Dynamismus ergo divinus ad intra decurrens terminatur in aeternam Verbi generationem, et aeternam pariter Spiritus Sancti spirationem. Hic sistit activitas divina ad intra. En *primum tractatum theologicum,* qui

solet vulgo nuncupari de Deo uno et trino, et est reapse tractatus de Deo Patre Filio et Spiritu Sancto, uno vivente Deo; tractatus ergo de *vita divina et fontali.*

Praeter activitatem ad intra adest in divinis activitas ad extra; virtus nempe tribus personis communis producendi creaturas extra divinitatem consistentes. Vi huius activitatis vita illa divina exorbitat spheram divinitatis et ad creaturas rationales mirabiliter redundat. De arcana ista vitae divinae redundantia et quasi irradiatione ratio humana proprio marte nihil posset non iam demonstrare, sed ne in suspicionem quidem vocare. Siquidem Deus habitat lumen inaccessibile, nec Patrem ullus novit nisi Filius; at unigenitus qui est sinu Patris ipse nobis enarravit. Enarravit profecto vitam propriam Filii e fonte paterno derivatam. Sicut Pater habet vitam in semetipso manentem, sic dedit Filio vitam in semetipso manentem Io. 5, 26. Enarravit quoque quod Filius accepit a Patre vitam nobis communicandam. Ego veni ut vitam habeant, et abundantius habeant (Io. 10, 10). Quibus harmonice consonant illa alia: Sicut misit me Pater, et ego vivo *propter Patrem,* sic qui manducat me, vivet *propter me* (Io. 6, 10). Enarravit tertio quod vitae nobis communicandae necessaria conditio erat carnis peccati, quam a nobis acceperat, cum praevia mortificatio cruenta, tum subsequens clarificatio gloriosa. Hinc est quod ad horam postremam accedens exclamat: Pater venit hora, clarifica Filium tuum, ut Filius tuus clarificet te... Clarifica me illa claritate quam habui prius quam mundus fieret apud te. Notetur motivum seu scopus petitae clarificationis: quoniam dedisti mihi omnem carnem, ut omne quod mihi dedisti, dem eis vitam aeternam ». Petit ergo carnis modo cruentandae resurrectionem, ut suscitatus e mortuis, factusque in spiritum vivificantem, possit vivificare omnem carnem, id est, omne genus humanum. Qualis sit haec vita sive in proximo stadio terrenae peregrinationis, sive in ultimo confinio definitivae glorificationis, egregie declarat a Christo eruditus discipulus praedilectus scribens: « Carissimi, nnuc filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus. Scimus quod, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est ». Videbimus, inquam, eum unum et trinum, et videntes

potabimur torrente voluptatis suae. En mysterium excelsum nostrae elevationis ad consortium vitae divinae, quod iucundam materiam suppeditat secundo tractatui theologico qui solet appelari: De Deo creante et elevante; qui reapse est tractatus de *vita divina nobis communicata*.

Via divinitus excogitata ad hanc mirabilem vitae divinae transmissionem non fuit via immediatae cuiusdam communicationis singulis, qua talibus, impertiendae,sed fuit via quaedam mediata, mediante nempe communi omnium protoparente, ex quo, veluti e fonte quodam, debebat ad singula humanae familiae universae membra derivare ope illius quod Patres et Doctores solent appellare carnalis *generationis sacramentum*. At simul cum potestate communicandi, fuit quoque apposita a munifico conditore lex transmisionis: obaedientia videlicet a primo Adamo nomine generis humani suo conditori et domino libere praestanda.

At hic recurrit duplex novum mysterium: ex una parte mysterium miseriae et perversitatis humanae; ex alia parte mysterium sapientiae et bonitatis divinae felicem culpam permittentis et ad bonum nobilius ordinantis. Enimvero Adam divino praecepto inobedivit, et per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, id est, omnes. Etenim per unum hominem intravit peccatum in hunc mundum, et per peccatum mors; et ideo mors transit in omnes... eo quod omnes peccaverunt. Ecce mysterium peccati originalis, quod abstrusam et subtilem speculationis materiam subministrat tertio tractatui theologico, qui audit: De peccato originali; qui reapse est tractatus de *vita divina extincta* in humanitate.

Post hanc catastrophen immanem in qua vita divina omnis deperdita in genere humano fuit, sequitur alterum divinae munificentiae opus, sapientiae simul et philantropiae mirabile mysterium. Verbum quippe caro factum est in almo sinu novae Evae; quo peracto mysterio, vita e coelis in terram iterum descendit, et renovandae naturae humanae rursus conseritur. Sic praeparatur novus Adam, sacerdos, propheta, rex. Qui, Regno Dei annuntiato, instituto et constituto, passione cruenta in calvaria

mortificabitur, resurrectione clarificabitur fictque in spiritum vivificantem, ascensione in coelum ingredietur in sanctuarium coeleste, inthronizabitur ad dexteram Dei, et in dignitatem capitalem evehetur. En quartum tractatum theologicum, de Verbo incarnato compellari solitum, qui reapse est tractatus de *vita divina coelitus restaurata* per historicum Verbi incarnati holocaustum.

Crucis sacrificio semel peracto, consummata est ea quae dici consuevit *redemptio obiectiva.* Enimvero vi solidaritatis divinitus institutae Christum inter et nos, mortuo Christo, nos omnes sumus cum Christo commortui et concrucifixi; unde Paulus ad Chorintios: « caritas Christi urget nos; aestimantes hoc, quoniam si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt ». At ista redemptio obiectiva non sufficit ad nostram actualem sanctificationem, quippe quae constat meritis Christi acquisitis et applicatis. Notum porro est hanc applicationem inaugurari in baptismo, quo Christo configuramur, Christi sacerdotium participamus, in Christum novum Adamum inserimur, Christo demum capiti incorporamur. Porro quicumque uni capiti incorporantur, concorporantur inter se. Sic efformatur corpus Christi mysticum, Spiritu Christi vivificatum et unificatum: unum corpus, et unus Spiritus, una fides, unum baptisma, unus Dominus. Ecce quintum tractatum theologicum; tractatus nempe dogmaticus de Ecclesia, gratiae et salutis ministra: tractatus de Deo plasmante corpus Christi mysticum, illudque organice per Spiritum vivificantetractatus de *vita divina administrata* in corpore Christi mystico et ecclesiastico.

Qualiter fiat sanctificatio in Ecclesia et per Ecclesiam norunt omnes; duplici scilicet modo: ex opere cooperantium, et ex opere operato. Primo quidem ex opere operantis; fide et obedientia praestita his quos Christus posuit in Ecclesia sacerdotes, magistros, rectores. Deinde vero et maxime fit nostra sanctificatio in Ecclesia ex opere operato, seu participatione rituum quorumdam externorum, quibus adest divinitus indita atque inserta vis significandi atque producendi gratiam ex opere operato. Notum est haec signa ritualia vocari Novae Legis sacramenta; quae sunt

totidem vehicula, quibus capitalis et vivificans Christi influxus in singula membra defertur. Dignus est observatione mirus ordo quo novae Legis sacramenta sunt divinitus disposita. Ubi primo loco recurrit Baptisma, quod est sacramentum regenerationis per quam, secti e corpore Adamico, in novam vitam christianam nascimur, cives Regni Dei constituimur, Christi eiusque corporis mystici membra efficimur. Accedit sacramentum confirmationis in quo milites Christi reddimur, sacro charactere consignamur, speciali robore firmamur ad publicam et intrepidam christiani nominis confesionem, ad praelianda bella Domini. Subsequitur excelsum Eucharistiae sacramentum, in quo ipsius Christi carne et sanguine vegetamur, cum nostro capite ceterisque mystici corporis membris arctissime copulamur; unde merito Paulus: Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes enim de uno pane participamus. Sed quoniam tantum gratiae thesaurum in vasculo infirmiori portamus, ecce sacramentum Paenitentiae in quo christianis in peccatum personale lapsis salutaris praebetur medicina. Neque id satis; siquidem Ecclesiae sacerdotes quum morte remanere prohibeantur, necessarium erat novum condere sacramentum; Ordinis, inquam, sacramentum per quod sacri Ecclesiae ministri ac liturgi crearentur ac multiplicarentur. Christiana quoque soboles debebat crescere, multiplicari et pro dignitate educari; et ecce matrimonium christianum, ubi contractus naturalis elevatur in dignitatem sacramentalem, et parentibus christianis suppeditatur mutuum vitae familiaris subsidium ac solatium, ipsius quoque concupiscentiae opportunum procuratur remedium. Ac postremo, divinae sapientiae simul ac misericordiae congruum erat, ut christianis in ultimo agone constitutis praesto esset pia mater Ecclesia per sacramentum extremae unctionis. Ubi, si non semper mortalis huius corporis sanitas impertitur, sauciatis tamen animis salutaris medicina praestatur. En sextum tractatum theologicum dictum de Sacramentis. Qui est tractatus de *vitae divinae sacris canalibus.*

Manifestum est in Scientia sacra, quae christianorum mysteriorum intimam naturam scrutari et explicare satagit, non posse deesse aliquem tractatum, cui munus competat analyzandi ac

dilucidandi vitae divinae singulis communicatae indolem ac naturam. Opportet videlicet definire in quo sit demum collocanda quidditas huius vitae: utrum sit aliquid ordinis pure moralis ac iuridici ,an ordinem physicum attingat. Quodsi hoc ultimum statuitur, oportet ulterius determinare quid sit ista realitas physica: utrum accidentalis, an substantialis; num creata, an increata: quaenam gratiae creatae ad increatam habitudo; quales sint gratiae sanctificantis et inhabitantis mirabiles effectus; quales vires operativae ex ea dimanantes; qualis gratiae actualis natura et dynamismus; qualiter Deus in animis hominum infallibiliter operetur salva humanae voluntatis libertate, etc.... Ecce septimum et octavum tractatum theologicum, qui titulum gerit: de gratia et virtutibus: qui reapse est tractatus de *vita divina singulis communicata — de activis vitae divinae principiis.*

Tota series tractatuum theologicorum habet suam coronidem, suumque naturalem epilogum in Eschatologia, qui est tractatus de Novissimis. Ubi demum agitur de *vita divina consummanda;* sive sui possessione ac fruitione definitiva, sive sui perditione ac privatione iam irreparabili et vere infelici. Definitivas hominum sortes praecedet sollemnis Filii hominis adventus seu parusia in virtute et maiestate.

Synthesis: Ex his omnibus quae breviter descripsi, palam, opinor, consequitur *vitae divinae respectum* implicari in omni et singulo tractatu theologico; nostramque theologiam catholicam nihil esse aliud quam preclaram quandam *Biologiam supernaturalem*, scientificum nempe vitae divinae et trinitariae studium ex divina revelatione procedens, vi et ratione humana ordinatum, sub ductu et vigilantia magisterii ecclesiastici. Enimvero in toto hoc studio agitur de explorando et explicando mysterio vitae divinae salientis in suo fonte trinitario, toti humanitati communicatae, grandi illo Adami peccato deperditae ac extinctae, novi Adami cruento sacrificio restauratae, in Mystico Christi corpore administrandae, per canales sacramentarios defluentis, analysi scientificae subiiciendae, in novissimis demum consummandae. *Conclusio* ultima est formulam thomisticam *deitatis qua talis* de-

mum resolvi ac clarificari nova formula *vitae intimae divinae.* Et haec sint dicta de obiecto theologico formali quod.

Obiectum formale quo theologiae remanet considerandum. Hoc nomine significatur lumen quo fit perceptibile seu attingibile totum obiectum materiale theologicum de quo in praecedentibus egimus. Mirum iure videri possit quantopere sit hac de re antiquitus litigatum. Fuerunt in schola praesertim thomista qui contenderent hoc obiectum formale quo esse reponendum in sola revelatione divina virtuali. Hodie vix reperietur boni nominis theologus qui huius opinionis iam obsoletae patrocinium assumere velit. Non vacat in has controversias ingredi; praestat veram doctrinam breviter statuere.

Triplex lumen concurrit ad illuminandum obiectum theologicum, illudque reddendum perspicibile: — lumen revelationis divinae — lumen rationis naturalis — lumen magisterii ecclesiastici. Praecedit lumen divinae revelationis sine quo omne opus theologicum est impossibile; est enim theologia, ut superius adumbravimus, doctrina de Deo rebusque divinis *ex revelatione* procedens: obiectum theologicum magnam partem constituitur mysteriis christianis, quae suapte natura obscura sunt, et quadam caligine impenetrabili conteguntur; ad haec obiecta aliquatenus cognoscenda una adest via, revelatio divina. — Accedit lumen rationis, sine quo opus vere theologicum fit rursus impossibile; est enim sacra teologia *scientia* fidei: elaboratio porro scientifica obiecti theologici tota quanta est opus rationis speculantis, explicantis, interpretantis, ordinantis, systematizantis. — Subsequitur lumen magisterii ecclesiastici, sine quo opus plene theologicum peragi non potest intra septa orthodoxa. Fide christiana credimus, et ratione apologetica demostramus Christum Dominum, dum in terris ageret, instituisse in sua Ecclesia sacrum magisterium authenticum, infallibile, perpetuo duraturum, cui concredidit integrum fidei depositum custodiendum, explicandum, tuendum. Theologia ergo catholica nequit praescindere ab hoc magisterio, multoque minus potest eidem contradicere; sed debet eius authenticas decisiones prae oculis iugiter habere, illasque

tamquam totidem normas positivas considerare ac revereri. Ceteroquin alibi exposuimus qualiter magisterium theologicum et ecclesiasticum possunt se mutuo adiuvare, et quodammodo compleri. *Conclusio* ultima est: Quaerenti quod sit, quale sit obiectum formale sub quo theologiae, oportet respondere: lumen theologicum integrale triplex est: lumen supernaturale Dei revelantis — lumen creatum rationis speculantis — lumen humano-divinum magisterii ecclesiastici vigilantis, dirigentis, sancientis. Ceterum in subsequentibus explicabitur clarius, uberius, signantius qualiter cocncurrat revelatio, qualiter ratio, qualiter demum magisterium Ecclesiae in genesi totoque progressu laboris theologici.

II

De Munere theologico

Munus theologiae universim duplex est: primo demonstrare *existentiam* mysteriorum christianorum; secundo explicare *essentiam* eorundam mysteriorum. Theologia, ex qua parte versatur in exercendo primo munere, dicitur et est *positiva.* Theologia exercens secundum munus audit speculativa: pauca de singulis.

Ad theologiam positivam spectat demonstrare modo scientifico existentiam mysteriorum christianorum. Haec demonstratio fit ex revelatione divina contenta in Fontibus. Fontes porro revelationis divinae et christianae sunt duo: Scriptura et Traditio: porro sicut Scriptura continetur in libris sacris seu divinitus inspiratis Antiqui et Novi Testamenti, sic Traditio reperitur in sic dictis documentis et monumentis multiformibus, qualia sunt symbola fidei, professiones fidei, definitiones pontificiae, decreta dogmatica conciliaria, opera Sanctorum Patrum, scripta theologorum, documenta liturgica, intellectus catholicus pastorum et doctorum, ipsa demum conscientia socialis et viva populi christiani.

Inde consequitur theologiam positivam esse necessario *biformem*: biblicam nempe et traditionalem. Primo quidem biblica;

unde variae formae: theologia biblica Antiqui Testamenti — theologia biblica Novi Testamenti — theologia Paulina, theologia Ioannea, etc. Dein Theologia positiva traditionalis, cuius iterum multae formae et divisiones: theologia symbolica, theologia patristica, theologia conciliaris, theologia liturgica... verbo: theologia positiva potest induere tot formas, quot sunt formae et genera documentorum in quibus verbum Dei traditum continetur.

Tria sunt munera theologiae positivae: theologia positiva debet primo loco demonstrare *quid* sit a Deo revelatum, et *quomodo* sit a Deo revelatum: utrum explicite, an implicite, num formaliter, an virtualiter; utrum distincte, an confuse... Theologia positiva debet secundo loco demonstrare quid sit a magisterio ecclesiastico hactenus propositum, et quomodo sit propositum: utrum explicite, an implicite; num a magisterio extraordinario, an ordinario; utrum authentice tantum, an authentice simul et infallibiliter. Theologia positiva debet tertio loco explicare qualis fuerit historica et progressiva totius rei evolutio seu progressus sive ex parte Dei revelantis, sive ex parte magisterii proponentis. Primum quod attinet, Deus non omnia ab initio unico ictu revelavit, sed lente, gradatim, successive. Gradualem hunc et successivum Dei revelantis cursum et oeconomiam signanter notavit Paulus ad Hebraeos scribens: « Multifariam (Πολυμερῶς), multisque modis (καὶ πολυτρόπως) olim Deus loquens patribus in Prophetis, novissime diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universorum ». Simile quidpiam notare licet ex parte Ecclesiae docentis. Hic quoque recurrit multiformis, gradualis et successiva progressio. Compara v. gr. dogma revelatum infallibilitatis pontificiae, quae effertur in primis magisterii ecclesiastici documentis, cum perpolita et egregie elaborata formula Vaticana (Denzinger, 1839). Hanc legem continui progressus dogmatici si prae oculis habueris, haud difficulter superabis tentationem humanam sollicitandi textus patristicos et ecclesiasticos in argumentatione apologetica.

Munera theologiae speculativae veniunt iam consideranda. Theologia catholica minime est contenta nosse et demonstrasse

existentiam mysteriorum christianorum; sed vult praeterea, idque maxime vult atque contendit, intimam horum mysteriorum naturam seu quidditatem introspicere ac penetrare, omnium horum mysteriorum secretas connexiones ac mutuas habitudines detegere. Sic sponte oritur theologia sic dicta speculativa, ad quam spectat opus theologiae positivae complere explicando naturam intimam seu essentiam mysteriorum christianorum. Mysteria porro christiana non possunt recte explicari nisi reddantur intelligibilia in sua genuina notione, in sua logica et mutua habitudine, in sua organica connexione, in sua foecunda virtualitate. Inde efflorescunt variae functiones theologiae speculativae.

a) Theologia speculativa debet primo loco elaborare ac *perpolire varias notiones philosophicas et theologicas.* Primum mysterium christianum est mysterium *trinitarium.* Nequit hoc altissimum mysterium recte intelligi, nec apte explicari nisi prius perpoliantur notiones variae, quales sunt natura, persona, processio, relatio ... Historia theologiae prodit quam fuerit ardua et difficilis haec prima elaboratio philosophica. Considera v. gr. notionem *consubstantialitatis,* quae fuit tessera orthodoxiae in Concilio Nicaeno: quot luctae et contentiones debuerunt superari antequam perfidia ariana paenitus frangeretur! — Similes notiones et difficultates recurrunt in analysi et studio mysterii *christologici.* Essentia huius mysterii stat in hoc, quod una credatur in Christo persona, eaque divina, duae vero naturae distinctae et impermixtae; hinc oportet rursus distincte enucleare notionem personae, naturae, unionis, unionis accidentalis, personalis, hypostaticae ... Historia Concilii Ephesini ostendit conamina adhibita ad dissipandas insidias nestorianas. — *Mysterium soteriologicum* speciali consideratione dignum est. Christus nos salvos fecit opere redemptorio, meritorio simul et satisfactorio. Hinc necessario expoliendae sunt notiones redemptionis, meriti, satisfactionis, satisfactionis vicariae, solidaritatis, sacrificii, sacerdotii ... Similia possent notari de aliis mysteriis christianis: vides quam sit ampla et multiformis haec prima functio explicativa theologiae speculativae.

b) Theologia speculativa debet secundo loco detegere et aperire *logicas et secretas connexiones internas* quibus mysteria christiana cohaerent inter se: quomodo unum mysterium continetur in alio; quomodo unum sit alterius basis ac praesuppositum... Haec est via prae ceteris commendata a Concilio Vaticano (Denzinger, n. 1796): « Ratio quidem fide illustrata, cum sedulo, pie, sobrie quaerit, aliquam, Deo dante, mysteriorum intelligentiam eamque fructuosissimam assequitur tum eorum, quae naturaliter cognoscit, analogia, tum e *mysteriorum ipsorum nexu inter se* et cum fine ultimo hominis ». Re quidem vera; mysteria cum mysteriis arctissime cohaerent inter se. Iuvat rem totam declarare comparando inter se duo mysteria christiana, quae primo intuitu videri possint inconnexa et disiuncta; comparemus mysterium *trinitarium* cum mysterio *mariologico* immaculatae conceptionis. Immaculata conceptio praesupponit maternitatem Mariae — Maternitas praesupponit Incarnationem Verbi — Incarnatio praesupponit peccatum originale. Venit quippe Filius hominis salvare quod perierat isto grandi peccato protoparentis. — Peccatum originale praesupponit elevationem hominis ad ordinem gratiae et vitae supernaturalis — Elevatio haec praesupponit fontem trinitarium totius vitae divinae. Similes relationes et secretas connexiones logicas reperies si comparas dogma trinitarium cum dogmate ecclesiologico primatus Romani Pontificis. Primatus R. Pontificis praesupponit primatum Petri cuius est successor. Primatus Petri praesupponit primatum Christi cuius est vicarius. — Christus praesupponit Verbum incarnatum. Verbum incarnatum praesupponit tum Patrem cuius est verbum, tum Spiritum Sanctum cuius virtute peracta est incarnatio in sinu virgineo...

c) Theologia speculativa debet tertio loco *systematizare* materiam theologicam universam, id est, totam hanc inmensam materiam colligere, ordinare ita quidem ut scientia sacra universa speciem praeseferat unius corporis organici arcte connexi et compacti in quo singulae partes, singula inquam mysteria suum teneant locum, suis elucescant coloribus et notis. Ad hanc systematizationem recte faciendam quamplurimum iuvat seligere unum alterumve mysterium suo momento theologico insigne, sua uber-

tate doctrinali conspicuum, basis instar seu columnae vertebralis, circa quam tota reliqua compago rite ordinetur et organizetur. Haec functio systematrix habet momentum vere capitale in scientia sacra universa; inde quippe maximam partem pendet tota theologiae claritas, concinnitas, lucidus ordo, tenax vigor et consistentia.

Haec porro systematizatio theologica fieri potest et reapse facta est variis et multis modis, ut prodit historia theologiae. Sanctus Thomas systematizavit materiam theologicam universam *sensu theocentrico,* idque valde logice et consequenter ad suam doctrinam de subiecto theologiae reponendo in *deitate qua tali.* Hic est ordo vere mirabilis relucens in opere Aquinatis principe, id est, in Summa Theologiae. Ubi omnia sunt ordinata et disposita circa Deum rerum omnium principium et finem, omnia originantur et descendunt ex Deo; omnia moventur et diriguntur in Deum; omnia demum requiescant et finaliter consistunt in Deo. Hic ordo Aquinatis invasit fere omnia, quippe qui fuit acceptatus et divulgatus apud omnes fere Summae commentatores.

Haec systematizatio thomistica, licet optima, non est tamen unica possibilis, sed potest modificari et perfici, ut ostendunt nova tentamina Petavii, et potissimum Schebeen. Nostris diebus orta est apud nonnullos theologos, maxime in Belgio et Gallia, idea et tendentia organizandi theologiam universam novo modo et ordine, *sensu* scilicet *christocentrico.* Christocentrismus invenit recenter fervidum defensorem et elegantem expositorem Ae. Mersch, S. J. Theoria P. Mersch paucis potest ad sequentia revocari. Duplex est obiectum materiale theologicum: unum principale, qui est Deus ipse; alterum secundarium, quod revocatur ad opera Dei. Centrale ergo Theologiae obiectum debet esse tale, ut hoc utrumque obiectum contineat, illudque in syntheticam unitatem redigat. Atqui tale obiectum non est aliud quam Christus totalis. Christus enim totalis seu mysticus ex una parte est verus Deus, ex alia vero parte est Deus homo cum tota humanitate sibi unita et incorporata. Christus ergo, qua Deus, potest dici subiectum Theologiae, ut vult S. Thomas; Christus vero totalis

seu mysticus, id est, Verbum Dei incarnatum cum integra humanitate sibi incorporata potest dici et debet dici obiectum theologiae integrale simul et centrale. Ex alia vero parte oportet fateri Christum mysticum esse primum intelligibile in theologia. Dogma ergo de Christo mystico seu totali aptissimum censeri debet ad conferendam scientiae sacrae universae organicam connexionem, syntheticam unitatem, logicam intelligibilitatem. Conclusio ultima est theologiam catholicam esse synthetizandam sensu christocentrico.

Si quaeratur quid sit censendum de hac theoria, primo quidem intuitu videri possit simpliciter acceptanda, imo summa cum laude probanda. Re tamen attentius considerata, haec prima impressio temperanda et corrigenda videtur; recurrit quippe gravis difficultas, quae contra christocentrismum sic intellectum iure movetur. Profecto, dignitas et conditio subiecti formalis requirit, ut nullum aliud subiectum formale anterius habeat, ipsumque sit implicatum in omni alio subiecto partiali. Atque Christus totalis praesupponit aliud subiectum formale anterius. Ergo Enimvero, Christus totalis continet tria elementa: Christum Deum — Christum hominem — totam reliquam humanitatem Christo incorporatam. Age iam: Christus Deus est Christus Verbum; hinc praesupponit deitatem cum suis attributis. — Christus homo praesupponit tum deitatem, tum decretum Incarnationis, elevationis, peccati originalis permisi. — Christus caput et membra praesupponit ulterius decretum quo constituitur caput humanitatis regeneratae seu Ecclesiae. Rursus: Si Christus mysticus est primum intelligibile theologicum oportebit admittere Patrem, Spiritum Sanctum, Trinitatem esse intelligibile theologicum secundarium subordinatum, et mysterium trinitarium esse demum explicandum per respectum ad Christum mysticum. Atqui haec omnia difficulter admitti possunt in sana theologia ... Theocentrismum ergo retinendum esse censemus, ita tamen ut Christocentrismo suus maneat locus. Positio Christi est reapse centralis in ordine tum ontologico, tum theologico. Etenim ad hoc est creatus cosmos universus; ad hoc est permisus collapsus originalis; ad hoc est Verbum incarnatum; ad hoc, (εἰς τοῦτο, Rom. 14, 9), Christus

mortuus est et resurrexit, ut vivorum et mortuorum dominetur, ut omnis lingua confiteatur quia Christus est Dominus in gloriam Patris. Omnia in ipso, per ipsum et in ipsum. Haec Christi positio centralis, nostro iudicio, non sufficienter relucet in Summa S. Thomae, nec in ceteris Doctoribus qui Summam sunt commentati. Christocentrismus ergo, a P. Mersch instauratus, particulam veri continere videtur. Haec omnia ut facilius intelligas, revoca in memoriam illa quae superius notavimus de formula thomistica deitatis quatalis resolvenda in novam formulam *vitae divinae intimae* et trinitariae. Ibi explicavimus qualiter iste respectus vitae divinae sit insertus et implicatus in omni et singulo tractatu theologico; qualiter consequenter scientia sacra universa possit ordinari et systematizari circa mysterium Dei viventis et omnia vivificantis in Christo et per Christum.

Quarta functio theologiae speculativae est *deductiva;* ex principiis nempe revelatis novas veritates seu conclusiones theologicas deducere. Semen est verbum Dei, maxima faecunditate ditatum, a Christo eiusque apostolis seminatum, devota fide in corde nostro susceptum, studio et industria theologica elaboratum, magisterio ecclesiastico sancitum et maturatum, gratia et imbre caelesti irrigatum, quod largam et exuberantem conclusionum segetem parere natum est. Hanc prae ceteris functionem considerabant et praemebant Doctores et magistri scholastici veteres qui nomen et dignitatem *scientiae* sensu Aristotelico pro theologia vindicabant.

Quintam et ultimam functionem theologiae speculativae appellant *defensivam*: mysteria christiana quum sint suapte natura ex una quidem parte adeo obscura et profunda, ex alia vero prae suo charactere sacro et practico vitam et mores hominum arcte attingant, nata sunt ciere oppositionem prudentiae mundanae et falsi nominis scientiae. Nihil ergo mirum si contra sacram theologiam tot dubia, praeiudicia, obiectiones, fallacias, deformationes levari passim contingat. Has ergo multiformes difficultates et fallaces oppositiones examinare et dissipare ius est et officium theologi catholici.

III

De methodo theologica

Vox methodus sonat viam: viam, inquam, frequentandam ut certus quidam terminus attingatur, ut certus quidam scopus obtineatur. Si scopus obtinendus est scientifica veritatis cognitio, habetur methodus scientifica; si veritas cognoscenda spectat ad campum theologicum, habetur methodus theologica. At veritas theologica potest considerari in duplici stadio: primo dum est invenienda, ideoque inquirenda et exploranda. Secundo, quum iam est explorata et inventa, sed aliis est proponenda et explicanda: hinc duplex methodus theologica: methodus inquisitionis scientificae, methodus expositionis pedagogicae. Quaestio nostra maxime est de methodo inventionis seu inquisitionis: quaenam methodus adhibenda in stadio inventionis; qua via procedendum ad explorandam universam materiam theologicam.

Quaestio de methodo adhibenda in exploratione theologica arctissime cohaeret cum quaestione superius tractata de obiecto theologico formali quo. Ibi notavimus triplex esse lumen theologicum integrale: unum divinum Dei revelantis, alterum nativum rationis speculantis, tertium magisterii ecclesiastici dirigentis, sancientis. Inde palam consequitur theologiam catholicam esse fructum casti connubii rationem inter et revelationem cum addito Ecclesiae magisterio. Porro cardo sanae methodi theologicae totus quantus vertitur in isto connubio sancte servando. Si hoc sacrum connubium iniuste dissolvitur vel utcumque violatur, necessario consequitur et methodi corruptio, et sacrae scientiae dehonestatio, sterilizatio. At hoc vinculum trifariam dissolvi potest. Etenim fieri primo potest ut partes rationis insolentius exaltentur, partes vero sive revelationis sive magisterii ecclesiastici deprimantur nimis. Fieri secundo potest ut partes revelationis et illuminationis divinae ita premantur, ut partes rationis et magisterii ad silentium fere reducantur. Fieri demum tertio potest ut partes rationis et revelationis ita deprimantur et extenuentur, ut causa theologica fere tota in manus magisterii ecclesiastici tradatur.

Triplex praefata corruptio sicuti est possibilis in ordine theoretico, sic realis et concreta manifestatur in historia theologiae, quae triplicem exhibet theologiae formam seu typum in decursu saeculorum succesive obtinentem: theologiam conclusionum, theologiam fontium, theologiam magisterii. Praecedit *theologia* sic dicta *conclusionum*. Post aevum Patristicum in quo forma Kerigmatica nondum clare et perfecte distinguitur a forma scientifica, sequitur aevum medium in quo praeoccupatio methodologica primum manifestatur, et theologia organizatur sub signo scientiae sensu Aristotelico intellectae. Hinc non paucos tentatio apprehendit humana, quae non ab omnibus potuit superari: Tentatio, inquam, applicandi ad scientiam sacram nimia quadam rigiditate conceptum scientiae aristotelicum. Genuinus porro scientiae aristotelicae conceptus necessario requirit duo elementa, principia nempe et conclusiones. Principia porro debent esse vera, prima, immediata, indemonstrabilia; vel quia sunt in seipsis evidentia, vel quia supponuntur demonstrata in scientia quadam superiori et subalternanti. Proprium ergo obiectum scientiae, qua talis, constituitur non tam principiis quam conclusionibus.

Haec pronuntiata et postulata si applicantur ad scientiam sacram seu theologiam, devenitur ad sequentem conclusionem. Theologia imprimis habenda est ut veri nominis scientia: principia in theologia sunt veritates divinitus formaliter revelatae. Atqui veritates formaliter revelatae sunt obiectum fidei potius quam scientiae. Hinc est quod labor et conatus theologicus per se non cadit supra ipsum revelatum, sed potius supra ea quae ex revelatis deduci argumentatione possunt. Cum his et illud perfecte cohaeret, quod obiectum formale quo seu lumen theologicum debeat reponi in revelatione divina non formali, sed virtuali. Aliis verbis: scientia theologica non tam debet curare de principiis seu de ipsis veritatibus revelatis, quam de conclusionibus theologicis. En primam theologiae formam seu typum quem prodit historia: theologiam, inquam, conclusionum, quae non raro solet numcupari scholastica.

Theologia scholastica invenit nostris diebus severissimum censorem et implacabilem oppugnatorem R. P. *Charlier* O. P. Qui

huius theoriae methodum, tendentiam, spiritum et technicam exposuit in opere cui titulus: « Essai sur le Probleme theologique ». In hoc opere examen instituitur theologiae scholasticae, qualem conceperunt et exposuerunt principes S. Thomae commentatores: Capreolus, Caietanus; Bañez et Ioannes a S. Thoma. En querelas motas a Charlier contra conceptionem scholasticam: *a*) In hac theologia habetur imprimis infausta quaedam deviatio scientiae sacrae a suo vero centro constitutivo, quod est sacrum revelationis depositum. — *b*) Habetur secundo loco non minus infausta deviatio theologiae a su centro directivo, quod est magisterium ecclesiasticum. — *c*) Habetur tertio infelix quaedam theologiae dehonestatio, depressio, atque in miseram servitutem redactio. — *d*) Habetur quarto loco deploranda quaedam laboris theologici vivisectio ac divisio cum consequenti diffidentia mutua inter positivos et scholasticos. — *e*) Habetur quinto genuini sensus fontium theologicorum deturpatio et corruptio. — *f*) Habetur sexto loco radicalis quaedam impotentia ad intelligendum et explicandum progressum dogmaticum. Radix porro tot malorum iure reponitur in aristotelico scientiae conceptu ad theologiam imprudenter applicato. *Nota bene*: quid sit veri, quid falsi, quid exaggerati vel deformati in his querelis alibi exposui. Cfr. Gregorianum, vol. XXIV, 1943, p. 35 sq.

Primae huic deformationi medioevali e diametro opponitur nova deformationis forma, peior priore, saeculo decimo sexto erumpens opera Reformatorum protestantium. Apud quos divinae auctoritatis et internae illuminationis partes talem in theologia obtinent primatum, ut partes magisterii paenitus eliminentur, partes vero vulneratae rationis vehementer deprimantur. Si ad normam evangelicam bona arbor ex fructibus est diiudicanda, fateri oportet arborem protestanticam, methodum inquam et theologiam protestanticam malam esse quippe quae malos fructus, pessimos fructus ex opere operato tulit in theologia redemptionis, in theologia iustificationis, in theologia sacramentaria, etc.

Sed ex alia parte negari non potest deviationem protestanticam non caruisse laeto aliquo fructu ex opere operantium, quip-

pe quae ansam praebuit germano cuidam et legitimo progressui intra septa catholicorum, ortui nempe et progressui *theologiae positivae*. Germina quaedam, imo et fructus quidam non exigui theologiae positivae minime deerant in aetate praecedenti et scholastica; at theologia positiva, proprie dicta, erumpit saeculo decimo sexto, tanquam reactio quaedam contra theologiam protestanticam, necnon contra accusationes protestanticas de evangelico dogmate adulterato, de corrupto genuino primaevae christianitatis spiritu ...

Nota sunt nomina theologorum, qui in hac accuratiori et uberiori methodo positiva suscitanda et deinceps promovenda maximas partes habuerunt. Ut aliquos tantum nominem qui ceterorum fuerunt duces et antesignani, praetermitti hoc loco non potest nomen illustre theologi hispani ex ordine Dominicano, Melchioris Cano, qui in opere suo percelebri « de Locis theologicis » novam hanc viam prior scientifice inauguravit, quam deinceps Valentia perpolivit, Petavius splendide exornavit, Thomassinus novis incrementis ditavit, Franzelin, nostrae Universitatis Gregorianae decus, in fastigium adduxit, Schebeen demum consecravit.

Non obstante hoc indubio progressu methodologico saeculo decimo sexto inchoato, saeculis successivis aucto et meliorato, negari tamen nequit illam priorem theologiae formam suo spiritu, sua technica, sua methodo perseverasse fere integram in scriptis et magisterio multorum theologorum. Cuius exemplum et confirmationem videre est in articulo edito in Ephemeride dominicana Parisiensi Rev. d. Scienc. Phil. et Theol., anno 1912, ubi P. *Martin* disserit de obiecto integrali theologiae. Conclusio dissertationis est: Obiectum formale quo theologiae esse revelationem divinam virtualem. — Veritates formaliter revelatas, hinc integrum, revelationis depositum, per se non pertinere ad theologiam, quia ad scientiam non pertinet probare sua principia; possunt tamen, sin minus de iure, saltem de facto pertinere ad theologiam ratione muneris sui defensivi. — Obiectum ergo integrale theologiae constitui conclusionibus theologicis. Sed dantur triplicis generis conclusiones: primo quidem conclusiones vir-

tualiter revelatae; et hae constituunt obiectum *proprium, formale essentiale* theologiae; secundo dantur conclusiones formaliter revelatae, et hae constituunt obiectum theologiae *improprie dictum.* — Tertio demum dantur conclusiones et veritates ordinis naturalis; et hae constituunt obiectum theologiae proprium quidem, sed *accidentale,* non ergo formale et essentiale.

Haec quum ita sint, nemo iure mirabitur quod, exoriente hoc nostro saeculo vigessimo, novae tendentiae novique motus erumpant in castris theologicis in Germania, Belgio et Gallia. Duplex phaenomenon vehementer concurrebat ad maturandam novi germinis evolutionem: crisis modernistica et fermentatio historica. Crisis modernistica provocabat quaestionem de *progressu dogmatico;* crisis vero historica fuit optimus paedagogus pro theologo. Mirifici nempe progressus peracti in methodologia historica, dum ex una parte disponebant theologum ut, deposita priori notione rigidioris fixismi dogmatici, sensim sine sensu assuefieret ad ideam certae cuiusdam evolutionis implicatae in saniore christianismi conceptione, ex alia parte eidem suppenditabat magnificum laboris instrumentum ad explorandum praefatum progressum dogmaticum.

Has novas tendentias theologicas nemo vividius persensit, nemo luculentius expressit, quam R. episcopus gallicus *Mignot* egregie disserens de methodo theologica a. 1901 in Facultate theologica Instituti Catholici Tolosani. Excellentissimus praesul vehementes edebat querelas de methodo mire quidem progredienti in aliis scientiis Theologiae affinibus et propinquis, torpenti vero et languenti in altiori stadio proprie theologico. Sacra ergo scientia — concludebat insignis orator — indiget prompta quadam et profunda renovatione. Oportet videlicet, et vehementer oportet inducere in stadium theologicum disciplinas positivas et historicas cum suis methodis affabre elaboratis. Praeclara haec dissertatio ingentem animorum commotionem suscitavit, ansamque praebuit innumeris scriptis, quae cum alibi, tum vel maxime in Gallia edita sunt de *methodo theologica* positiva et speculativa, deque mutua ad invicem habitudine.

Novissima vox est rursus in Gallia et Belgio aliquorum theologorum qui novam et vere profundam deformationem methodologicam induxerunt appellantes ad *theologiam magisterii.* Inter fautores novae methodi eminet doctor *Draguet,* theologiae professor in Universitate catholica Lovaniensi, eiusque discipulus *Charlier* O. P. Huius liber « Essai sur le Probleme theologique » fortes reactiones provocavit in stadio theologico, donec opus totum fuit ad Indicem relegatum opera S. Officii a. Superius notavimus obiectiones motas a Charlier contra theologiam scholasticam conclusionum. Non minus graves sunt querelae motae contra sic dictam theologiam fontium, quae demum improbanda et eliminanda pronuntiatur. Ratio improbationis duplex affertur: una ex parte obiecti, altera ex parte methodi. Obiectum si spectetur, theologia fontium proponit sibi obiectum impossibile. Profecto obiectum theologicum formale quod attingi nequit sine obiecto formali quo vere theologico. Atqui historia, cui innititur theologia positiva fontium, caret obiecto formali quo vere theologico. Enimvero obiectum formale quo seu lumen theologicum est revelatio divina formalis. Atqui obiectum formale historiae non est divina revelatio, sed naturale et purum lumen rationis. Accedit quod obiectum sibi propositum a theologia positiva fontium, est perfecte inutile. Sane obiectum argumentationis historicae, qualis instituitur in theologia positiva, est demonstrare veritatem de qua iam supponitur constare infallibiliter ex magisterio ecclesiastico. Quem ergo scopum potest habere in theologia haec talis demonstratio?

Difficultas contra theologiam positivam fontium rursus movetur ex parte methodi. Charlier contendit historiam iniuste vexari in theologia positiva non tantum quia constringitur a propria ditione exorbitare, sed ideo etiam quia nativa indoles methodi historicae a diebus theologiae positivae vim patitur. Historia quippe procedit via inductionis; factis nempe innixa seu vestigiis potius factorum, quae reperiuntur in documentis, suas profert conclusiones. Hae porro conclusiones, cum sint demum fructus inquisitionis, non possunt praesupponi ut verae et certo quodam modo determinatae antecedenter ad omnem demonstra-

tionem. Contrarium porro obtinet in theologia positiva fontium. Ubi antecedenter ad omnem demonstrationem historicam iam praesupponitur infallibiliter cognita certa quaedam et determinata conclusio, eaque imponitur historiae, quae sic quoddammodo constringitur reperire in documentis id quod in eis non continetur, vel nonnisi fragmentario quodam modo continetur. *Nota bene*: Omnes has obiectiones et fallacias alibi examinavimus et dissipavimus. Cf. Gregorianum, vol. XXIV, p. 308 sq. Hic sufficiat in mentem revocare ultimam radicem confusionis Charlerianae stare in adulterata prorsus vera notione theologiae positivae ad mentem eorum qui huius scientiae sive prima initia et lineamenta praeformaverunt, sive posteriora incrementa et ornamenta apposuere.

Tota haec historica recensio duo clare demonstrat: 1° germanam theologiae naturam eiusque methodum posse multifariam deformari: 2° ultimam deformationis radicem consistere in abrupto seu turbato aequo illo temperamento atque aequilibrio quo cohaereant inter se oportet variae partes seu elementa quae concurrunt ad efformandum lumen theologicum integrale. Etenim vel augentur inmoderatius partes rationis, et tunc vitari vix poterit quaedam theologiae deviatio a suo centro constitutivo et directivo, unde fiet ut scientia sacra induat speciem cuiusdam metaphysices abstractae, aridae, polemicae; vel exaltantur nimis partes auctoritatis et illuminationis divinae; et tunc erumpent necessario labes illae et naevi quibus dehonestatam vidimus theologiam protestanticam; vel exagerantur fere ad monopolium partes magisterii ecclesiastici; et tunc confinia theologica decurtantur nimis, vera progressus dogmatici natura deformatur, et demum relabitur in impotentiam demonstrandi divinam ipsius magisterii institutionem, unde vi ipsius theoriae devenitur ad totalem theologiae ruinam. Ergo detecta radice morbi theologici, reliquum est ut gradum faciamus ad exponenda principia sanioris methodi tenendae in universa exploratione theologica. Si morbi radix stat in turbato iusto illo temperamento inter partes auctoritatis, rationis et magisterii, efficax morbi remedium, ideoque sana principia methodologica nequeunt alibi quaeri, quam in res-

taurando atque in dies perficiendo aequo illo de quo supra aequilibrio.

Quaestio de recta methodo theologica acte cohaeret cum his quae supra de *munere theologico* disseruimus. Duplex momentum ibi distinximus in progressivo laboris theologici ordine atque decursu; positivum et speculativum. Triplex problema est solvendum in theologia positiva: *quid* sit a Deo revelatum, et quomodo sit revelatum — quid sit a magisterio ecclesiastico hactenus propositum in rebus fidei et morum; quomodo sit propositum. — Qualis fuerit historica et progressiva totius rei evolutio iam inde a primis et fontalibus usque ad hodiernas distinctiores et magis perpolitas formulas dogmaticas. Atqui revelatio continetur praeprimis in S. Scriptura. Theologia ergo et methodus theologica debet cumprimis debet esse *biblica.* Sed revelatio continetur non tantum in Scriptura, sed etiam in traditione. Traditio vicissim continetur et quasi dispersa reperitur in innumeris atque multiformibus transactae aetatis documentis et monumentis, qualia sunt symbola fidei, professiones fidei, scripta papalia, conciliaria, patristica, theologica, historica, liturgica, in ipsa demum conscientia sociali et viva populi christiani, in ipso catholico intellectu pastorum et doctorum. Ergo theologia et methodus theologica debet secundo loco esse *traditionalis,* ideoque patristica, conciliaris, liturgica, etc. Sed nequaquam in isto sunt omnia: Munus theologicum non est tantum positivum, sed etiam speculativum, illudque multiforme, quale superius descripsimus: explicativum, ordinativum, systhematicum, deductivum, defensivum.

Ex his omnibus manifeste consequitur methodum theologicam debere esse biformem, positivam nempe et speculativam: nec puto hac in re inter hodiernos theologos adesse posse vera dissidia. Nemo profecto negat tractationem theologicam sic institui posse, ut praevaleat pars sive positiva, sive speculativa pro diversitate materiae, scopi principalius intenti, vel etiam pro diversitate auditorum vel lectorum. Sed omnes, opinor, consentient doctori Scheeben iure asserenti optimam tractationis formam eam esse in qua pars positiva et speculativa aequo iure, aequo gradu, passibus

aequis procedant. Ipsa caeteroquin Ecclesia, omnium magistra, theologos salubriter commonuit docens necessitatem theologiae positivae nostris diebus uberius et accuratius excolendae.

Medulla ergo problematis methodologici si in hoc, et in hoc tantum stare censeatur, quod methodus theologica debeat esse positiva simul et speculativa, asseri forsitan possit totam hanc de methodo quaestionem nostris diebus apud optimos quosque theologos esse iam sufficienter solutam. Nihilominus novae reformationis theologicae tentamina recenter provocata sive ab auctoribus theologiae magisterii, sive a fautoribus illius, quae *nova Theologia* appellata est, sufficienter manifestare videntur morbi theologici radicem nondum esse penitus ablatam: nec defuit theologus in Gallia, qui lectores suos recenter commonebat asserens quod radix mali modernistici numquam plene extirpabitur, quandiu non fuerit penitus satisfactum exigentiis quae modernismum provocaverunt. Utile ergo erit in ulteriori rei nostrae examine paulisper immorari.

Pleniori quaestionis methodologicae solutioni ut aptae viae aperiantur, liceat pauca quaedam suggerere, nihil tamen definiendo, nihil peremptorie proponendo, sed materiam potius meditationis proponendo ad opportunum et accuratius rei examen. Atque in primis utile forte erit in nostra materia duas quaestiones distinguere: unam principalem, alteram secundariam. Quum de sana methodo theologica agitur, quaestio principalis non est stabilire num theologia sit dicenda veri nominis scientia, idque sensu Aristotelico; nec quaestio principalis est definire quid sit praecise theologia positiva, quid speculativa; quaenam utriusque munera seu officia, quinam demum limites seu confinia utriusque territorii theologici. Hae omnes quaestiones sua utilitate certe non carent, sed periculum non parvum adest ne attentio theologi a suo centro nimis recedat. Quaestio substantialis et facile princeps stat, meo iudicio, in recto et accurato usu rationis in omni stadio explorationis theologicae sive positivae sive speculativae. Notetur diligenter et alta mente repostum retineatur, princeps laboris instrumentum in omni stadio theologico esse de-

mum nostram rationem, fide utique informatam et sustentatam. Cardo ergo quaestionis de methodo in hoc vertitur, qualiter adhibenda ratio, *qualiter educanda et praeparanda ratio* ut in singulis complexi laboris theologici stadiis ita adhibeatur, ut optimi quique fructus in cultura scientiae sacrae citius, uberius, tutius obtineantur. Consideremus hoc punctum, si placet, paulo attentius.

Primum stadium in sana theologia, ut superius notavimus, est positivum, et primum problema solvendum in theologia positiva est quid sit a Deo in rebus fidei et morum revelatum, et quomodo est revelatum. Revelatio porro praeprimis continetur in sacra Scriptura. Theologica ergo exploratio scientifica debet in primis esse biblica, posita rempe in crisi seu examine documentorum biblicorum. Sed nonne evidens iure videatur hanc crisin priorem non posse convenienter institui sine praevia ac technica theologi praeparatione biblica? Quicumque habet praxin aliquam theologicam, perfecte novit quam sit ardua ac difficilis elaboratio et praesentatio argumenti biblici. Historia theologiae tam antiquae quam modernae ostendit perpaucos esse theologos qui in hoc argumentandi genere vere excellunt. Nonnemo recenter loquebatur de *divortio* existenti inter theologiam et sacram Scripturam. Quod si vox divortium duriuscule sonare videatur, negari tamen non potest in praefata accusatione particulam veritatis contineri. Scriptum est: « quod Deus coniunxit, homo non separet ». At vereor ne in hoc quoque casto connubio theologico-biblico homines nimis separaverint quae Deus coniunxit. Aliqua laboris ac territorii divisio theologos inter et scripturistas conveniens et practice necessaria videri iure possit. At nimia quaedam divisio ac separatio, violenta atque legitimo progressui theologico simul et biblico contraria ac funesta censeri debet.

Quod de argumento biblico dixi, id ipsum de argumento traditionis repeti aequo iure potest. Siquidem revelatio continetur non tantum in Scriptura, sed etiam in traditione; traditio vero christiana reperitur dispersa in innumeris et multiformibus documentis et monumentis. Theologica ergo exploratio et elaboratio

debet esse secundo loco traditionalis, ideoque patristica, conciliaris, liturgica, et cetera huiusmodi. Sed quis non videat hanc quoque criticam documentalem non posse convenienter et fructuose institui sine praevia ac opportuna theologi technica ac multiformi praeparatione positiva? Si recta argumenti biblici elaboratio ac praesentatio persaepe est difficilis, non minores difficultates continet ac praebet apta elaboratio et praesentatio argumenti ex traditione. Vides iam explorationem theologicam universam, maxime in suo stadio positivo, esse valde complexam et arduam. Haec difficultas elaborandi argumentum positivum studio ac examine Fontium suggerit non paucis theologis hodiernis tentationem humanam recurrendi ad aliud argumentandi genus facilius; ad argumentum, inquam, *ex Documentis Ecclesiae*, praeprimis ex Encyclicis Papalibus. Huic tentationi sunt prae ceteris subiecti illi theologi qui carent apta praeparatione positiva, potissimum biblica. Negari non potest hoc argumentandi genus esse facile, commodum, expeditum; non tamen immune a gravi periculo. Non licet interpretari encyclicas pontificias citra analogiam fidei; defectus attentionis ad hanc auream regulam exegeticam saepe saepius in causa est quare sana methodus theologica deformetur, et puritas sacri depositi gravi detrimento exponatur. Utile erit ad particularia descendere, totamque rem illustrare exemplis ex historia recenti deprompt is.

Primum exemplum dabit Salaverri de la Torre. Apud quem datur identitas *univoca* inter missionem Christi per Patrem et missionem apostolorum per Christum. Ad hanc normam et doctrinam sunt intelligenda verba Christi penes Ioannem 20, 21: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos ». Verba quidem Christi *sicut* missit ..., si *biblice* considerantur, viderentur potius sonare *similitudinem*, quam aequalitatem eo fere modo ac in textu simili apud eundem Ioannem 6, 57 « Sicut misit me vivens Pater ... », vult tamen Salaverri ut praefata Christi verba intelligantur ad normam doctrinae propositae a Leone XIII in Encyclica « Satis cognitum ». « Dice el autor (Zapelena) que Cristo comunicó al Colegio apostólico una misión *semejante* (missionem similem) a la que El había recibido del Padre. No creemos que eso baste

para dar el verdadero sentido de las palabras de Cristo, sino el que reiteradamente inculca León XIII en la Encíclica « Satis cognitum » (idem munus idemque mandatum) ». Estudios ecclesiásticos, vol. 29, 1955, p. 223.

Eadem consequenter identitas *univoca,* cui non satisfit per merum analogiae respectum, debet admitti inter munera potestatesque Christi messianicas qualia sunt sacerdotium, magisterium, imperium, et his correspondentia munera Ecclesiae. Haec munerum identitas univoca urgetur et premitur a Salaverri cum magna vi oratoria in sua monographia: « La triple potestad de la Iglesia » 1951, p. 29.

« Como repetidamente lo inculcan León XIII y Pio XII, las tres potestades de la Iglesia no son otras, *ni solamente semejantes,* sino *las mismas potestades* mesiánicas de Cristo Doctor, Sacerdote y Rey. Tan son las mismas, que por ellas la Iglesia, en todos los órdenes de su vida, reproduce en sí lo más perfectamente posible la imagen del Redentor y hasta se convierte en una segunda persona de Cristo, como enseña Pio XII. Tan son las mismas, que al darlas Jesucristo no pretendió otra cosa sino transmitir a la Iglesia el mismo oficio y el mismo mandato que El había recibido del Padre, dándola aquellas mismas potestades con las que El había sido enviado por el Padre, para que perpetuamente ejerciese con los mortales el mismo poder que El había ejercido en su vida terrena como vimos que lo inculca León XIII. Tan son las mismas que el divino Verbo sigue ejerciéndolas sin cesar como *causa primaria* y *principal,* concediendo tan solo a la Iglesia una *participación ministerial* en ese ejercicio; por la que fuese vigoroso instrumento del Verbo hecho carne en el reparto de los frutos divinos de la Redención, como llega a afirmar Pío XII. Tan es verdad que son las mismas, que el mismo Pontífice no duda en afirmar que la Iglesia y el Verbo hecho carne tienen *un común propósito, oficio, cargo,* a saber enseñar la verdad a todos, regir y gobernar rectamente a los hombres, ofrecer a Dios el grato y aceptable sacrificio.

Quod si iam sit ferenda sententia circa propositam quaestionem, consideremus primo *missionem* Christi comparatam cum missione collegii apostolici. Doctrina Salaverri de identitate intelligenda sensu perfecto et *univoco* probari nobis non potest; obstat quippe analogia fidei biblicae. Corde credimus et ore confitemur Christum Dominum sacerdotem aeternum secundum ordinem Melchisedech operatum esse opus nostrae redemptionis (obiectivae) cruento corporis vitaeque suae sacrificio in ara crucis consummato. Hoc opus sacrificale, sicuti fuit inchoatum a Christo solo (Hebr. 10, 5 sq.), sic etiam fuit *consummatum* a Christo solo sine ullo ministeriali Ecclesiae concursu. De hac consummatione loquitur Christus in sua oratione sacerdotali apud Ioannem 17, 4: « Ego te clarificavi super terram: *opus consummavi* (= brevi consummabo); quod dedisti mihi ut faciam ». De hac consummatione loquitur etiam Paulus ad Hebr. 10, 14: « Una enim oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos ». Hac eadem voce consummationis uti voluit Christus dum pendebat in Cruce et clamans voce magna dixit: « consummatum est ». Inde prima et facilis argumentationis forma: Christus fuit missus a Patre ad redimendum mundum cruento vitae propriae sacrificio. Atqui collegium apostolicum non accepit a Christo talem missionem. Ergo missio Christi per Patrem nequit dici identica sensu univoco cum missione Ecclesiae per Christum.

De hac Christi missione per Patrem agit etiam Ioannes in sua epistula I 4,9 sq. « In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam suum unigenitum *misit Deus* in mundum, ut vivamus per eum ... quoniam ipse (Deus) prior dilexit nos, et *misit* Filium suum propitiationem (ἱλασμόν) pro peccatis nostris ... Et nos vidimus, et testificamur quoniam Pater *misit* Filium suum Salvatorem mundi (σωτῆρα τοῦ κόσμου). Habes hic in uno eodemque capite *tres formulas* quibus exhibetur missio Filii per Patrem. Pater mittit Christum primo *ut propitiationem*, id est, ut victimam propitiatoriam pro peccatis nostris expiandis: secundo *ut salvatorem* mundi; tertio ut *auctorem vitae* supernaturalis per quem et in quo vivimus. Hinc altera brevis et facilis forma argumentandi. Deus misit Christum ut victimam propitiatoriam et expiatricem,

ut salvatorem universalem, ut vitae divinae auctorem et irradiatorem. Atqui Christus non dedit collegio apostolico talem missionem. Ergo non datur identitas univoca inter missionem Christi per Patrem, et missionem Ecclesiae per Christum.

Soluta quaestione de *missione* Christi, eo ipso manet soluta quaestio de *munere et officio et potestate* sacerdotali, magisteriali et regali Christi comparato cum munere, officio et potestate correspondenti Ecclesiae. Sane missio, sicut supponit mittentem, sic etiam supponit *terminum* missionis a quo ipsa missio specificatur: missio erit identica vel diversa, prout terminus seu opus ad quod mittitur, sit identicum vel diversum. Et re quidem vera, munus Christi sacerdotale, magisteriale, et regale, id est, Christi sacerdotium, magisterium et imperium nequit dici *idem univoce* cum sacerdotio, magisterio et imperio Ecclesiae, sed *idem analogice*; aliis verbis, conceptus sacerdotii ... praedicatus de Christo et Ecclesia non est univocus, sed analogus, ideoque partim idem, partim diversus. Brevitatis causa, praetermittamus quaestionem de magisterio et imperio, et consideremus quaestionem de *sacerdotio.* Sacerdotium sive Christi sive Ecclesiae est *redemptorium,* sed aliter et aliter. Sacerdotium Christi pollet virtute operandi redemptionem *tum obiectivam, tum subiectivam*; e contra sacerdotium Ecclesiae caret virtute causandi redemptionem obiectivam, et est validum ad efficiendam redemptionem tantum subiectivam, idque ministerialiter; aliis verbis, sacerdotium Christi pollet magnifica virtute causandi et constituendi integrum *depositum satisfactionum et meritorum* pro Ecclesia. Sacerdotium Ecclesiae caret hac virtute, solumque valet *ad applicanda* haec merita et satisfactiones. Porro aliud est mereri et satisfacere coram Deo, aliud est acquisita merita et satisfactiones hominibus dispensare et applicare; sicut aliud est emere praedium, aliud eius bona administrare; aliud ingens pecuniae depositorium (una banca) constituere, aliud eius bona ministrare. Vides iam discrimen inmensum inter sacerdotium Christi, et sacerdotium Ecclesiae. Enimvero si quid est grande, si quid excelsum et praecellens in Christi sacerdotio, totum hoc debet reponi in mira illa, qua pollet, virtute placandi Deum, propitiandi Deum, merendi de condigno apud Deum pre-

tiosum illum gratiarum thesaurum. Revera evacuant fere atque extenuant sacerdotium Christi, quicumque illud concipiunt ut idem ac univocum cum sacerdotio ecclesiastico.

Non erit abs re adnotare nostram expositionem de Christi Ecclesiaeque missione adsimilanda quidem, non tamen perfecte aequiparanda, non esse nostram singularem opinionem, sed comunem omnium interpretum catholicorum sententiam. Qui omnes notant ac premunt (sive explicite sive implicite) particulam *sicut* in textu Ioanneo (20, 21) significare non aequalitatem, sed similitudinem. Vere dolendum quod P. Joachim Salaverri omnem indaginem biblicam hac in re praetereundam censuerit. Cum nobis non liceat vagari liberius, sufficiat hic, loco et nomine omnium, unum adlegare interpretem et theologum catholicum vere eximium, Ioannem B. *Franzelin*. Qui in suo splendido huius textus Ioannei commentario scribit: « Missio haec Apostolorum a Christo facta est *ad similitudinem* missionis Christi ipsius a Patre: sicut misit me Pater, et ego mitto vos. In missione, adeoque etiam *in similitudine* missionis hic expressa a Christo, tria consideranda sunt... Porro ex hac ipsa mediatione, quod a Patre Christus, vicissim a Christo Apostoli mittuntur, *non quidem identitas* propter diversitatem infinitam subiecti, *sed similitudo* necessario intelligitur in re ipsa missionis, *in potestate* inquam, quae communicatur mittendo, et *in opere ad quod mittuntur* ». Tam longe abest Franzelin a cogitanda *univocatione* in hac, de qua loquimur, missione, ut potius timeat (obiiciendam) *aequivocationem.* « Si cui sophisma obscuritatem iniiceret, quod ex nostro ratiocinio Apostoli etiam ad redemptionem mundi, ad meritum et largitionem gratiarum missi viderentur, patet responsio. Redemptio et merita Christi supponuntur completa, et sunt fundamentum missionis Apostolorum, quae pertinet ad applicationem redemptionis ac meritorum Christi... *neque enim aequalis, sed similis* dicitur missio Apostolorum ».

Remanet examinanda doctrina Pontificia. Estne verum papas Leonem XIII et Pium XII docuisse identitatem univocam inter missionem Christi a Patre et missionem apostolorum a Christo;

inter munus et officium Christi, et munus ac officium Ecclesiae? Ita opinatur Salaverri; sed, ni toti fallimur, errat, et vehementer errat. Certa quaedam communitas et identitas muneris et officii inter Christum et apostolos indubie docetur ab his papis in suis Encyclicis, ut ostendunt documenta et testimonia collecta et citata a Salaverri: at surgit quaestio summi momenti summaeque gravitatis; quomodo sit intelligenda praefata communitas et identitas. Si haec identitas intelligitur perfecta et univoca, vitari vix potest gravis oppositio, conflictus insanabilis inter doctrinam revelatam evangelicam, et doctrinam pontificiam ecclesiasticam. Ostendimus ex evangelio et epistulis Ioanneis Christum habuisse missionem redemptricem qualem non habet Ecclesia. Pater misit Christum ad redimendum mundum universum: Christus non misit apostolos ad mundum iterum redimendum, sed ad applicandos fructus redemptionis. Habita ergo prae oculis hac manifesta doctrina evangelica et apostolica, iam a priori redditur inverisimile Leonem XIII et Pium XII potuisse docere in suis Encyclicis doctrinam contrariam. At non desunt explicita testimonia. Legantur quae scribit Pius XII in Encyclica « Mistici Corporis » n. 43 edit. Gregor.:

« Dum enim in Cruce emoriens, immensum Redemptionis thesaurum Ecclesiae suae, *nihil ea conferente*, dilargitus est; ubi de eiusmodi thesauro *distribuendo* agitur, id efficiendae sanctitatis opus non modo cum incontaminata sua Sponsa *communicat*, sed ex eius etiam opera vult quodammodo oriri ». Fit ergo clara distinctio inter *acquisitionem* thesauri, et eius *distributionem*. Thesauri Redemptionis acquisitio (redemptio obiectiva) fit a solo Christo sine ullo Ecclesiae ministeriali concursu; thesauri vero distributio (redemptio subiectiva) fit cum activo Ecclesiae ministeriali concursu. Encyclica ergo clare distinguit duplex Christi munus et officium: unum quod habet Christus sibi proprium et exclusivum quod Ecclesiae *non communicat* = officium redimendi mundum; aliud quod habet Christus commune cum Ecclesia = applicare fructus redemptionis. Identitas ergo inter munus ac officium sacerdotale Christi, et munus ac officium sacerdotale Ecclesiae non est, secundum Pium XII, perfecta et univoca sed est imperfecta et analoga.

Eadem doctrina proponitur a Pio XII vel in ipsis locis ac testimoniis citatis a Salaverri. Legamus eius verba: « Tan son las mismas que el divino Verbo sigue ejerciéndolas sin cesar como causa primaria y principal, concediendo tan solo a la Iglesia una participación ministerial en ese ejercicio, por la que fuese vigoroso e indefectible instrumento del Verbo hecho carne *en el reparto de los frutos divinos* de la Redención (in divinis Redemptionis fructibus impertiendis), como llega a afirmar Pio XII ». Ergo agitur evidenter non de *acquisitione* bonorum Redemptionis, sed de ipsorum *distributione.* Ex his ergo verbis pontificiis nequit demonstrari id quod intenditur: « que las potestades de la Iglesia no son otras, ni solamente semejantes, sino *las mismas potestades mesiánicas* de Cristo ». Siquidem Christus praeter hanc potestatem distribuendi bona Redemptionis, quam *Ecclesiae communicat,* habet aliam potestatem messianicam, potestatem nempe *acquirendi* praefata bona Redemptionis, quam *Ecclesiae non communicat.* Identitas ergo potestatum (Christi et Ecclesiae) non est eadem (la misma) identitate perfecta et *integrali,* sed imperfecta et *partiali*; aliis verbis: semper manemus intra limites analogiae seu similitudinis, et numquam devenitur ad *aequalitatem,* ut recte notabat Franzelin.

Sed nequaquam in isto sunt omnia: Aliae quoque potestates messianicae commemorantur in hac ipsa Encyclica Mystici Corporis, quas Christus Ecclesiae nullatenus communicat: talis est potestas elargiendi Spiritum, de qua Pontifex sic loquitur: « Hunc Spiritum proprio effuso cruore Christus nobis in Cruce promeruit; hunc denique super Apostolos efflans, Ecclesiae ad remittenda peccata largitus est ». Habes hic duas potestates messianicas quas Christus possedit quidem, Ecclesiae tamen non communicavit: primo potestas merendi Spiritum in Cruce; dein potestas largiendi Spiritum ad remittenda peccata quam Christus exercuit in die resurrectionis *instituendo ritum sacramentalem* sine ullo Ecclesiae concursu ministeriali. Idem dicatur de potestate *acquirendi Ecclesiam* (Act. 20, 28), de potestate fundandi Ecclesiam, de potestate instituendi sacrificium eucharisticum, sacramenta, etc. Hac omnes potestates sunt messianicae, quas Chris-

tus ipse habuit, sed Eclesiae non communicavit. Nequit ergo asseri quod Ecclesia habet *easdem* potestates messianicas, quas habuit Christus.

Nostrae argumentationis conclusio est: Missio apostolorum a Christo, de qua loquitur Ioannes in evangelio (20, 21), est quidem *similis* missioni Christi a Patre, non tamen *aequalis*: Ecclesiae sacerdotium, magisterium, et imperium est *simile* sacerdotio, magisterio, et imperio Christi, non tamen penitus *identicum* sensu univoco: ne quid nimis. Salaverri de la Torre fuit auctor duplicis deformationis doctrinalis in hac materia: priori deformavit doctrinam evangelicam; altera deformavit Encyclicas pontificias. Utraque deformatio habet radicem ultimam in praevia corruptione *methodologica.* Encyclicas pontificias revereri, certa Ecclesiae lege iubemur; Encyclicas pontificias interpretari *citra analogiam fidei* divinae et catholicae, sanae methodologiae postulatis prohibemur. Advertas ergo quomodo imperitia biblica, coniuncta cum pruritu argumentandi ex Encyclicis pontificiis *levius consideratis,* in causa esse potest quare sana methodus theologica deturpetur, et sacri depositi puritas gravi discrimini obiiciatur. Novas deformationes methodologicas et doctrinales recenter inductas considerabimus in decursu nostrae tractationis.

Conclusio: Egimus de obiecto theologico, de munere theologico, de methodo theologica. Brevitatem sectantes, alias quaestiones introductorias praetermittendas putavimus, quippe quae ad nostrum scopum minus pertinebant. In methodologia peculiari modo immorati sumus, quia totam hanc de methodo theologica quaestionem gravissimam esse censemus et momento theologico plenam. Si sacrae scientiae gressus et progressus adeo lenti et incerti esse iure videantur, huius rei causam non aliam esse putamus, quam rectae methodi defectum. Quum de methodo theologica agitur, quaestio principalis, ut supra notavimus, in eo est, qualiter praeparanda ratio, qualiter educanda ratio humana, ut in omni stadio complexi laboris theologici recte et fructuose adhiberi possit. Sacram Scripturam *animam Theologiae* nuncupavit Leo papa XIII: materia ergo theologica universa deberet magis biblico spiritu permeari, biblica ubertate ditari, biblico sapore

condiri, biblica firmitate solidari. Quo die ad magisterium theologicum sive orale sive scriptum seligentur viri vera vocatione praediti; ampla, solida, technica praeparatione armati; suo ministerio totaliter consecrati, eo ipso aperietur munitissima via ad praeparandos et maturandos legitimos sacrae scientiae progressus. Haec porro via aperta iam quodammodo censeri possit zelo et opera ipsius Ecclesiae in nova Ecclesiasticorum studiorum ordinatione. Ubi candidati ad Lauream constringuntur thesim aliquam elaborare methodo vere scientifica, et candidati ad magisterium debent frequentare cursus speciales sub ductu et vigilantia idoneorum magistrorum, ut ad legem methodi severioris in omni stadio theologico uberius informentur et impensius exerceantur.

INTRODUCTIO SPECIALIS

IN ECCLESIOLOGIAM

Quinque erunt puncta tractanda in hac introductione speciali: videlicet, totius huius tractatus origo materia forma seu structura fontes methodus.

Origo imprimis problematis ecclesiologici ibi iure reponitur, ubi finem habet tractatus de vera Religione. Hic porro tractatus finem habet in sic dicta *demonstratione christiana*; ubi apologetice demonstratur divina origo christianismi seu religionis a Christo fundatae. Peracta vero demonstratione christiana, surgit quaestio de modo quo Christus suae religioni conservandae ac propagandae providere voluit: utrum libris divinitus inspiratis, quos singulis christianis legendos, audiendos, interpretandos permiserit, quae est opinio Protestantica; an potius erecto aliquo organismo ecclesiastico, cui munus fideliter custodiendi sacrum revelationis et gratiae depositum tradiderit, quae est conceptio catholica. Ergo ostendendum praeprimis est, rursus apologetice, Christum suum opus sive propheticum annuntiandi *Regnum Dei,* sive sacerdotale redimendi genus humanum, complevisse opere regali, instituendo nempe *Ecclesiam suam,* cui commisit tum integrum depositum revelationis custodiendum ac explicandum, tum media salutis administranda.

Obiectum materiale integrum Ecclesiologiae multiplex est: *a*) Ecclesia considerata in sua existentia, in sua essentia, in suis proprietatibus, in suis notis, in sua habitudine ad Regnum Dei *b*) Ecclesia considerata in suis potestatibus: in suo sacerdotio, in suo magisterio, in suo imperio, in sua habitudine ad Christum, cuius est quaedam continuatio et quasi prolungatio pleromatica *c*) Ecclesia considerata in sua constitutione externa sociali, iuri-

dica, hierarchica, monarchica; hinc de Collegio apostolico, episcopali, de primatu petrino et romano iugiter continuando - *d*) Ecclesia considerata in sua constitutione interna et pneumatica, seu de Ecclesia corpore Christi mystico: hinc de membris, de ipso corpore, de capite, de anima corporis mystici, de nostra cum Christo solidaritate. Integra Ecclesiologia posset exhiberi et ordinari sequenti quadrilatero: Regnum Dei = Ecclesia Christi = Ecclesia R. catholica = Corpus Christi mysticum in terris.

Forma seu structura tractatus de Ecclesia varia esse potest, et diversissima reapse apparet apud Auctores: vix reperias duos plene consentientes circa modum ordinandi totam materiam ecclesiologicam. Tota haec diversitas ex duplici potissimum capite derivatur: primo quidem ex eo quod materia ecclesiologica integralis constat elementis tum apologeticis, tum dogmaticis; haec porro bina elementa vel possunt permisceri ac mutuo temperari, vel possunt etiam dividi ac penitus separari: compago proin ac structura totius tractatus erit vehementer diversa prout quis seligat unam vel alteram hypothesim. Alterum diversitatis caput exinde oritur, quod ipsa demonstratio apologetica et catholica diversimode ordinari potest.

Triplicem viam frequentare consueverunt apologetae christiani in sua demonstratione catholica. Quam ut plenius intelligas, accipe exemplum ex vita et experientia quotidiana desumptum. Personae physicae, puta Petri, triplex imago photographica dari potest: primo quidem imago brevior ac decurtata referens solam figuram capitalem seu facialem. Imago dein plenior exhibens integram compaginem organicam. Dari demum potest imago dynamica ac cinematographica quae Petrum exhibet ambulantem, loquentem, subridentem, varie gesticulantem. Age iam: personae quoque moralis et ecclesiasticae, qualis est sponsa Christi, triplex rursus imago dari potest et reapse datur divina ac prophetica sponsi luce et praedicatione expressa. Datur primum imago brevior referens regalem capitis figuram et maiestatem. Hinc *via primatus*, cuius schema protulit Ambrosius: ubi Petrus, ibi Ecclesia. Datur dein imago plenior exhibens totam compaginem ec-

clesiasticam, triplici unitatis cingulo connexam et compactam, catholica diffusione auctam et dilatatam, apostolico et hierarchico fulcro sustentatam, sanctitate et venustate collucentem, in coetu romano-catholico realizatam. Hinc *via notarum* cuius schema praeformaverunt apologetae catholici in sua controversia cum protestantibus, quam Pius IX sua auctoritate sancivit. Datur demum imago Ecclesiae dynamica et quasi cinematica, quae Ecclesiam profert in actione et motu vitali positam. Hinc *via empirica* seu transcendentiae, cuius schema expressit Concilium Vaticanum: « Quin etiam Ecclesia *per se ipsa*, ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem, magnum quoddam et perpetuum est *motivum credibilitatis* et divinae suae legationis testimonium irrefragabile ». Denzinger, n. 1794.

Triplex est ergo via demonstrationis catholicae: via primatus, via notarum, via transcendentiae. Via primatus procedit sic: Christus instituit Ecclesiam suam super primatum petrinum perenniter continuandum in suis legitimis successoribus. Ibi ergo erit vera Christi Ecclesia, ubi est legitimus Petri successor in primatu. Atqui legitimus Petri successor fuit semper et est nunc romanus Pontifex. Ergo ... Breviter cum Ambrosio: ubi Petrus ibi Ecclesia Christi. Atqui Petrus Romae. Ergo ... — Via notarum procedit sic: Christus promisit et praedixit Ecclesiam suam futuram esse unam, sanctam, catholicam et apostolicam. Atqui quatuor hae proprietates reperiuntur tantum in Ecclesia romana-catholica. Ergo ... — Via empirica seu transcendentiae procedit sic: Ecclesia romana-catholica asserit se esse unicam veram Ecclesiam Christi. Atqui Deus approbat hoc testimonium. Profecto, Ecclesiae Romanae origo, diffusio, stabilitas, catholica unitas, sanctitas, multiformis foecunditas est miraculosa, ideoque implicat singularem Dei interventum. Atqui Deus prae sua infinitate veracitate et sanctitate nequit originare, diffundere, stabilire, sanctificare, foecundare Ecclesiam quae falso sibi attribuit originem divinam. Ergo Deus pragmatice approbat testimonium Ecclesiae romanae de se ipsa.

Hae tres viae si ad invicem comparentur, apparet quod via primatus et via notarum habent processum communem: videlicet *ex Christo ad Ecclesiam* = ex Christo promittente et praedicente veram suae Ecclesiae figuram sive capitalem, sive organicam totalem, ad Ecclesiam Romanam in qua una realizatur haec Christi promissio et prophetia. Via transcendentiae e contra habet processum inversum: *Ex Ecclesia ad Christum* = videlicet ex Ecclesia romana sibi attribuente originem Christianam et divinam ad Christum Deum approbantem hoc tale testimonium.

Haec quum ita sint, oritur problema practicum et pedagogicum: Quaenam via frequentanda in demonstratione catholica. Auctores dividuntur: Multi praeferunt viam primatus, quam putant efficacissimam, obviam, a Patribus frequentatam iam inde ab Irenaeo, Cypriano, Ambrosio ... At resistit Schultes, pro quo haec via non est efficax. Resistit quoque de la Brière, qui plenam eius efficacitatem admittit quidem, at putat eam esse inopportunam in controversia cum antiromanis. — Alii praeferunt viam notarum, utpote securam et vere traditionalem inde a controversia cum protestantibus; at resistit Thils, qui viam notarum putat olim quidem utilem, hodie vero confusam, nimis complexam, vix efficacem. — Alii demum praeferunt viam empiricam seu transcendentiae a Cardinali Dechamps longe evolutam, in Concilio Vaticano signanter notatam et commendatam.

Quid dicendum? *a*) Quod attinet coniunctionem vel separationem partis apologeticae et dogmaticae, concedenda videtur singulis auctoribus maxima libertas, modo sufficienter evitetur sive petitio principii, sive circulatio vitiosa: mihi praeplacet separatio et divisio utriusque territorii. *b*) Quod attinet selectionem viae frequentandae, praeferenda mihi videtur *via integralis*, in qua demonstratio catholica inchoatur via primatus — perficitur et roboratur via notarum — completur demum et consummatur per viam empiricam. Licebit notare id quod opportune observavit Rivière contra Thils. Omnes et singulae hae tres viae *in seipsis* sunt optimae, sed practica ipsarum efficacia dependet ex *modo quo proponuntur*. Negari nequit has vias, praesertim vero viam nota-

rum, saepe saepius proponi nimia brevitate et levitate; inde dubia et recentes querelae.

Fontes seu sedes argumentorum pro tractatu sunt tres: Scriptura, Traditio, ratio humana. Praecedit ergo Scriptura seu libri sacri Antiqui et Novi Testamenti, inter quos principem locum obtinent Evangelia, Actus apostolorum, epistulae Paulinae. Haec scripta aliter sumuntur in tractatu apologetico et dogmatico de Ecclesia. In parte dogmatica libri utriusque Testamenti considerantur ut *inspirati,* hinc ut summam habentes auctoritatem ratione auctoris principalis et divini. Inspirationis factum supponitur probatum in alio tractatu. In parte apologetica hi libri spectantur ut *historici* et pure humani. Horum vero authentia, integritas et plena historicitas alibi demonstratur; nihilominus cum agitur de textibus, qui pro nostro scopo sunt fundamentales, obiectiones ab adversariis motas diligenter examinabimus. Hoc unum liceat addere: auctoritate historica evangeliorum semel demonstrata, et divina Christi missione in tuto collocata, valor testimonii Christi agnoscendus est ut vere divinus et infallibilis.

b) Accedunt monumenta traditionis christianae: scripta videlicet Patrum, Doctorum, apologetarum; ipsa quoque scripta haereticorum non raro usui et subsidio esse poterunt. De his etiam documentis valet distinctio superius notata, id est, quod aliter et aliter sumuntur, prout agatur de parte apologetica vel dogmatica tractatus. In parte dogmatica valor testimoniorum mensuratur habita prae oculis relatione auctorum cum magisterio ecclesiastico (traditio dogmatica). In parte vero apologetica valor testimoniorum totus quantus pendet ex scientia et veracitate humana auctorum (traditio historica).

c) Tertius fons argumentationis in Ecclesiologia est ratio humana. Ecclesiologia in sua utraque parte, apologetica nempe et dogmatica, est veri nominis *scientia.* Elaboratio porro scientifica huius tractatus tota quanta est opus rationis speculantis, argumentantis, ordinantis, systematizantis. Vides iam quod *obiectum formale quo,* seu lumen ecclesiologicum integrale est triplex:

lumen Dei revelantis — lumen rationis speculantis — lumen magisterii dirigentis et sancientis. Per se patet hoc tertium magisterii lumen recurrere ubi agitur de parte dogmatica tractatus.

Methodus ecclesiologica: Ecclesiologia potest tractari duplici methodo: apologetica videlicet et dogmatica. Hinc oritur quaestio, quae mire exercuit ingenia apologetarum: quae methodus adhibenda in exploratione et expositione ecclesiologica. Auctores dividuntur et digladiant inter se. Sunt qui delectantur methodo stricte et exclusive apologetica: aliis praeplacet methodus dogmatica: alii demum praeferunt methodum mixtam, quae utroque elemento concurrente constituitur, apologetico et dogmatico. At tota haec quaestio nequit convenienter discuti et solvi nisi prius accurate determinetur germana notio methodi sive dogmaticae sive apologeticae.

Methodus dogmatica procedit via auctoritatis, et quidem duplicis = Dei revelantis, et Ecclesiae docentis. Hinc patet methodum dogmaticam bifariam accipi posse: stricte et latius. Methodus dogmatica strictior habetur ubi argumentatio innititur auctoritati magisterii ecclesiastici *authentici et infallibilis*; methodus dogmatica latior recurrit ubi argumentatio est innixa auctoritai Ecclesiae docentis authentice quidem, at non peremptorie et infallibiliter, id quod frequentissime accidit. In methodo dogmatica Scriptura consideratur ut liber divinitus *inspiratus;* documenta vero traditionis christianae spectantur sub respectu dogmatico, id est, in sua relatione cum magisterio et approbatione ecclesiastica.

Methodus apologetica procedit via criticae inquisitionis. Haec porro crisis et inquisitio potest esse multiformis: primo quidem *historica,* quae recurrit cum agitur de probandis seu demonstrandis factis aut testimoniis historicis; dein *philosophica* quae adhibetur cum agitur sive de effectibus ad suas causas revocandis, sive de veritatibus speculativis ad prima et evidentia principia reducendis; critica erit *exegetica* si agitur de textibus potissimum biblicis interpretandis, etc. In methodo apologetica Scriptura con-

sideratur ut liber historicus, et non praecise ut inspiratus; idem dixeris de documentis traditionis, quae et ipsa spectantur sub respectu pure historico.

Methodus mixta dici solet, ubi argumentatio instituitur concurrente duplici elemento, apologetico nempe et dogmatico: sic demonstrantur veritates virtualiter revelatae seu conclusiones theologicae. Practice methodus adhibita in theologia dogmatica solet esse vix non semper mixta, quandoquidem argumentatio sive biblica, sive patristica fit concurrente crisi et exegesi rationis humanae. Ut clarius appareat discrimen inter methodum dogmaticam et apologeticam, consideremus casum concretum. Una eademque veritas v. gr. primatus iuridicus Petri potest demonstrari duplici modo: dogmatice et apologetice. In methodo dogmatica textus evangelicus Mt. 16, 18-19 consideratur ut inspiratus; interpretatio vero huius textus fit auctoritate et magisterio infallibili Concilii Vaticani. In argumentatione seu methodo apologetica textus evangelicus consideratur ut pure historicus; interpretatio vero textus evangelici fit crisi et exegesi rationis humanae.

Hisce notatis et praestabilitis, quaestio de methodo adhibenda in Ecclesiologia solvitur modo sequenti: *a*) Methodus ecclesiologica *in suo initio* debet esse *pure apologetica*, nullatenus dogmatica: profecto methodus dogmatica praesupponit magisterium authenticum et infallibile Ecclesiae romanae; sed hae duae veritates, videlicet, veram Christi Ecclesiam esse infallibilem, et veram Ecclesiam esse Romanam non possunt gratis praesupponi, sed debent solide demonstrari. Ista porro demonstratio (prima) nequit fieri methodo dogmatica; secus enim haberetur manifesta *petitio principii*. Methodus ergo ecclesiologica in suo initio debet esse pure apologetica. Hac methodo debent examinari et solvi priora problemata qualia sunt: Ecclesiae divina et socialis institutio — Ecclesiae visibilitas — Ecclesiae perennitas ac indefectibilitas — Ecclesiae romanitas. Hisce veritatibus apologetice demonstratis et constitutis, patet iam accessus ad methodum et tractationem dogmaticam.

b) Methodus ergo ecclesiologica *in suo progressu et continuatione* potest esse sive dogmatica, sive apologetica, sive mixta. Qua in re debet singulis auctoribus concedi ampla et aequa libertas. Nemo exigat ab aliis id quod sana ratio et sacra Ecclesiae auctoritas a nemine exigit.

c) Ad hanc ergo normam disposui methodum et expositionem nostri tractatus de Ecclesia Christi, ita ut *initia* sint pure apologetica, *progressus* erunt apologetico-dogmatici; *novissima* demum (tractatus de corpore mystico) erunt eminenter et praevalenter dogmatica. Sunt qui reprobant usum *methodi mixtae*, quippe quae sit perfecte inutilis. Quorsum spectat — aiunt — demonstrare aliquam veritatem via apologetica, si iam de ea constat via dogmatica, et viceversa? Sed hi omnes misere decipiuntur et graviter errant nescientes commoda huius methodi mixtae. Sicut utile est et vere proficuum demonstrare veritatem Ecclesiae Romanae via notarum vel via empirica, quamvis de hac veritate plene constet per viam primatus, sic etiam utile esse potest unam eandemque thesim probare tum via critica et scientifica, tum via dogmatica et auctoritativa. Accedit singularis utilitas pro illis lectoribus vel auditoribus antiromanis seu acatholicis qui via et argumentatione dogmatica nullatenus commoventur.

Ordinem et dispositionem materiae in hoc primo volumine dabit *quadruplex sectio* quae describitur in praefatione in partem priorem apologeticam.

Haec nova et sexta editio non multum differt a praecedenti. En principales innovationes: Praemisimus introductionem generalem in theologiam universam — Ipsam introductionem specialem in Ecclesiologiam auximus et perfecimus — Sermonem Christi eschatologicum ulterius illustrare contendimus — Habitudinem Ecclesiae ad Regnum Dei potiori in luce collocare studuimus — Varia argumenta et demonstrationes reformare et roborare conati sumus — Biblicum praeprimis argumentum pro primatu Petrino ulterius illustrare et confirmare sategimus ampliori analysi metaphorae *clavium* — Thesim IX de perennitate primatus Petrini

aliquatenus reformavimus; dubia vero et difficultates recenter mota contra successionem Petri a Doctore *O. Cullmann* examinavimus et dissipavimus in apposito scholio.

Faxit Deus ut hae qualescumque de Ecclesia Christi apologeticae disquisitiones aliquali subsidio et solatio esse possint tum cunctis universim lectoribus, tum vel maxime carissimis huius nostrae Universitatis Gregorianae alumnis, in quorum utilitatem haec quoque nova editio proxime destinatur.

Professores Seminariorum, qui hoc nostro libro tamquam textu utuntur, modo speciali rogamus et hortamur ut velint nobis significare ea quae maxime desiderantur pro intento scopo doctrinali et pedagogico, idque sive privatis colloquiis (etiam scriptis), sive publicis recensionibus. Qua in re liceat in memoriam revocare leviores recensiones genericas et nimium laudatorias esse perfecte inutiles, longiores vero recensiores studio partium inspiratas, personalibus praeoccupationibus dictatas, et polemico ardore imbutas, non tantum evangelico spiritui esse contrarias, sed ipsi quoque indoli et profectui scientifico vehementer nocivas. Talis sine dubio fuit ampla quaedam recensio recenter edita in quodam commentario hispanico et matritensi de meo opere ecclesiologico. Ubi elogia quidem non desunt amplissima, praevalent vero et eminent exaggerationes, deformationes, gratuitae suppositiones, graves confusiones, audaciores ingressus in stadium vetitum. Cf. Estudios Eclesiásticos, vol. 29, a. 1955, p. 217 sq.

PRAEFATIO

IN PARTEM PRIOREM APOLOGETICAM

Notatione digna est frequentia qua vox « Regnum Dei » « Regnum coelorum » recurrit in narratione evangelica. Hoc themate inchoat Iesus suum magisterium publicum (Mt. 4, 17). Inceptam praedicationem sub eodem themate continuat progrediente ministerio (Mt. 9, 35). Quin imo apertis verbis profitetur se esse missum ad praedicandum Regnum Dei (Lc. 4, 42-43). Hinc quum apostolos suos primo ad praedicandum mittit, idem Regnum caelorum annuntiandum eisdem imponit (Mt. 10, 7). Ad idem thema quadam quasi suggestione redit post mortem et resurrectionem suam (Act. 1, 1-3).

Ex his omnibus patet punctum vere centrale in universa Christi praedicatione esse Regnum Dei, Regnum caelorum. Clare id perspexit Bousset scribens: Quamdiu hoc Regnum mysteriosum non sit penitus intellectum, vera Christi mens restabit occulta et inaccessa. Quicumque autem error evenerit circa hoc Regnum, fieri non poterit quin habeat pessima consectaria, quippe quae pervadent totum nostrum coaetaneum christianismum. Quam sit hoc veraciter dictum, ad oculos ostendit historia recentior. Hoc quippe punctum de Regno Dei est a criticis hodiernis sagaciter selectum ad oppugnandas omnes catholicorum positiones ecclesiologicas. Perspectum illis erat, perturbata vel obscurata vera notione evangelica Regni Dei, illico pessumdari ipsa fundamenta quibus innititur dogma catholicum de Regno Dei a Christo hisce in terris constituto.

Duae theoriae maximam celebritatem nactae sunt nostris temporibus. Prima est interpretatio *eschatologica* Regni Dei, quae in castris modernistarum penitus triumphavit. Altera est interpretatio Regni *mere interni*, quae patronos habet insignes in schola

protestantica liberali. His opponenda est genuina et catholica conceptio his gradibus apologetice procedens:

I. De Regno Dei a Christo *annuntiato,* interno simul et externo, collectivo, universali seu supranationali, hisce in terris inchoato, in stadio eschatologico consummando.

II. De Regno Dei a Christo *instituto* in forma stricte sociali, visibili, perenni a indefectibili.

III. De Regno Dei a Christo *constituto* in forma hierarchica, monarchica, item perenni, seu de institutione cum *apostolatus* in Collegio duodecim, tum *primatus* in Petro.

IV. De Regno Dei *realizato* in ecclesia Romano-Catholica. Quam ut veram Christi ecclesiam notificant: *Praeprimis* perennis petreitas fundamenti cui innititur (via romanitatis). *Secundo* unitas catholica, apostolicae successioni inhaerens, conspicua et multiformi sanctitate collucens (via notarum). *Tertio* ipsa totius vitae ecclesiasticae transsaecularis transcendentia (via empirica). Sit ergo

THESIS I

Regnum Dei quod Christus annuntiavit non est mere eschatologicum, sed evolvitur partim super terram, perficiendum in caelis.

Praenotanda

Regnum generatim sumptum denotat specialem societatis formam in qua summam regendi potestatem detinet et exercet persona aliqua particularis (rex) et quidem iure proprio, non ex deputatione civium. Regnum potest spectari active et passive. *Active* sumptum significat potestatem regiam vel dominationem, quam rex exercet in societate. *Passive* consideratum denotat cives seu homines, qui dominationem regiam libere agnoscunt eique se subiiciunt. Aliquando sumitur pro ipso territorio in quo rex suam dominationem exercet. Hinc patet in conceptu regni *adaequate* spectati tria simul elementa implicari: *a*) personam

regis cum sua potestate; *b*) cives regi subiectos; *c*) territorium cum omnibus eidem annexis.

Regnum Dei est dominatio regalis super mundum vel populum aliquem a Deo exercita et ab hominibus agnita. Regnum Dei duplex distingui potest: aliud naturale, aliud supernaturale. *Naturale* est regnum seu dominatio Deo competens vi creationis. Quam dominationem Deus exercet in homines quidem ope legis naturalis in animis eorum insculptae, in reliquas vero creaturas irrationales vi legum physicarum quas Auctor naturae eisdem impressit. *Supernaturale* est regnum seu dominatio Deo competens ratione bonorum quae speciali et positiva sua voluntate hominibus vel populo alicui concessit citra omnem huius exigentiam et potestatem. Regnum Dei supernaturale iterum duplex: aliud *particulare* seu nationale, aliud *generale* seu supranationale. Prius, locum habuit in Antiquo Foedere, quod pepigit cum populo Israël, quem in peculium selegit, unde semen messianum pullularet. Alterum seu universale verificatur (ut videbimus) in Novo Testamento, in quo, sublato omni privilegio israëlitico, omnes populi et gentes evocantur ad participanda bona messiana in novo Regno a Filio hominis erecto.

Vox Regni Dei recurrit tum in *libris A. T.* (meluchâh, mamlachâh, mamlachût, malchût) tum in *versione Alexandrina* (βασιλεία, δεσποτεία, δυναστεία, ἐξουσία) tum vel maxime in *scriptis N. T.* (Regnum Dei, Regnum caelorum, Regnum Patris, Regnum Filii hominis, Regnum ...). Porro notio biblica Regni sat complexa apparet in N. T., quippe quae sit apta significare universim quidem novum rerum ordinem a Messia instauratum, particulatim vero personam regis messiani, regiam potestatem seu dominationem, bona messiana, Ecclesiam, gloriam caelestem ... Hinc sollerti vigilantia opus est ad determinandum praevalens in singulis casibus momentum gratiosum, ethicum, ecclesiasticum, caeleste, eschatologicum etc.

Regnum Dei eschatologicum est idem ac regnum ultimum et definitivum. Hoc ultimum intelligi potest duplici sensu: physico nempe seu materiali, et religioso. In prori casu habetur sic dicta *saeculi consummatio;* hinc regnum eschatologicum *absolute* tale, quippe cuius initium coincidit cum fine absolute ultimo huius mundi. In altero casu habetur postrema aetas religiosa huius mun-

di seu epocha messiana; hinc regnum eschatologicum *relative* tale. Notum quippe est tempora messiana saepe in N. T. vocari novissima seu eschatologica; sunt enim et veteris oeconomiae completiva, et saeculi consummationem immediate praecedentia. Patet iam quid differat inter Regnum Dei eschatologicum, et *mere* eschatologicum. Hoc concluditur unico stadio, eoque definitivo ac caelesti. Illud habet duplex stadium: unum imperfectum et inchoatum in terris, alterum perfectum consummatum in caelis.

Interpretatio eschatologica Regni Dei

Eschatologismo ansam praebebant libri quidam apocryphi aetate circiter Christi conscripti, recentius in lucem editi. Ex his apparet fervens quaedam expectatio, eo tempore apud iudaeos vigens, regni cuiusdam messiani ac gloriosi mox in Israël instaurandi. Quo posito, nihil iam mirum si quosdam criticos rationalistas maxime in Germania tentatio apprehendit humana attribuendi Iesui Nazareno similes praeoccupationes messianas et eschatologicas. Sic *W. Baldensperger* (Das Selbsbewusstsein Iesu in Lichte der messian. Hoffnungen seiner Zeit), *A Schweitzer* (Geschichte der Leben Iesu Forschung), potissimum vero *Ioannes Weiss*, cuius opusculum (Die Predigt Iesu vom Reiche Gottes) ingentem animorum commotionem provocavit. Modernistarum placita potenter evulgabat in Gallia *Alfredus Loisy*. Cuius pronuntiata maiora, praesentem quaestionem quod attinet, ad haec fere revocari possint.

a) Primo quidem opinatur Loisy et fortiter contra Harnack contendit Regnum Dei a Christo annuntiatum esse essentialiter collectivum et sociale, sed totaliter alienum a conditionibus huius vitae praesentis. Christo historico nulla fuit cura de opere suo hisce in terris perpetuando, nec sollicitus ille umquam fuit de organismo aliquo sociali stabiliendo in hoc mundo, *cuius finis iamiam adventaret*. Cum Iesus exclamat: « Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum caelorum », evidenter respicit illum, quem imminere iam putat, splendidum divinae iustitiae triumphum, quem excipiet subitanea rerum omnium transformatio et gloriosa Messiae exaltatio.

b) Post mortem Christi initium fit intra conscientiam christianam lenti cuiusdam at continui laboris, cuius ope effata Christi temperantur et sensim sine sensu modificantur ita ut apte possint cohaerere cum historica evolutione nascentis ecclesiae. Nihil ergo mirum si primigenium prospectivium eschatologicum appareat in evangeliis synopticis obscuratum et quasi decoloratum. At critica interna facile detegit in evangeliis duplicem textuum seriem: aliam eschatologicam, quae Iesum habet auctorem; aliam non eschatologicam et magis ecclesiasticam, quae tota ad redactores evangelistas est referenda.

c) Ergo iacet abyssus magna inter authenticum Christi evangelium et nostram Ecclesiam, quam ille nec praevidit nec expectavit. Nihilominus Ecclesia reapse orta est a primaeva illa impulsione religiosa a Christo excitata, et vero aliquo sensu potest illa ad Christum tamquam suum auctorem revocari. Ecclesia ergo fuit, ad mentem Loisy, *quoddam consectarium inexpectatum, sed legitimum,* praedicationis Christi de Regno Dei. Iesus inchoavit motum religiosum cuius terminum naturalem *nec praevidit nec intendit.*

d) Fundamenta huius theoriae partim sunt philosophica, partim biblica. Priora nituntur apriorismo rationalistico. Modernistae non admittunt possibilitatem revelationis supernaturalis; Christum vero considerant ut purum hominem, sensu quidem et experientia religiosa insignem, qui tamen turpiter erraverit in diiudicanda sua missione. Graviora iure videri possint fundamenta biblica, quibus Modernistae innituntur. Provocant ad quaedam Christi effata a synopticis enarrata, in quibus parousia Messiae ut factum imminens exhiberi videtur. Potiora sunt Mt. 10, 23; 16, 28; 24, 34; 26, 64.

Status et limites quaestionis

a) Quaestio in praesentiarum non est de messiana expectatione sive plebis sive apostolorum, sed de ipsa mente Christi; qualiter nempe ipse intellexerit centrale suae praedicationis thema de Regno Dei. Porro legenti evangelia evidens fit Regnum caelorum a Christo annuntiatum esse *essentialiter eschatologicum*:

neque enim ultimam suam perfectionem obtinebit nisi post iudicium finale, in quo sortes hominum definitivae constituentur. Ideo ab hoc puncto speciatim probando supersedemus, quum sit res ab adversariis concessa, et in libris N. T. adeo frequenter repetita et inculcata.

b) At negamus illud in mente Christi esse *mere eschatologicum*. Christus non mere *expectavit Regnum Dei brevi appariturum*, sed praedicavit Regnum Dei *iam praesens in hac vita*, eo videlicet sensu, quo et Deus dominationem suam exercet in animis hominum, et hi vere participant his in terris bona messiana.

c) Concedi potest imo et debet stadium hoc terrenum Regni Dei esse *relative eschatologicum*, quatenus est et veteris oeconomiae completivum, et vere ultimum ante finem mundi. Ceterum per se patet illud esse imperfectum, sive spectetur dominatio Dei in animis hominum, sive consideretur gradus quo participantur illa bona messiana. Etenim oportet Christum regnare donec ponantur omnes inimici sub pedibus eius. Regnum Dei tunc demum evadet perfectum, cum *Deus sit omnia in omnibus* (I Cor. 15, 28).

d) Duo in thesi probanda assumimus: 1° Christum annuntiasse Regnum Dei *iam praesens in hac vita;* 2° Christum nuspiam asseruisse vel insinuasse *proximitatem parousiae* vel finis mundi. Prius ostendemus *positive*, allatis expressis Christi testimoniis. Alterum praestabimus *negative*, solutis adversariorum argumentis. Nulla fere difficultas continetur in parte priori et positiva; hinc moderata quadam brevitate illam exponemus. At probatio negativa complicatior est, quam ut possit breviter et perfunctorie expediri; ideo fusiori calamo et accuratiori examine illam persequemur. Vides quaestionis *gravissimum momentum*. Etenim si Christus erraverit in quaestione parousiaca, actum iam est de eius divinitate, immo et de vera ipsius legatione; actum est de divina Ecclesiae origine deque iis omnibus quae divinae huic origini innituntur. Hanc gravitatem non sat percepisse videtur *Salaverri*, qui miratur et carpit extensionem nostrae tractationis in sua parte negativa (18 páginas de letra menuda, o. c. p. 225). Nobis videretur miranda potius brevitas et levitas qua ipse S. tractat hanc quaestionem.

Probatur thesis

Prima series argumentorum confici potest ex parobolis.

1. Primo loco commenmorandae veniunt illae septem a Mt. c. 13 collectae: in quibus Christus explicat ortum, progressum et consummationem Regni Dei. Prima parabola *de seminante* exhibet *genesim* huius regni. Quod oritur hinc seminatione seu praedicatione verbi, inde libera auditorum susceptione et cooperatione, cuius varii gradus varios in cordibus fructus provocant: centesimum, sexagesimum, trigesimum vel nullum. Altera de *zizaniis* ostendit tum seminationem, tum germinationem regni fieri in agro huius mundi, ubi, agente diabolo, simul conseminantur et concrescunt zizaniae, quorum utraque sinuntur crescere usque ad tempus messis. Tertia de *grano synapis* portendit magnificam vim expansivam Regni Dei. Quod parva atque humilia initia habens, dilatatur donec fit vere catholicum. Quarta de *fermento* detegit crescit et mirificam virtutem transformativam Regno Dei insitam, omnia subigentem, cuncta elevantem in quae inciderit. Quinta de *thesauro abscondito* et sexta de *margarita pretiosa* manifestant pulchritudinem, valorem et dignitatem bonorum huius regni, prae quibus omnia debeant parvipendi atque contemni ut tantus thesaurus tamque pretiosa margarita demum acquirantur. Septima de *sagena missa in mare* perhibet finalem iustorum trimphum atque definitivam a malis separationem. Ex quibus facile construitur

Argumentum in forma: Regnum Dei a Christo annuntiatum exhibet characteres essentialiter oppositos regno mere eschatologico. Ergo non est tale. Sane, Regnum Dei: — debet seminari et excoli ita quidem ut eius fructificatio possit vel multifariam praepediri vel multis modis provocari — debet coexistere et colluctari cum alio regno hostili et diabolico, quod eius consolidationem impedire satagit; — debet evolvi successive et pedetentim dilatari; — debet contactum subire cum mundo maligno eumque transformare, elevare, sanctificare; — debet coram mundo exhibere suam venustatem, dignitatem, maiestatem, qua allecti homines velint omnium potius iacturam facere, quam illam in discrimen afferre; — debet in sinum suum recipere bonos et perver-

sos homines, eosque sustinere usque ad consummationem saeculi. « Tunc mittet Filius hominis angelos suos, et colligent de regno eius omnia scandala et eos qui faciunt iniquitatem: et mittent eos in caminum ignis. Ibi erit fletus et stridor dentium. Tunc iusti fungebunt sicut sol in regno Patris eorum ». Ergo Regnum Dei a Christo annuntiatum non est mere eschatologicum, sed inchoatur et evolvitur in terris, consummandum in caelis.

2. Parabola de *perversis agricolis* sub oculos ponit novum characterem Regni Dei evidenter temporalem et terrenum (Mt. 21, 33-46; Mc. 12, 1-2; Lc. 20, 9-19). Siquidem debet Regnum Dei iuxta indubiam huius parabolae significationem primum offerri iudaeis, deinceps ab eis incredulis auferri et in gentes transferri. « Amen dico vobis: auferetur a vobis Regnum Dei et dabitur genti facienti fructus eius ». Ergo Regnum Dei manifesto implicat stadium aliquod terrenum in quo locus detur cum priori praedicationi intra confinia Palaestinensia, tum posteriori sive reiectioni, sive translationi et fructificationi. Prophetiae Magistri cumulum addit vaticinium discipuli mysterium praedicantis (Rom. 11, 25-26): « Nolo enim vos ignorare, fratres, mysterium hoc... quia caecitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israël salvus fieret ». Ubi iterum supponitur periodus terrena in qua plenitudinem gentilicam excipiet consummatio Israelitica.

3. Parabola de *decem minis* (Lc. 19, 11-27) expresse confecta est ad corripiendam falsam eorum opinionem qui *proximitatem parousiae expectabant*. Etenim « haec illis audientibus, adiiciens dixit parabolam, eo quod esset prope Ierusalem, et quia existimarent quod *confestim Regnum Dei manifestaretur*. Dixit ergo: « Homo quidam nobilis abiit in regionem *longinquam* accipere sibi regnum, et reverti... ». Legatur tota parabola cuius haec est aperta significatio et applicatio. Christus, peracto redemptionis opere, ascendit usque ad Antiquum dierum accipere regnum, honorem et potestatem, iterum suo tempore reversurus ad reddendum unicuique secundum opera sua. Et servis quidem fidelibus ampla merces promittitur; pigris vero et inertibus, miseria et donorum ablatio;

de hostibus autem regni dicitur: « Veruntamen inimicos meos illos, qui *noluerunt me regnare super se,* adducite huc, et interficite ante me » (v. 27), Hinc aperte colligitur: *a*) Christi inthronizationem praecedere parousiam; *b*) dari periodum terrenam in qua oportet Christum regnare; *c*) huius regni hostes expectare ruinam et interitum; *d*) stadium gloriosum et eschatologicum Regni Dei nonnisi serius inauguratum iri. Similes conclusiones erues ex parabolis de *decem talentis* (Mt. 25, 14-30), de fatuis et prudentibus virginibus (Mt. 25, 1-13), etc.

Alteram seriem argumentorum dabunt disserta Christi testimonia. Hunc spectant:

1. Mt. 12, 28: « Si autem ego in Spiritu Dei eiicio daemones, igitur pervenit in vos Regnum Dei ». Iesus triplex miraculum uno ictu consummaverat in uno eodemque homine (12, 22). Quo facto stupent turbae et incidunt in suspicionem messianitatis Iesu: Numquid hic est Filius David? (v. 23). Erumpentem fidem messianam cohibent ac suffocant pharisaei dicentes: « Hinc non eiicit daemones nisi in Beelzebub principe daemoniorum » (v. 24). Blasphemam illorum argumentationem reiicit Iesus obiecto ad hominem duplici insolubili argumento (vv. 25-27). Unde fidenter concludit: Si ego eiicio daemones non in Beelzebub, sed in Spiritu Dei, ergo *pervenit in vos regnum Dei,* hinc ego sum Messias et quidem principe daemoniorum fortior ac potentior; siquidem intravi in ditionem eius, ipsum alligavi, et vincto spolia ei detraxi, homines nempe ab ipso occupatos (v. 29). Habes hic expressis verbis assertam praesentiam regni Dei in hoc mundo. Nec solum declaratur praesens, sed operosum ac efficax, siquidem nova et insolita vi impedit ac destruit regnum diaboli.

2. Lc. 17, 20-21: Habemus hic ipsam nostram quaestionem Christo a pharisaeis propositam. « Quando venit regnum Dei? » Supponunt pharisaei regnum Dei nondum pervenisse, quia nondum vident externum illum splendorem quo hoc regnum manifestatum iri erronee putabant. Quibus Christus apte respondet: « Non venit regnum Dei cum observatione; neque dicent: ecce hic aut ecce illic, ecce enim regnum Dei intra vos est (ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν ». Duplex proponitur interpretatio huius effati. Ali-

qui intelligunt: Regnum Dei *inter* vos est; alii premunt vim particulae ἐντὸς et interpretantur: Regnum Dei *intra* vos est. Quae ultima sententia admitti certe potest, modo illud *intra* non referas ad corda pharisaeorum, in quorum animis regnum Dei certissime non erat, sed ad populum iudaicum vel collectivitatem iudaeorum inter quos Christus aderat et potentiam suam manifestabat. Vides secundam interpretationem sic intellectam incidere in primam: Regnum Dei inter vos est, siquidem medius vestrum stat quem vos nescitis. At in qualibet demum sententia manet hoc: Christum expressis verbis asserere praesentiam regni Dei in hoc mundo. Nec solum asseritur praesentia Regni Dei, sed aperte distinguitur stadium terrenum a stadio eschatologico. Etenim de primo Christi eiusque regni adventu *non dicent*: ecce hic aut ecce illic; de altero autem seu eschatologico adventu *dicent*: ecce hic et ecce illic (v. 23).

3. Lc. 16, 16. « Lex et prophetae usque ad Ioannem; *ex eo Regnum Dei evangelizatur* ». Ergo indubie affirmatur praesentia regni Dei in hoc mundo. Siquidem tempus propheticae annuntiationis regni Dei protenditur usque ad Ioannem Baptistam; cum ipso desiit prophetia et Messias cum suo regno *iam praesens annuntiatur*. His gemina sunt quae scribit Mt. 11, 12: « A diebus Ioannis Baptistae usque nunc Regnum caelorum vim patitur et violenti (βιάσται) rapiunt illud ». Quae verba duplicem principalem interpretationem nacta sunt: — 1ª — Regnum caelorum *vi opprimitur,* et homines violenti seu oppressores auferunt illud his qui ingredi illuc vellent. 2ª — A diebus Ioannis Baptistae Regnum caelorum avide expetitur *ac vi occupatur,* et qui vim sibi faciunt passiones suas refrenando, illud sibi capessunt. Haec ultima sententia praeferenda prorsus videtur, quippe quae multo melius respondet textui et contextui. Nostro loco notatur ac premitur *novitas* quaedam in ordine ad captandum regnum Dei, quae recurrit praecise inde a diebus Ioannis Baptistae. Porro Ioannes B. *paenitentiam* postulabat tamquam necessariam iam dispositionem Regni caelorum, quum iam non sufficiat origo ac progenies carnalis Abrahamitica. « Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum caelorum ... Et ne velitis dicere intra vos: Patrem habe-

mus Abraham ... » (Mt. 3, 2 sq.). — Eadem conclusio obtinetur habito prae oculis textu parallelo apud Lucam 16, 16: « Lex et prophetae usque ad Ioannem: ex eo regnum Dei evangelizatur, et omnis in illud vim facit (καὶ πᾶς εἰς αὐτὴν βιάζεται) ». Ubi vis et signicatio verborum βιάζεται, βιάσται sat clare manifestatur. Sensus est: A diebus Ioannis B. laetum nuntium messianicum annuntiatur ut praesens; et omnes cuiuscumque conditionis homines, vi sibi illata, ferventer in illud (εἰς αὐτήν) tendunt. Legas omnino Lc. 3, 6-14. Ubi initia praedicationis Ioannis B. describuntur, et exhibetur magnificus fervor animique contentio, qua turbae, publicani, milites regnum Dei captare satagebant. At quaecumque demum sententia eligatur, patet Regnum caelorum exhiberi tamquam aliquid iam praesens et obiectum sive iniustae oppressionis sive fervidae captationis.

Tota tandem thesis egregie *confirmatur* iis omnibus, quibus in tractatu de vera Religione probari consuevit Christum iam inde ab initio vitae publicae dixisse se (iam in hoc mundo) *esse Messiam.* Notio quippe Regni Dei arcte cohaeret cum conceptu et sensu professionis messianae a Iesu editae. Atqui indubie ostenditur Iesum Nazarenum saepe et clare professum esse se iam in hoc aevo Messiam et ut talem agnosci voluisse. Cfr. *S. Tromp.* de Revelatione christiana, ed. 3ª, p. 168 sq.

Obiectiones solvuntur

1. Christus dicit apud S. Mt. 4, 17: « Poenitentiam agite; *appropinquavit* (ἤγγικεν) enim Regnum caelorum ». Ergo nondum advenit.

Resp. D. antec. Regnum Dei appropinquavit ad stadium suum caeleste, N.; ad stadium suum terrenum, Subdist.; propinquitate implicante praesentiam Regis messiani, hinc Regni Dei active sumpti, C.; aliter, N. In loco parallelo apud S. Mc. 1, 15 dicitur: « Quoniam *impletum est tempus,* et appropinquavit Regnum Dei; poenitemini et credite Evangelio ». Unde constat impletum esse tempus vaticinatum a prophetis, adesse iam Messiam et laetum nuntium messianum annuntiari. Ipsa vox ἐγγίζω apta est ad denotandam non meram rei propinquitatem, sed talem quae ipsam personae, eventus, temporis praesentiam includat. Cf. Mt. 21, 34; 26, 45-47: Mc. 14, 41-43; Lc. 12, 33; 15, 1; 18, 40 etc.

2. Sed Iesus arripuit formulam appropinquantis regni caelorum a Ioanne B. dicente: « Poenitentiam agite; appropinquavit enim regnum caelo-

rum » Mt. 3, 2. Atqui I. Baptista loquitur de regno caelorum appropinquante ad stadium eschatologicum. Patet id ex toto contextu subsequenti: ubi praecursor Christum exhibet ut iudicem, qui habet iam ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam, et congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili (3, 12). Ergo ...

Resp. Negatur prorsus minor. Ioannes nullatenus asserit vel insinuat regnum caelorum appropinquare ad stadium eschatologicum. Christum exhibet primo ut *donatorem Spiritus,* hinc ut fundatorem regni messiani spiritualis hisce in terris evolvendi, dein ut iudicem iudaei primum et graeci. Primo quidem iudaei, siquidem securis iam posita est ad radicem, et potens est Deus suscitare Abrahae filios vel ex ipsis lapidibus, quanto magis ex gentibus; deinde vero orbis universi, quum Dominus congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili (3, 9-12).

3. At ipso testante Iesu, Baptista est Elias qui venturus est (Mt. 11, 14). Atqui Elias venturus est proxime ante iudicium finale (Mal. 4, 5). Ergo ...

Resp. Dist. maior.: Baptista est sensu proprio et litterali Elias qui venturus est, N.; sensu typico seu figurato, C. Duplicem hunc sensum ipse Christus alibi clare distinguit. « Elias (proprie talis) *venturus* est, et restituet omnia ». Elias vero (improprie talis) « *iam venit,* et non cognoverunt eum, sed fecerunt in eo quaecumque voluerunt ... Tunc intellexerunt discipuli, quia de Ioanne Baptista dixisset eis » (Mt. 17, 12-13). Cf. Lc. 1, 13-17). Cf. *Palestra del Clero,* 1949, Fasc. 9, pag. 393 sq.

4. Sed in oratione dominicali (Mt. 6, 10) dicitur: « Adveniat regnum tuum ». Ergo iterum constat illud nondum adventasse.

Resp. D. antec.: In oratione dominicali petitur adventus regni Dei simpliciter, N.; petitur continua dilatatio Regni Dei et maior consolidatio in animis hominum, C.

5. At Christus asserit apud Mt. 10, 23: « Non consummabitis civitates Israel donec veniat Filius hominis ». Ergo praenuntiavit adventum suum eschatologicum vivente adhuc generatione apostolica.

Resp. Locus hic est vere difficilis. Ad cuius rectam intelligentiam legas caput hoc 10um integrum. Ubi statim advertes in nostra pericope non agi de missione discipulorum praevia et temporanea (v. 5-15), quippe quae sit restricta ad oves quae perierunt domus Israel (v. 5-6), dum missio descripta a v. 16 protenditur etiam ad gentes (v. 18). Nec primae illi missioni aptari ullatenus possunt ea quae hic dicuntur: « Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis suis flagellabunt vos: et ad praesides et reges ducemini propter me ... Tradet autem frater fratrem in mortem, et pater filium ... » (v. 17 sq.). Agitur ergo de missione discipulorum ultima et definitiva. Utrum haec sit intelligenda mere propria et personalis apostolorum, an ea ut continuanda per successores usque ad finem saeculorum, pendet ex recta interpretatione tum civitatum Israel, tum adventus Filii hominis. Hinc bella et lites inter

criticos. Alii premunt civitates Israel, quas volunt intellectas sensu obvio et stricto, sed adventum Filii hominis plus minus extenuant, quippe quem interpretantur vel novum Christi occursum intra limites Palaestinenses (Chrysostomus, Hieronymus), vel resurrectionem Christi (Ephrem, Beda, Albertus M., Thomas A.), vel adventum invisibilem ad iudicandos apostolos eorumque laborem coronandum (Ceulemans), vel adventum impersonalem ad iudicandam et puniendam gentem Israeliticam in eversione Hierusalem (Barradas, Lagrange, Mangenot ...), vel adventum Regni Dei sive primo erumpentis seseque dilatantis mirabili gentium accessu (Lagrange, Lemonnyer, de la Brière ...), sive plenius consolidati ac florentis post destructam Hierusalem (Beraza, Rosadini), vel adventum Spiritus Sancti in die Pentecostes (Seitz). Nec desunt qui vere desperantes de inveniendo uno sensu, in quo omnibus satisfiat, confugiunt ad duplicem sensum, quorum unus sit litteralis, alius typicus. — At totus hic sermo durus videtur aliis: qui urgent adventum Filii hominis, quem intelligunt sensu obvio et eschatologico. Sed hi vicissim plus minus amplificant civitates Israel, quas interpretantur vel civitates aut ecclesias dicatas nomini Christi, qui est verus Israel (Robertus Deutz), vel concives Israelitas qui erunt usque ad finem mundi i. e. Israelitas qui simul commorantur ut concives fiant (Pascasius Radabertus), vel urbes in quibus iudaei dispersi habitant (Knabenbauer), vel hominum animas (S. Maximus), vel appellatur iterum ad duplicem sensum ...

Libenter admiserim multa esse in his quae praecedunt ingeniose et probabiliter excogitata. Sed animus non plene quietatur. Hinc praeferenda nobis videtur exegesis in qua et civitates Israel presse sumantur, et adventui Filii hominis reliquatur sensus obvius et eschatologicus. Integra textus nostri explicatio non parum illustrari potest cum ex verbis prorsus parallelis apud Mc. (13, 9-10): « Tradent enim vos in conciliis, et in synagogis vapulabitis, et ante praesides et reges stabitis propter me in testimonium illis. Et in omnes gentes primum oportet praedicari Evangelium », tum vel maxime ex aliis Christi verbis apud Mt. 23, 34 sq.: « Ideo ecce ego mitto ad vos prophetas, et sapientes, et scribas, et ex illis occidetis, et crucifigetis, et ex eis flagellabitis in synagogis vestris, et persequemini de civitate in civitatem: ut veniat super vos omnis sanguis iustus ... Amen dico vobis, venient haec omnia super generationem istam ... Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico enim vobis non me videbitis amodo, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini ». Agitur hic de eadem missione ac in nostra pericope i. e. de missione legatorum definitiva ac personali. In qua iudaei legatos Christi *flagellabunt in synagogis suis et persequentur eos de civitate in civitatem.* Porro in paenam tanti peccati relinquetur ei domus deserta, donec demum (in fine temporum) agnoscant et recipiant Messiam seu Filium hominis. Vides iam quare discipuli Christi non poterunt consummare civitates Israel usque ad ultimum Christi adventum. Siquidem Hierusalem calcabitur donec impleantur tempora nationum. Utrumque ergo stare videtur, agi nempe de adventu Christi ultimo, et civitates Israel intelligi stricte Palaesti-

nenses. Ad has namque mittuntur legati; in his oriuntur persecutiones contra praecones evangelicos; illae sunt quae cum sua metropoli relinquentur desertae et calcandae usque ad ultima tempora adventus Christi.

Remanet examinanda ulterior quaestio,e cuius recta intelligentia pendet germana et plena interpretatio nostrae pericopes. Quaeritur nempe qualiter sit intelligenda *consummatio* vicitatum Israel. Duplex circumfertur criticorum interpretatio. Alii consummationem intelligunt *conversionem* Israel ad fidem messianam vel ad Ecclesiam, ut sensus sit: cum vos persequentur in civitate ista, fugite in aliam; nolite diutius et inutiliter distineri in evangelizandis vestris connationalibus, nec cunctemini pertransire limites Palaestinenses. Amen dico vobis: non convertetis civitates Israel donec veniat Filius hominis. Sic Alf. *Schenz.* Venerandae antiquitatis suffffragium minime deest huic exegesi, quae substantialiter vix differt ab ea, quam saeculo iam quarto proferebat *S. Hilarius scribens* (Comment. in Mt.; ML. 9, 971-972): « Sed ut ostenderet, gentes quidem apostolorum praedicationi credituras, verum ut reliquum Israel crederet, esse adventui suo debitum, ait: Non consummabitis civitates Israel donec veniat Filius hominis: post plenitudinem scilicet gentium, quod erit reliquum Israel, ad implendum numerum sanctorum, futuro suae claritatis adventu in Ecclesia collocandum ». De qua Hilarii sententia scribit *Maldonatus* (Comment. *in quatuor* Ev. T. I. c. X): « Cuius [Hilarii] sententia hoc mihi magis placet, quod nihil in ea coactum esse video et quod adventus [futurus] Filii hominis numquam, quod sciam, alius quam supremus ille, quo ad iudicium venturus est, appellari soleat ». Nihil ergo mirum quod huic exegesi subscribant nostris diebus viri docti ut *Lercher, van Noort,* alii ...

Alii interpretantur consummationem pro expletione civitatum Israel *per fugam.* Sensus ergo foret: Non consummabitis civitates Israel fugiendo, quia semper vel in ipso Israel invenietis apta asyli loca, ubi possitis consistere et Regnum Dei annuntiare. Hanc interpretationem recentissime recepit eamque novo lumine collustravit *F. Segarra.* Quod si quaeras quare Christus sollemniter promittens praeconibus evangelicis medias inter persecutiones apta refugii loca *usque ad finem mundi,* Israeliticas *tantum* civitates commemoret, respondet laudatus auctor id a Domino fieri sensu assertivo, non exclusivo. Civitates nempe Israeliticae commemorantur instar exempli concreti vel casus peculiaris tunc maxime applicabilis apostolis, qui tamen a pari vel a fortiori recurret extra civitates Palaestinenses. Sensus ergo aperte latens in verbis Christi hic est: non consummabitis *ne quidem* civitates Israel. Simili fere modo commentatur verba Domini *Erasmus Schmid* scribens: « Non consummabitis civitates Israel donec veniat Filius hominis. Occurrit obiectioni. Posset aliquis objicere: Quid si ex una, ex altera, ex tertia civitate, et ita consequenter ejicerer; ubi tandem mihi manendum esset? Respondet Salvator: Non ad finem usque fugiendo obieritis omnes civitates Israel i. e. Iudaeae, *nedum,* in quem postea ablegabimini, universi

orbis ante adventum meum ». (Opus Sacrum posthumum in quo continetur versio N. T. nova ... Norimbergae, 1658, p. 179).

Utrumque elementum fugae nempe et conversionis in harmonicam synthesim feliciter coniungit *Cornelius a Lapide,* dum verba Dominica sic commentatur: « Cum vos persequentur, fugite de una civitate in aliam, quia semper erit vobis *fugae locus,* ubi operam vestram utiliter collocare poteritis apud Iudaeos et multo magis apud gentes; non enim deerunt Iudaei nec Gentes *convertendi* et in fide instruendi usque ad finem mundi et diem iudicii ». Ergo ratio quare apostoli non consummabunt civitates Israel non in eo esse videtur, quod praecones evangelici, licet continuo vexati inter iudaeos et gentes, semper reperient vel in ipso Israel loca refugii, sed in eo potius quod apostoli antequam expleant (praedicando et fugiendo) omnes civitates Palaestinenses, caelitus illustrati ac divino mandato obtemperantes agredientur missionem gentilium in qua perseverabunt ipsi eorumque successores usque ad finem mundi. « Et in omnes gentes primum oportet praedicari Evangelium » (Mc. 13, 10). Interea iudaeis persecutoribus auferetur Regnum Dei, relinquetur domus de serta, Hierusalem calcabitur donec impleantur tempora nationum. Porro, expleto tempore gentium, Israel convertetur ad Dominum Deum suum, nec locus iam erit civitatibus per fugam consummandis.

Haec ultima exegesis caeteris omnibus preferenda videtur, quippe in qua, retenta significatione magis obvia tum civitatum Israel tum adventus Filii hominis, obtinetur sensus concinnus apteque cohaerens toti contextui proximo et remoto, ipsi quoque rerum historicae evolutioni apprime respondens. *Dices*: Sed nonne multo connaturalius intelligas adventum Filii hominis ad mentem et sensum Danielis 7, 13-14, ubi adventus Filii hominis et regni sanctorum per modum unius considerantur? (Rosadini). *Resp.* Propheta Daniel duo clare distinguit: *ipsum Filium hominis* cum nubibus venientem et usque ad Antiquum dierum pervenientem (v. 13), et ipsum Regnum quod accipient sancti (v. 18). Alterum est sequela et fructus prioris. Sed adventus Filii hominis praedicatur de ipso Messia, non de Regno Dei, Caeterum hoc regnum sanctorum, quod est sequela Messiae inthronizati, quodque censetur venire cum Messia, non est regnum quod venit *post* destructionem Hierusalem.

Summatim: Tria notentur: 1° Interpretatio modernistica, in qua Christus praedicatur venturus ad iudicandum mundum antequam apostoli perficiant missionem intra limites Palaestinenses, *apparet impossibilis,* quippe quae evidenter opponitur contextui tum proximo in quo sermo fit de *missione ad gentes* (v. 18), tum remoto in quo Regnum Dei auferetur a iudaeis et dabitur genti facienti fructus eius (21, 43), *domus Israel* relinquetur *deserta* (23, 38), evangelium Regni praedicabitur omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio (24, 14), etc. ...

2° Character eschatologicus adventus Filii hominis, de quo agitur in nostro textu (10, 23), non apparet sufficienter clarus; hinc est quod tot agregii exegetae hunc adventum aliter interpretentur.

3° Admisso quod in nostro textu reapse agatur de adventu parousiaco, id quod nobis probabile, vix non certum, videtur, adhuc datur locus multiplici solutioni difficultatis. Etenim vel agitur de *consummatione* τελέσητε obtinenda per conversionem populi iudaici ad fidem, et tunc recurrit explicatio proposita a s. Hilario = non convertetis iudaeos usque ad adventum Domini; vel agitur de consummatione civitatum Israel per fugam, et tunc recurrit exegesis secundo loco proposita = non consummabitis civitates Israeliticas fugiendo, quia semper reperietis vel in ipso Israel apta refugii loca; vel recurrit demum explicatio proposita ab E. Schmid = non ad fidem usque fugiendo obieritis omnes civitates Israel, seu labor vester fugiendi non continuabitur usque ad adventum Filii hominis, quia, caelitus illustrati et divino mandato obtemperantes, prius aggrediemini missionem gentilium.

6. Sed iterum Christus ait Mt. 16, 18: « Sunt quidam de hic stantibus qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo ». Unde arguitur sic: Adventus Filii hominis in regno suo est eschatologicus. Atqui hic adventus dicitur futurus praesente adhuc generatione apostolica. Ergo ...

Resp. D. Mai.: aliquis adventus Filii hominis in regno suo est eschatologicus, C.; omnis adventus Filii hominis in regno suo est eschatologicus, *Subd.*: vel in re vel in figura, *Tr.*; praecise in ipsa re, N. *Ad minor.*: In textu asseritur proxime futurus adventus Christi eschatologicus in figura seu typo, C.; in ipsa realitate, N. Explico: Hic quoque textus est vere difficilis et ingenia criticorum mire exercuit: qui in eo interpretando abiere in diversas sententias. Quas ut intelligas adverte diversitatem formularum apud tres evangelistas synopticos.

Quidam discipuli videbunt {
Filium h. venientem in regno suo (ἐν τῇ βασιλείᾳ αὐτοῦ) Mt. 16, 28.
Regnum Dei veniens (venisse) *in potentia* Mc. 9, 1.
Regnum Dei (τὴν βασιλείον τοῦ θεοῦ) Lc. 9, 27.

Hinc sententiarum diversitas: a) *Modernistae* interpretantur de ipso adventu eschatologico i. e. de Filio hominis veniente in consummatione saeculi ad iudicandos homines et ad instaurandum Regnum messianum). b) *Patres* passim intelligunt adventum Filii hominis *splendide transfigurati* in monte Thabor. Ubi et splenduit maiestas regia Christi, et praefigurata est ea ipsa βασιλεία in qua veniet in fine temporum. c) *Gregorius M.*, illectus formula Lucana, incipit proponere novam interpretationem de adventu *Regni Dei* i. e. de mira Ecclesiae dilatatione et consolidatione. Gregorium multi deinceps sequuti sunt ita tamen, ut non pauci hanc interpretationem proponant *disiunctive* i. e. simul cum illa priori de Transfiguratione. d) *Dionysius Carthusianus* adventum Filii hominis interpretatur *ascensionem Domini* in regnum caeleste. — *Cajetanus* intelligit adventum Christi *in Resurrectione.* Similiter *Albertus M.* in commentario Mt.; qui tamen in commentario Lc.

loquitur de sola Transfiguratione, et in Comment. Mc. de hac ipsa *litteralius* at simul de ecclesiae dilatatione. — e) Multo serius apparet nova interpretatio de adventu Filii hominis in *iudicio et eversione Hierusalem*. Sic *Calmet* ac deinceps *Bisping, Schanz, Fillion, Knabenbauer, Lagrange, Felder*, etc.

Nobis praeferenda prorsus videtur interpretatio de adventu Filii hominis in gloria transfigurationis praemonstrante gloriam eschatologicam in qua veniet homines iudicaturus. Cui sententiae: a) *Favet imprimis contextus* cum antecedens tum consequens, tota inquam narrationis et logica cohaerentia et mira concinnitas. Iesus, messiana Petri professione ratihabita, incipit praemonstrare passionem et mortem. Resistentem vero Petrum graviter carpit et inculcat necessitatem abnegationis ad aeternam animae salutem in tuto collocandam. *Filius enim hominis venturus est in gloria Patris* et tunc reddet unicuique iuxta opera sua. Ut huius *gloriosi* adventus omnem tollat dubitationem, sollemniter promittit fore ut quidam de illic stantibus felici quadam anticipatione iam in hac vita ante suam mortem illius gloriae speculatores existant. Sequitur narratio magnificae transfigurationis in qua Filius hominis coram tribus de illic stantibus resplenduit in gloria Patris. Cuius vox quoque audita est dicentis de nube: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. Tres evangelistae vigilanter notant connexionem transfigurationis cum promissione praecedenti (Mt. 17, 1; Mc. 9, 1; Lc. 9, 28). Notanda vero praeprimis formula Lucana: « Factum est autem *post haec verba* dies fere octo, et assumpsit Petrum, et Iacobum, et Ioannem, ascendit in montem ... ». Nonne dum *haec verba* sic notantur, sufficienter significatur in sequentibus enarrari visionem *per haec verba* promissam? Sane praedixerat in superioribus Filium hominis venturum ἐν τῇ δόξῃ αὐτοῦ (v. 26). Porro discipuli evigilantes viderunt τὴν δόξαν αὐτοῦ (v. 32).

b) *Accedit* optima totius rei confirmatio desumpta ex epistola 2ª Petri 1, 10 sq. Ubi apostolus fideles suos vehementer hortatur ad praxim bonorum. operum. Sic enim ministrabitur illis introitus in aeternam βασιλείαν Domini nostri Iesu Christi. « Non enim doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri Iesu Christi δύναμιν καὶ παρουσίαν seu adventum eschatologicum in virtute et maiestate, sed speculatores facti illius magnitudinis. Accipiens enim a Deo Patre honorem et gloriam, voce delapsa ad eum huiuscemodi a magnifica gloria: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsum audite. Et hanc vocem nos audivimus de caelo allatam, cum essemus cum ipso in monte sancto » (vv. 16-18). Ex quibus iterum confirmatur apostolos propriis oculis conspicientes gloriam transfigurationis, vidisse in ea quendam quasi typum et pignus gloriosi adventus finalis. Quid iam mirum si

c) *Patres et Theologi* antiquiores passim commemorant et fidenter extollunt gloriam transfigurationis *praesagam* futuri adventus eschatologici. Audiantur inprimis Patres *Orientales*. *Basilius* Homil. in Ps. 44, MG. 29, 400: « Viderunt etiam ipsius pulchritudinem Petrus et filii tonitrui in monte,

fulgore suo splendorem solis superante, atque habiti sunt digni qui *gloriosi eius adventus exordium* oculis perciperent ». — *Gregorius Naz.* (Oratione 29, theol. III; MG. 36, 100) celebrat Christum forma speciosum prae filiis hominum, qui « in monte, fulguris instar, lucet, ac sole clarior efficitur, *futurum videlicet splendorem adumbrans* ». Futurum certe in die iudicii. Siquidem ut alibi scribit (epist. 1 ad Celedonium; MG. 37, 181): « cum corpore quidem, ut sentio, veniet; *talis autem qualis discipulis in monte apparuit*, aut obiter ostensus est, divinitate carnem superante ». — *Ephraemi* eadem est sententia scribentis (Opera omnia, ed. Assemani, v. 2 [graec.], p. 42: « Viri etenim, quos dixit non gustaturos mortem, donec videant *figuram adventus eius*, ii sunt quos assumptos duxit in montem, et ostendit eis *quo pacto venturus sit in die novissimo*, in gloria divinitatis et in corpore humanitatis suae ». — *Eusebius Caesar.* consentit asserens (Comment. in Lc.; MG. 24, 547): « His ad discipulos dictis, magnoque et arcano mysterio secundae suae manifestationis ipsis patefacto, ne oratione tantummodo solisque verbis videretur persuadere, necessario ad opus venit, ipsis eorum oculis *divini sui regni obiciens imaginem*... Et in transfiguratione quidem, tres tantummodo prodigiose ipsis ostensum digni fuerunt cernere regnum caelorum ». — *Chrysostomus* eodem fere modo nostrum locum commentatur (In Mtth. homil. 56; MG. 58, 549): « Cum vellet eos visu etiam certiores reddere, ostendereque *quid esset illa gloria, cum qua venturus esset*... in praesenti quoque vita illam ostendit ». — Similiter *Cyrillus Alex.* (Comment. in Mtth. MG. 72, 424-425): « Propterea ut eos ab eiusmodi cogitationibus avertat, et quodammodo armet ad fortitudinem, *futurae illius gloriae* cupiditatem excitans, ait: Sunt quidam de hic stantibus etc. Petrum insinuans ac filios Zebedaei. Hi enim in transfiguratione simul assumpti sunt, *quam regnum appellat* tamquam indicantem ineffabilem potestatem, et genuinum esse Patris Filium. *In ipsa vero* (transfiguratione) *quoque secundae praesentiae dignitatem*, et terribile subindicavit initium illius, ac quasi confirmationem ostendit, veniet enim in gloria Dei et Patris, non in nostra tenuitate ». — *Theodoretus* (Monachis Constantin. ep. 145; MG. 83, 1385) descripta transfiguratione pergit: « Per haec autem *secundi adventus modum ostendit*, et quod... natura assumpta divinae gloriae radios emittet ». — *Proclus* similiter Orat. in Transfig. Domini; MG. 65, 768): « Nec enim Christus Dominus temere ac nulla causa transfiguratus est, sed ut futuram nobis transfigurationem designaret, *ac alterum illum adventum in nubibus cum angelis in lumine* ». — Non minus perspicue *Ioannes Damascenus* (in Transfigurat. Domini; MG. 96, 849): « *Ut tuam ostenderes aperte arcanam secundam descensionem*... apostolis in Thabor cum Moyse et Elia inefabiliter splenduisti ». — Nec aliter *Theodorus Studita* (Parva Catech., ed. Auvray, p. 72): « At transfigurationis festum futuri aevi apocatastasim depingit. Nam quemadmodum *resplenduit facies eius sicut sol*, vestimenta autem facta alba velut lux, haud secus et e caelo quasi fulgur veniet *cum potestate magna et maiestate* ut omnia iudicet ». Clarissime vero *Theophilactus* (Comment. in Mc.; MG. 123,

578): « Sunt quidam de hic stantibus, nempe Petrus, Iacobus et Ioannes, qui non morientur donec ostendero eis in Transfiguratione *quanta cum gloria venturus sim* in secundo adventu. *Nihil enim aliud erat transfiguratio quam secundi adventus significatio* ». — Eadem claritate *Eutimius Zigabenus* (Comment. in Mtth.; MG. 129, 475): « Regnum autem suum ... splendorem illum nominavit, tamquam qui sit praenuntius et paradigma splendoris illius, cum quo postmodum descensurus est, quando reddet unicuique iuxta id quod operatus est ».

Patres et scriptores *Occidentales* abundant eodem sensu et interpretatione. Missis aliis audiatur *Hieronymus* (Anecdota Maredsolana, v. III, pars II, Tract. sive Homil.; Maredsoli, 1897, pp. 347-348): « Videntes illum in monte transfiguratum, viderunt illum apostoli transfiguratum *in gloria sua qualis regnaturus esset.* Et hoc est ergo quod aiunt. Non gustabunt mortem, donec videant regnum Dei: Quod actum est post dies sex ». — *Augustinus* (Serm. 78; ML. 38, 490): « Inspicienda nobis et tractanda est, charissimi, visio ista quam Dominus demonstravit in monte. Ipsa est enim de qua dixerat: Amen dico vobis quia sunt hic quidam ... ». — *Leo Magnus* (Serm. 51; ML. 54, 310): « Assumpsit Iesus Petrum et Iacobum et fratrem eius Ioannem, et conscenso cum eis seorsum monte praecelso, claritatem illis suae gloriae demonstravit; quia licet intellexissent in eo maiestatem Dei, ipsius tamen corporis, quo divinitas tegebatur, potentiam nesciebant. Et ideo proprie signanterque promiserat quosdam de astantibus discipulis non prius gustare mortem, quam viderent Filium hominis venientem in regno suo, *id est in regia claritate,* quam specialiter ad naturam suscepti hominis pertinentem, his tribus viris voluit esse conspicuam ». — *Pascasius Radbertus* (in Mtth., ML. 120, 575): « Hic, licet paucis, se firmat ostensurum venientem in regno suo, antequam de proximo mortem gustarent. Et hoc quidem *quia in ea claritate se transformavit* in monte coram discipulis, quos secum assumpsit, *in qua venturum se promiserat in gloria Patris* cum angelis suis ». — *Anselmus* (Homil. in Transfig.; ML. 158, 603): « Occisionem et mortem nunc dicis esse venturam; quod autem promittis ad futurum te in gloria Patris cum angelorum ministeriis et potestate iudicis, hoc in tempora longa differetur. Praevidens igitur occultorum cognitor quid possent obicere, praesentem timorem praesente compensat praemio. Subjungit enim: Amen dico vobis, sunt quidam ... Ac si diceret: *Qualis venturus est in fine, talis* ob incredulitatem vestram *praesenti tempore demonstrabitur* ». — *Zacharias Chrysopolitanus* (In unum ex quatuor; ML. 186, 291): « Transfiguratus est, dicitur, quia *talis apparuit apostolis, qualis futurus est in iudicio* ». — *S. Thomas* (in Evang. Mtth.) asserit Christum v. 28 respondere tacitae discipulorum obiectioni: « Quasi dicat: Dixi vobis quod venturus est filius hominis ... Sed nolite mirari. Quare? Volo vobis ostendere, quia sunt quidam de hic stantibus, qui non gustabunt mortem donec videant Filium hominis venientem in regno suo. *Hoc fuit signum gloriae futurae* ». *Idem* in S. Theol., p. III, q. 445, a. 2 scribit: « Sed contra est, quod super illud Mtth. 17: Transfigu-

ratus est ante eos, dicit Hieron.: Qualis futurus est tempore iudicii, talis Apostolis apparuit; et super illud Mtth. 16: « Donec videant Filium hominis venientem in regno suo, dicit Chrysost.: Volens monstrare, quid est illa gloria, in qua postea venturus est, eis in praesenti vita revelavit, sicut possibile erat eos discere, ut neque in morte Domini iam doleant ». — *Albertus Magnus* formulam Mc.: « donec videant regnum Dei veniens in virtute » sic commentatur: « *Regnum* Dei, hoc est, figuram decoris regni Dei, in signo et claritate transfigurationis ... *Veniens in virtute,* quia secundus adventus Christi non erit in infirmitate, sed in potestate et virtute; *et hanc gloriam praemonstravit in transfiguratione* ». Hanc Patrum et Doctorum doctrinam fidus recipit et aureo commentario illustrat *Maldonatus* (in Mtth., XVI, 27, 28): « Itaque est omnium veterum auctorum interpretatio ... regnum Dei Christi transfigurationem appellari. Vocat ergo Christus transfigurationem regnum suum, non quia proprie regnum, sed quia *futuri regni imago erat* de quo versu praecedenti locutus fuerat: Filius enim hominis venturus est in gloria Patris sui, ante cuius regni visionem non mori magnum profecto quiddam erat. Sed *illud ipsum regnum* tres illi apostoli *non in ipso, sed in fugura,* non praesens, sed per transennam ostensum viderunt ».

d) *Difficultates,* quae huic interpretationi opponuntur, leviores sunt quam ut oporteat recedere a torrente Doctorum. *Obicitur*: 1° In textu nostro agitur de adventu Christi futuro quum plerique Christi auditores mortui supponuntur et nonnisi pauci quidam superstites erunt. Atqui transfiguratio Christi facta est paucos post dies. Ergo in v. 28 non agitur de adventu Christi transfigurati (Knabenbauer). — *Resp. Negatur mai.*: Ratio quare *quidam* tantum non gustabunt mortem antequam videant Christum ... non stat in eo quod plerique iam mortui erunt, sed in eo quod, omnibus licet viventibus, nonnisi tres de illic stantibus assumentur a Christo in excelsum transfigurationis locum. « Factum est autem — ait Lucas — *post haec verba* fere dies octo, et assumpsit Petrum, et Iacobum, et Ioannem, et ascendit in mentem ... ». Vides quinam sint « quidam de hic stantibus ». Marcus quoque eos sat clare designat: « Et post dies sex assumit Iesus Petrum, et Iacobum, et Ioannem: et ducit illos in montem excelsum *seorsum solos,* et transfiguratus est ... ». Ceterum dubitari merito potest num *aliqui de illic stantibus* superstites fuerint tempore eversionis Hierusalem, et viderint sive praefatam ruinam sive dilatatum postmodum et consolidatum Regnum Dei. De Ioanne apostolo id certe constat; de ceteris sive apostolis sive discipulis illis prorsus nescitur.

2° *Instatur.* « Esset plane ridiculum coram conferta multitudine dicere: sunt aliqui ex vobis qui non morientur priusquam sex dies praeterierint; iam vero Christus ex v. 34 (Mc) loquitur ad turbam et ad discipulos, cui confertae multitudini igitur sollemniter annuntiaret: tres ex vobis adhuc per sex dies vivent, vel tres ex vobis non morientur ante sex dies. Si enim de transfiguratione sua locutus est, alius eius sensus verborum esse nequit. Verum quis modum adeo ridiculum loquendi Christo adscribere

audeat? (Knabenbauer in Mc.). — *Resp.* Reapse Patres Doctoresque superius allegati abstinuere solliciti ab hoc adeo ridiculo loquendi modo Christo adscribendo. Qui obstupuissent omnes si in exegetam incidissent audacter asserentem *alium verborum Christi sensum esse impossibilem* in hypothesi transfigurationis. Emphasis et sollemnitas sermonis Christi coram conferta multitudine non in hoc reponitur, quod tres ex auditoribus adhuc per sex dies vivent (! ! !), sed in eo tantum quod quidam de illic stantibus iam in hac vita, antequam moriantur, fruentur splendida visione magnificae illius gloriae in qua venturum se Iudicem sollemniter in v. anteriore promiserat.

3° *et maxime obicitur*: « Quomodo Christus transfiguratus dici possit Regnum Dei quod in virtute venerit, nullo pacto intelligi potest. Regnum Dei est regnum messianum, est Ecclesia Christi » (Knabenbauer). « Quis dicere potest transfigurationem esse Regnum Dei (Lc.), regnum Dei in potentia (Mc.)? » (Rosadini). — *Resp.* Haec videtur esse principalis adversariorum difficultas. Cui licebit apponere responsum duplex: Primo quidem *indirectum* retorquendo argumentum. Quomodo destructio Hierusalem dici possit regnum Dei quod in virtute venerit, nullo pacto intelligi potest. Et quis dicere potest dilatationem Ecclesiae *post* urbem destructam esse Filium hominis venientem in regno suo? Frustra appellari ad Danielem superius vidimus. Responsum *directum* suppeditabit observatio obvia et multiplex. *a*) Primo adversarii *a priori* restringunt significationem vocis Regnum Dei βασιλεία τοῦ θεοῦ ad sensum socialem et ecclesiasticum. At huius vocis « sensus *primigenius* videtur esse: regimen, potestas, maiestas regia; derivatus et secundarius: ambitus potestatis regiae vel eorum qui et quae eius regimini subsunt « regnum »; pluries vel uterque sensus intelligitur vel difficulter sensus alteruter eliminatur » (Dieckmann). Similiter *Zorell* in suo Lexico Graeco-Biblico ad vocem βασιλεία notat: 1) « Regnum i. e. dominium regis, regia potestas seu dignitas ... In N. T. passim fit mentio Regni Dei, in qua dictione vox βασιλεία saepe non tam sensu locali (Reich, royaume) sumenda est quam aequivalet nostro Herrschaft, regime ... sicut autem usu communi vox regni varie accipi potest pro regia potestate, gubernio, territorio, populo regi subiecto ... et ita in contextu modo hoc modo illud elementum complexae illius ideae supra descriptae praevalet ». Locutio ergo « Filium hominis venientem in regno suo », « regnum Dei veniens in virtute » potest apprime significare Filium hominis venientem in sua regia maiestate; potestatem regiam Ch. splendide se manifestantem. Quam significationem nostrae pericopae affixam premunt atque extollunt cum Patres Doctoresque universim, tum vel maxime illi qui in omni graecitate sunt optime versati. *b*) *Regnum* (βασιλείαν) Christi prorsus aequivalere maiestati seu *gloriae* (δόξῃ) Christi plene constat ex Mc. 10, 37 comparato cum Mt. 20, 21. Ubi Mt. scribit: « Dic ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram *in regno tuo* (ἐν τῇ βασιλείᾳ σου) », Mc. habet: « Da nobis ut unus ad dexteram, et alius ad sinistram tuam sedeamus *in gloria*

tua (ἐν τῇ δόξῃ σου) ». Ergo videre Christum venientem *in regno suo* idem est ac videre eum venientem *in gloria sua*. Videre regnum Dei veniens (venisse) in virtute idem est ac videre gloriam Dei potenter manifestatam. Quo posito advertas rursus perfectam totius pericopes cohaerentiam. In v. 27 (Mt.) asserit Christus venturum se in gloria Patris (et sua Lc.). In v. 28 sollemniter promittit aliquos de illic stantibus ante mortem suam visuros hanc gloriam. In vv. subsequentibus narratur speciosum transfigurationis spectaculum in quo tres de illic stantibus viderunt Filium hominis venientem in splendida ac regali maiestate. Quod vero caput est, unus de illic stantibus Petrus expresse asserit se in gloria Christi transfigurati vidisse maiestatem in qua veniet iudicaturus vivos et mortuos. Ceterum admiratione non caret quod ipse adversarius ad hanc *Regni* interpretationem vel invitus accedit scribens: « *in regno suo* i. e. eo tempore quo iam in regno suo, in regia maiestate et gloria est constitutus » (Knabenbauer in Mt.). Ubi regnum interpretatur regiam maiestatem ac gloriam. — *c*) Praecipuus erroris adversarii fons in eo videtur esse, quod in transfiguratione seu in claritate Christi transfigurati non attenditur habitudo signi et figurae respectu illius gloriae eschatologicae. De qua hibitudine, merito scribit *Maldonatus* premens vestigia Patrum ac Doctorum: « Vocat ergo Christus transfigurationem regnum suum, *non quia proprie regnum, sed quia futuri regni imago erat* ».

7. At Christus apud Mt. 26, 64 clare dicit: « *Amodo* videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli ». Unde iterum arguitur. Adventus Filii hominis *in nubibus* est certe eschatologicus. Atqui Christus asserit hunc talem adventum futurum esse *amodo* e. statim. Ergo ...

Resp. Hic textus apparenter est difficilis, at reapse nullam continet difficultatem. Notanda imprimis varietas formularum in locis parallelis: — Lc. 22, 69: « Ex hoc autem erit Filius hominis sedens a dextris virtutis Dei ». — Mc. 14, 62: « Et videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli ». — Mt. 26, 64): « Amodo videbitis Filium hominis sedentem a dextris virtutis Dei et venientem in nubibus caeli ». Ergo nulla ne apparens quidem difficultas reperitur in duplici priori formula. Lc. simpliciter asserit quod Filius hominis ex hoc *erit* a dextris virtutis Dei, i. e. erit consors potestatis et honoris Dei, hinc regnabit cum Deo aequali prorsus gloria ac virtute. Mc. addit quod iudices *videbunt* (aliquando) Iesum in hoc regali et glorioso statu, imo et venientem in nubibus caeli. Mt. subiungit quod iudices *amodo videbunt* ... Hinc difficultas tota quanta vertitur in illo *amodo* quasi Christus asseruisset se statim venturum in gloria Patris ad iudicium finale. At difficultas amodo et totaliter evanescit attenta lectione textus originalis = ἀπ' ἄρτι. Quae vox recurrit in sex locis N. T.: Mt. 23, 39; — 26, 29; — 26, 64: Io. 13, 19; 14, 7 et in Apoc. 14, 13, et constanter significat « ex hoc tempore » deno-

tatque terminum a quo novi eventus vel status. Novus hic status est gloriae et exaltationis qualem fuisse a prophetis descriptum iudices synedrii non latebat. Hinc duplex allusio, ut videtur, in responso Christi. Primo ad psalmum 109 ubi David ait: « Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum ». Hunc ipsum textum inspiratum obiecerat Christus pharisaeis paucos ante dies (22, 41 sq.), et ex eo ostenderat Messiam *Dominum Davidis* a Davide appellari. Deinde fit allusio ad Danielem (7, 13-14), ubi propheta aspiciebat in visione noctis, « et ecce cum nubibus caeli quasi filius hominis veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit ... et dedit ei potestatem, et honorem et regnum ... ». Hinc patet sensus latens in responsione Christi ad Caipham. Queris num sim Christus Filius Dei? Talis reapse sum qualem me esse dicis. Ex hoc autem i. e. post ea quae mihi inferatis propter hanc meam confessionem i. e. post mortem meam experiemini indubia divinitatis meae documenta; videbitis me regnare cum Deo potentiae divinae factum consortem; videbitis me venientem (suo tempore) in nubibus cum potestate magna et maiestate.

At potest ulterius inquiri quaenam sit demum vis et significatio huius vocis ἀπ' ἄρτι utrum videlicet significet meram *posterioritatem*, an *proximitatem* quoque eventus et visionis denotet. Qua in re duplex datur sententia. Alii ut Joüon, quem sequitur Rosadini, meram posterioritatem admittunt: hinc sensus est: In posterum (dans l'avenir, un jour) videbitis Filium hominis sedentem ... et venientem in nubibus caeli. Ubi non solum adventus Filii hominis, sed ipsa quoque sessio a dextris Dei intelligitur sensu eschatologico. Alii communius verba Christi interpretantur de visione illico futura; unde sensus est: Ex hoc i. e. post meam mortem statim experiemini me regnare in caelis cum Patre ac divinae potentiae signa exhibere. Haec ultima interpretatio nobis praeferenda videtur; quippe quae optime cohaeret cum aliis Christi verbis apud Io. 8. 28: « Cum exaltaveritis Filium hominis (in crucem), *tunc* cognoscetis quia ego sum (Messias et Filius Dei) ». Respondet quoque apprime rerum eventui. Nam perspexere Iudaei indubia divinitatis documenta in resurrectione, in missione Spiritus S., in tot portentis et prodigiis, in magnifica Ecclesiae dilatatione, in iudicio et eversione Ierusalem etc. Nec apparet ex alia parte quomodo sessio a dextris Dei apud Lc. 22, 69 ad parousiam referri possit. Eadem sine dubio est significatio ἀπὸ τοῦ νῦν apud Lc. 22, 69, et ἀπ' ἄρτι apud Mt. 26, 64. Quis porro serio contendat Christum apud Lucam loqui de sessione a dextris Dei futura demum in consummatione saeculi seu in die suae parousiae? Cf. Mc. 16, 19. — Sed protinus dices: Ergo asseruit Christus se *brevi* venturum in nubibus ad mundum iudicandum? — *Resp.* Negatur prorsus assertum. Christus designat duplex visionis obiectum: sessionem a dextris virtutis Dei, et adventum in nubibus. At Christus iuxta effatum Iahveh sedebit a dextris omnipotentis Dei *donec* ponantur omnes inimici sui scabellum pedum suorum. Ultima vero inimica devincietur mors (Cor. 15, 26) in fine temporum, cum

Dominus venerit iudicare vivos et mortuos. Ergo videbunt iudices synedritae primo quidem et brevi Filium hominis sedentem a dextris Dei, posthac vero et in fine temporum venientem in nubibus cum potestate magna et maiestate. *Dices*: Si ἀπ' ἄρτι temporis appropinquationem in primo solum membro significaret, verbo videndi (ὄψεσθε) alia subiiceretur notio quatenus primum membrum (visio intellectualis), alia quatenus alterum afficeret (visio corporea). Atqui non licet uni eidemque verbo duplicem diversam significationem apponere in eodem contextu (c. Weiss, Segarra). — Resp. a) Nulla est difficultas in duplici significatione (ceteroquin affini) uni eidem voci apponenda, si vox ipsa nata est portare duas has significationes. Atqui vox sive latina « videbitis », sive graeca ὄψεσθε admittit significationem visionis tum corporalis, tum intellectualis. Accipe appositum exemplum: Cras *videbis* Pium P. XII sedia gestatoria portatum, populo acclamanti benedicentem, Deum laudantem, profunde theologizantem... Ubi verbum « videbis » denotat utramque visionem pro diversitate obiecti. Idem dixeris de voce graeca ὁράω cuius rei aptum exemplum reperies vel in ipsa Scriptura: « Et vidit (εἶδεν) omnis populus eum ambulantem, et laudantem Deum » (Act. 3, 9). b) Falsum est vocem « videbitis » in secundo membro significare visionem tantum corpoream. Videbunt quippe synedritae aliique Christi contemptores Filium hominis venientem in nubibus caeli, videbunt, inquam, visione non tantum corporali, more brutorum, sed spirituali quoque et intellectuali, qua clare perspicient Eum esse regem tremendae maiestatis, ideoque arescent prae timore. — Ceterum vix opus est notare responsum nostrum procedere in hypothesi adversarii (quam probabilem putamus), agi nempe in textu nostro de adventu Christi eschatologico. Quod si supponas sermonem ibi esse de adventu Christi *non in terram* ad iudicium mundi, *sed ad Antiquum dierum* ad recipiendum honorem et potestatem (in die Ascensionis), per se patet nullum iam difficultati relinqui locum.

8. Potissimum obiiciuntur verba Christi in sermone eschatologico. Mt. 24, 34 (Mc. 13, 30; Ls. 21, 32): « Non transibit generatio (γενὲα αὕτη) donec haec omnia (πάντα ταῦτα). fiant ». Unde fit argumentum: *Generatio haec* est generatio praesens seu apostolica; *omnia* vero *haec* includunt cuncta quae praecedunt, hinc ipsum Christi adventum eschatologicum. Atqui Christus sollemniter asseverat generationem hanc non transituram, donec omnia haec fiant. Ergo Christus reapse putabat finem mundi iamiam imminere; hinc regnum, quod appropinquare asserit, intelligit mere eschatologicum.

Resp. Triplex praecipua solutio proponitur apud hodiernos criticos et exegetas.

Prima sententia intelligit *generationem hanc* praesentem seu contemporaneam; sed *omnia haec* limitat ad ea tantum quae spectant ruinam templi et urbis. Ratio limitationis multiplex assignatur: *a*) Duplici discipulorum quaestioni (Mt. 24, 3) duplex responsio a Christo datur. Primae interrogationi de ruina templi (et urbis) respondetur in v. 34: Non transibit generatio haec... Alteri quaestioni de adventu finali et consummatione saeculi respon-

sum datur in v. 36. Ubi quaedam *oppositio* sat clare indicatur: de die *autem* illo et hora nemo scit...: *b*) si *omnia haec* (πάντα ταῦτα) includerent omnia quae praecedunt, ipso adventu finali incluso, Christus nullum responsum dedisset principali discipulorum quaestioni, quae erat de tempore ruinae templi et urbis, id quod improbabile prorsus videtur. *c*) In Mc. πάντα ταῦτα v.v. 30 (in c. 13) respondet πάντα ταῦτα v. 4. Atqui πάντα ταῦτα v. 4 respiciunt ea tantum quae referuntur ad ruinam templi et urbis. Ergo...: Vox γενεὰ αὕτη in Novo Testamento significat vel exclusive vel praeferenter generationem praesentem. Ergo nisi velis aut novum hic sensum gratis statuere, aut errorem Christo appingere, debes *haec omnia* limitare ad eventus durante hac generatione futuros. Sic *Lagrange, Grandmaison, de la Brière, Dieckmann* et critici hodierni passim.

Altera sententia interpretatur πάντα ταῦτα in tota sua obvia amplitudine ita ut comprehendat etiam parousiam Christi, sed *generationem hanc* intelligit stirpem seu gentem iudaicam iuxta sensum, quem vox graeca γενεά passim obtinet in A. T. Sensus ergo foret: Non transibit gens seu populus iudaicus, donec haec omnia fiant. Sic plerique Patres iam inde ab *Origene*, et nostris temporibus *Knabenbauer, Prat, Ceulemans, Thibaut* etc...

Tertia sententia *notat* Christum hic uti sermone et stylo *prophetico*. Cuius haec est nativa indoles et conditio, ut duo saepe obiecta simul exhibeat quorum unum est signum seu typus, alterum vero signatum seu repraesentatum, ullo prorsus interiecto prospectivio chronologico. Christus ergo in v. 34 duo affirmasset: unum in sensu reali et litterali: non transibit generatio iudaica praesens, donec fiant omnia quae spectant ruinam templi et urbis. Alterum in sensu figurato et typico: Non transibit genus iudaicum (vel humanum) donec veniat finis mundi: sic *Hofmann, Keil, Fillion, Tromp*...

Triplex haec interpretatio, quae ceteroquin sua gaudet probabilitate, difficultatem superius propositam plus minus feliciter solvit. Licebit pauca addere: *a*) Christus clare praedicit (Mt. 14, 24; Mc. 13, 10) finem mundi non ante futurum, quam Evangelium regni praedicabitur in universo orbe in testimonium omnibus gentibus; id quod requirit sat longum temporis spatium spectata cum ipsa rei natura tum lege progressivae evolutionis ad quam fiet dilatatio regni Dei in agro huius mundi (Mt. 13, 24 sq.). — *b*) Ipso testante Iesu Hierusalem calcabitur donec impleantur tempora nationum (Lc. 21, 24). Hinc clarissime constat ruinam urbis et orbis minime coincidere. Uterque eventus separatur interiecto amplo quodam hiatu chronologico. — *c*) Iesus indubie affirmat tempus parousiae esse prorsus incertum et occultum, quippe quod sit conclusum secreto Paterno nemini revelato (Mt. 24, 36; Mc. 13, 32). Constat ergo Christum noluisse revelare hoc secretum. Atqui revelasset illud, si sollemniter asseruisset parousiam concludi intra limites praesentis generationis. Ergo... « Diem et horam » significare non determinatum tempus ad horam vel diem restrictum, sed *tempus quodlibet* manifeste colligitur ex locis parallelis Mc. 13, 33; Act. 1, 7, I Thess. 5, 1 etc. Quibus adde parabolas in quibus parousiam praecedit *longa mora*

sponsi aut domini Mt. 24, 48; 25, 5 et 19; Lc. 19, 11-12. Ceterum valde mirum foret Deum sic voluisse celare diem et horam ipsis etiam angelis, imo et Filio (Mc. 13, 32), ut revelatum ex alia parte vellet omnibus tempus determinatum unius generationis. Quibus in universum notatis:

Pleniorem et planiorem totius rei explicationem dabit, opinor, exegesis quandatenus nova, quam ceteroquin suggerunt verba Christi in loco parallelo (Mt. 23, 36): « Amen dico vobis, venient *haec omnia* super *generationem istam* ». Ubi Christus ipse sat clare determinat significationem et ambitum utriusque vocis controversae, ex qua totum hoc dissidium ultimatim exoritur.

Ταῦτα πάντα

Haec omnia significant totam poenam respondentem culpae nationali generationis perversae: « Et vos implete mensuram patrum vestrorum ... Ideo ego mitto ad vos prophetas, et sapientes et scribas, et ex illis occidetis ... ut veniat super vos omnis sanguis iustus ... Amen dico vobis: venient haec omnia super generationem istam » Mt. 23, 32 sq. Qualis et quanta sit haec poena futura, explicatur in subsequentibus: « Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta. Dico autem vobis, non me videbitis amodó, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini » Mt. 23, 38-39. Agitur ergo de poena sita in substractione protectionis messianae, quam proxime excipiet ingens quaedam et tremenda desolatio. Cuius processus *inchoabitur* quidem ruina templi et urbis, at continuabitur usque ad tempora in quibus natio perversa et incredula agnoscet demum suum ducem et pastorem. Hierusalem calcabitur *donec* impleantur tempora nationum (Lc. 21, 24). Porro expleta plenitudine gentium, Hierusalem seu natio iudaica revertetur ad Dominum Deum suum. Caecitas enim ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret, et sic omnis Israel salvus fieret (Rom. 11, 25). Maneat ergo alta mente repostum, in hoc sollemni Christi vaticinio, quod *ansam dabit sermoni eschatologico,* intimari *generationi huic* poenam talem, quae nullatenus sit restringenda ad primum atque cruentum stadium Hierosolymitanum.

Γενεὰ αὕτη

Generatio haec significat generationem iudaicam *praesentem* quidem, at *non exclusive,* sed ut solidariam et moraliter unam sive cum patribus in ordine culpae, sive cum posteris in ordine poenae. *Culpam* quod attinet, datur mensura quaedam vere nationalis ad quam implendam concurrunt cum patres lapidando, occidendo prophetas, tum iudaei praesentes interficiendo Filium Dei (Mt. 21, 39) necnon prophetas a Messia mittendos (Mt. 23, 34).

Ob hanc moralem ac solidariam connexionem tribuitur praesentibus iudaeis occisio Zachariae olim facta ab eorum parentibus, de qua tamen dicit Christus: « quem (Zachariam) *occidistis* inter templum et altare » (Mt. 23, 35). Eadem vel similis solidarietas exhibetur *in ordine poenae*. Haec quippe generatio significat subiectum super quod venient haec omnia. Atqui haec omnia implicant, ut vidimus, poenam limites unius generationis late exorbitantem. Ergo generatio haec intelligatur oportet praesens quidem, at non exclusive, sed in posteris continuanda. Iterum ratione huius connexionis seu unitatis moralis Christus attribuit praesentibus iudaeis acclamationem messianam, quae demum fiet a remotis horum posteris. « Non me *videbitis* amodo, donec *dicatis* (per filios vestros): Benedictus qui venit in nomine Domini ». Verbo: Generatio praesens *implebit* mensuram inchoatam a parentibus in linea culpae, et *inchoabit* mensuram implendam a filiis seu posteris in linea poenae. Similem conclusionem suggerit Lucas describens desolationem Hierusalem calcandae donec impleantur tempora nationum (21, 24), quia « dies ultionis hi sunt ut impleantur omnia quae scripta sunt, erit enim ira *populo huic* » (21, 22-23). Ubi exhibetur *populus hic* ut subiectum irae divinae, et *in populo hoc* considerantur non homines tantum unius generationis, sed iudaei quotquot erunt dispersi inter gentes et calcandi a nationibus.

Dices 1°. Inter v. 34 et 36 (Mt.) datur *oppositio* ut apparet ex particula autem (δέ): « De die *autem* illa et hora nemo scit ». Atqui in v. 36 evidenter agitur de tempore adventus finalis. Ergo in v. 34 non agitur de hoc tali adventu. — *Resp. a*) Particula δέ potest esse explicativa, continuativa, oppositiva etc. In v. 36 exprimi oppositionem *gratis asseritur*. Eadem particula recurrit saepe vel in hoc capite 24 absque ulla oppositionis idea: cf. vv. 8, 20, 29, 32, 37, etc ...; *b*) Oppositio, si quae sit admittenda in nostro casu, reponitur inter id quod certo scitur ac revelatur, et id quod nescitur nec proin revelari oportet. Generationem hanc non transituram ... certissime scitur et sollemniter revelatur; quando *autem* venturus sit Filius hominis, est secretum Patris nemini revelatum aut revelandum; hinc continuae exhortationes ad vigilandum ...

Dices 2°. Idem est sensus pericopes controversae in Mt. 24, 34 et in Mc. 13, 30. Atqui *haec omnia* in Mc. comprehendunt ea tantum quae spectant ruinam templi et urbis. Sane ταῦτα πάντα v. 30 respondet ταῦτα πάντα v. 4. Sed. in v. 4 agitur tantum de eversione templi et urbis. Ergo ... *Resp.* a) *In primis* gratis asseritur *haec omnia* v. 30 respondere ad *haec omnia* v. 4. — b) *Deinde* nullatenus demonstratur in v. 4 proponi unam tantum quaestionem restrictam ad eversionem templi et urbis. Duae quaestiones proponuntur a discipulis tum in Mt, tum in Mc. Prima est de *tempore* = quando haec erunt? Altera est de *signo* = quod signum? Terminus respondens *tempori* est ταῦτα seu *haec* in utroque evangelista. Terminus respondens *signo* in Mt. est *consummatio* (συντελεία) saeculi et adventus Christi; in Mc. etiam agitur de quadam *consummatione* (συντελεῖσθαι) Obiectum huius consummationis idem esse

in Mc. et Mt. rationabiliter supponitur. Primo quidem ipse Mc. recenset haec *omnia*: quod signum quod *haec omnia incipient consummari*». De quibus merito notat Knabenbauer (in Mc.): « duo exprimuntur; *ista* (ταῦτα) referuntur ad ea quae de templo dicta sunt; ταῦτα συντελεῖσθαι πάντα ad finem rerum et consummationem saeculi, id quod scil. Mtth. 24, 3 ». Deinde vero responsio Christi eodem tenore ac ordine procedit in utroque evangelista. — *c*) Respondetur *tertio* ad obiectam difficultatem sequenti dilemmate: Vel supponit adversarius Christi responsum stricte adaequari quaestioni discipulorum; at tunc fateatur oportet Apostolos interrogasse etiam in Mc. de signis praecedentibus finem mundi et parousiam, quum haec signa adeo clare notentur in Christi responso (13 ,24 sq.); vel admittit responsionem Christi transcendere interrogationem discipulorum ,et tunc obiecto *proprio pondere ruit.*

Dices 3° Saltem in Lc. 21, 7 una tantum proponitur quaestio eaque tota de eversione templi: « Quando haec erunt, et quod signum quod fieri incipient? ». Ergo nequit dici illud πάντα v. 32 referri ad consummationem saeculi. *Resp. a*) Etiam in Lc. apparet quaestio duplex: *de tempore* et de *signo*: *b*) Etiam in Lc. Christus respondet describendo signa quae praecedunt utrumque eventum, quo posito recurrit dilemma supra institutum; *c*) Christus descriptis signis eschatologicis vv. 25-27, addit: *His autem fieri incipientibus*... (v. 28). Ergo quaesitum in v. 7: « quod signum *quod haec fieri incipient* » potest referri etiam ad signa adventus finalis; *d*) in ipsa prima quaestione de ruina templi et urbis Christus respondet vaticinando desolationem, quae nequit restringi ad tempus unius generationis praesentis, sed protenditur usque ad tempora consummationis finalis, i. e. donec impleantur tempora nationum. Ergo illa *omnia* v. 32 non possunt ullatenus concludi intra meros limites urbis obsessae et eversae. Nec apparet quomodo ea quae continentur inter vv. 28-31 possint applicari eversioni Herusalem.

Dices 4° Interpretatio nostra vix differt ab ea quam saecundo loco proposuimus, in qua *generatio* haec sumitur pro stirpe iudaica. Ergo nulla nova et *plenior* solutio demum datur. — *Resp.* Nostra interpretatio reapse affinis est secundae illi interpretationi, et cum ea fere coincidit; nisi quod, habita prae oculis stricta connexione sermonis eschatologici penes. Mt. cum contextu praecedenti (23, 34-39), probabile putamus vocem « generatio haec » sive in 23, 37, sive in 24, 34 designare in mente Christi non tantum genus iudaicum *in universum*, sed speciatim generationem *praesentem*, quippe quae *implebit* mensuram patrum (23, 32), et inchoabit paenam continuandam in posteris, donec impleantur tempora nationum. Porro si poena implicat processum desolationis inchoandum potissime urbis obsidione ac eversione, eo ipso Christus vaticinatur ruinam templi et urbis futuram antequam transeat haec praesens generatio. Error fundamentalis sententiae adversariae stat non in eo quod generationem hanc intelligat praesentem seu contemporaneam, sed in hoc potius quod sumat *sensu exclusivo*, necnon et maxime in eo quod proces-

sum desolationis reducat fere ad primum ac cruentum stadium Hierosolymitanum.

9. At finis mundi adveniet *statim post tribulationem dierum illorum* (Mt. 24, 29). Atqui haec tribulatio continget diebus obsidionis Hierusalem (Mt. 24, 15; Lc. 21, 20). Ergo ad Christi mentem et verba finis mundi proxime excipiet ruinam templi et urbis.

Resp. Dist. maior.: Finis mundi adveniet statim post tribulationem *inchoatam* in diebus obsidionis. N.; statim post tribulationem inchoandam diebus obsidionis et *multo serius consummandam.* C. Mt. loquitur v. 29 de tribulatione *dierum illorum. At dies illi* sunt dies *breviandi propter electos* (v. 22). Dies vero breviandi propter electos non tam pertinent ad tempus obsidionis urbis, in quo fuga commendatur etiam electis, quam ad tempora eschatologica, in quibus Antichristus cum suis ministris talia patrabit portenta, ut in errorem inducantur (si fieri potest) *etiam electi* (v. 24). Ceterum advertas diligenter velim id quod non paucos criticos et exegetas effugisse videtur. Sermo est in textu Matthaei (et Marci) de desolatione quae dicta est a Daniele propheta (Mt. 24, 15). Porro Daniel praedixerat desolationem quae incipiet quum «civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis eius vastitas, et *post finem belli statuta desolatio*». At haec statuta desolatio debet perseverare usque ad finem. «Et erit in templo abominatio desolationis, et *usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio*» (Dan. 9, 26-27). His harmonice cohaerent quae scribit Lucas: «quia dies ultionis hi sunt, ut *impleantur omnia, quae scripta sunt*... erit pressura magna super terram et ira *populo huic.* Et cadent in ore gladii: et captivi ducentur in omnes gentes; et *Ierusalem calcabitur dones impleantur tempora nationum* Q (Lc. 21,. 34)

10. Demum obicitur quod Christus participavit ideas messianicas et Regni Dei suis coaevis familiares. Atqui iudaei Christo coaevi exspectabant Regnum Dei mere eschatologicum. Ergo...

Resp. a) In primis falso asseritur Christum participasse seu approbasse ideas messianicas quas efformaverat plebs generatim sub ductu pharisaeorum. Christus, ut videre est in tota narratione evangelica, continuo satagit corrigere purificare et perficere erroneum conceptum Messiae eiusque regni quem vel ipsi apostoli eflormaverant. Cfr. Mt. 16, 21; maxime vero Lc. 19, 11 sq.

b) Falsum itidem est iudaeos Christo coaevos exspectasse *universim* regnum Dei *mere eschatologicum.* Quaenam ideae messianicae et Regni Dei viguerint tempore Christi in populo Israël erudite simul et solide exponit cl. Dieckmann (De Ecclesia, I, n. 32-103). Ubi analysi diligenti subiciuntur: *a*) libri canonici V. T. n. n. 32-58; *b*) libri extracanonici originis sive iudaicae sive ethnicae (n. 59-81); *c*) ipsa demum evangelia n. 82-103). Totius indaginis haec est summa et conclusio. Ideae et expectationes messianicae tempore Christi vigentes in Israël fuerunt multiplices et variae. Forma tamen

quaedam praevalens influxu pharisaeorum fuit haec: Regnum Dei futurum est *messianum* i. e. instaurandum a Deo ope Messiae: — *terrenum* i. e. evolvendum in hac terra: — *religiosum* quidem at simul *nationale* et *politicum*. Non defuere tamen homines iusti qui puriorem et perfectiorem conceptum Regni Dei retinuerunt, haustum nempe ex prophetis V. T.

Scholion. *De sermone eschatologico.*

Sermo eschatologicus continet responsum Christi ad quaestionem propositam ab aliquibus discipulis seu apostolis. Hinc ad intelligendum sensum et cursum totius huius sermonis non parum iuvat attente considerare et bene intelligere sensum et naturam quaestionis a discipulis propositae. Formulae porro quibus proponitur haec discipulorum interrogatio apud tres evangelistas synopticos non perfecte coincidunt, sed nonnihil variant inter se; inde oritur quaedam obscuritas et inde consequens difficultas pro recta intelligentia sermonis Christi. Consideremus ergo paulisper et ad invicem comparemus singulas has formulas evangelicas, quae sic habent: Mt. 24, 3: « Quando haec (destructio templi) erunt, et quod signum adventus tui (παρουσίας) et consummationis (συντελείας saeculi ». — Mc. 13, 4: « Quando haec fient, et quod signum erit, quando haec omnia incipient consummari (συντελεῖσθαι). — Lc. 21, 7 « Quando haec erunt, et quod signum cum haec fieri incipient ».

Si hae tres formulae ad invicem comparentur, apparet quod apud tres evangelistas proponitur duplex quaestio: una de *tempore* (quando) altera de signo (quod signum). In formula Mt. terminus respondens tempori videtur (primo intuitu) esse sola destructio templi (quando *haec* erunt); terminus vero respondens signo videretur esse sola parusia et consummatio saeculi (quod signum adventus tui et consummationis saeculi). Spectata ergo formula Mt. hic duplex terminus non coincidit, sed diversificatur. Discipuli volunt scire quo *tempore* destruetur templum, et quod erit *signum* appropinquantis parusiae. At hoc iam a priori videtur inverosimile, nempe quod discipuli nolint scire signum praecedens destructionem templi, nec tempus parusiae. Et re quidem vera formula Mc. et Lc. ostendit identitatem utriusque termini: consideremus formulam Mc. « Quando *haec fient*, et quod

signum erit quod *haec omnia* incipient *consummari* ». Haec formula duo ostendit: *a*) identitatem termini respondentis utrique quaestioni — de tempore et de signo: quando *haec* erunt; quod signum erit quod *haec*... *b*) Additio et coniunctio particulae: *haec omnia* quae debent *consummari* ostendit quod etiam consummatio saeculi cum correspondenti parusia est terminus respondens quaestioni de tempore; ostendit quoque destructionem templi esse terminum respondentem quaestioni de signo. Discipuli ergo volunt scire tempus et signum destructionis templi; item tempus et signum proxime praecedens parusiam. Idem confirmatur et clarificatur ex formula Lc.: Quando *haec* erunt, et quod signum quod *haec* fieri incipient. Eadem particula *haec* erunt, et quod signum quod *haec* fieri incipient. Eadem particula *haec* designat terminum respondentem utrique quaestioni, de tempore et de signo. Habita ergo prae oculis formula Mc. et Lc. clare apparet *error discipulorum* qui putabant haec duo phaenomena: destructionem templi (cum respondenti destructione urbis Hierosolymitanae), et parusiam (cum correspondenti consummatione huius saeculi) debere fieri eodem tempore.

Hisce ergo notatis, et habita prae oculis hac psichologica dispositione discipulorum, sermo et responsum Christi procedit ordinatissime. En primam partem Mt. 24, 4-14: Excluduntur *falsa signa* parusiae et consummationis saeculi (nondum finis) Annuntiantur persecutiones contra praecones evangelicos. — Annuntiantur quoque scandala et mutuae traditiones intra communitatem christianam — Annuntiatur item cursus crescentis et praevalentis iniquitatis — Et datur demum signum generale et negativum parusiae et consummationis saeculi. Finis mundi non veniet antequam evangelium Regni praedicabitur in toto mundo in testimonium omnibus gentibus.

Exclusis ergo falsis signis, et dato vero signo *negativo* consummationis saeculi, accedit iam responsum Christi ad quaestionem de tempore et signis praecedentibus ruinam templi et urbis (Mt. 24, 15-22). Hoc signum erit abominatio *desolationis* praedicta a propheta Daniel. Haec pars obscurior in Mt., perfecte

illustratur et clarificatur in loco parallelo Lc. 21, 20: « Cum autem videritis circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote quia appropinquavit *desolatio* eius ». Comendatur fuga ad montes, et describitur magnitudo ac diuturnitas huius desolatinois, quae perdurabit *donec impleantur tempora nationum. Signum* ergo proxime praecedens ruinam templi et urbis erit obsessio (el cerco) urbis ab exercitu romano. *Tempus* vero erit paulo post hanc obsessionem.

Subsequitur iam responsum Christi ad alteram quaestionem de tempore et signis praecedentibus parusiam et consummationem saeculi (Mt. 24, 23-33). Ubi primo excluduntur falsa signa, et dein dantur vera signa. Falsa signa sunt praesentia pseudo-christorum et pseudoprophetarum cum suis portentis et prodigiis. Verum signum proximitatis parusiae erit perturbatio cosmica: sol obscurabitur, luna non dabit lumen suum, stellae cadent de caelo ... Proximitas parusiae describitur pulchra parabola fici cuius rami teneri et folia nata annuntiant proximitatem temporis *laeti et aestivi*: imminet iam regnum Dei (Lc.); ideo fideles invitantur ad gaudium et laetitiam: levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Verum ergo *signum* parusiae erit praefata perturbatio cosmica; *tempus* vero erit paulo post hanc perturbationem. Tempus autem concretum et determinatum parusiae non revelatur, sed manet occultum: « de die autem illa et hora nemo scit, neque angeli eorum, nisi solus Pater ».

Subsequitur sollemnis Christi affirmatio: « Amen dico vobis, quia non praeterebit generatio haec donec omnia haec fiant », unde sumitur obiectio modernistica. Quoad hanc obiectionem nota: *a*) Si generatio haec non significat genus iudaicum, sed significat hoc praesens saeculum nequam (ita recenter laudatus *Brunec*), nullus locus datur obiectioni. *b*) Si generatio haec significat genus iudaicum universum (el pueblo judío), ut multi antiqui et moderni opinantur, disparet eodem modo obiectio, quia populus iudaicus permanebit, imo convertetur ad Christum, cum plenitudo gentium intraverit (Rom. 11, 25). *c*) Si generatio haec significat generationem iudaicam praesentem et Christo coaevam, nequit

significare hanc generationem solam, sed illam ut continuandam in successivis generationibus donec veniat omnium acclamatio messiana. « Benedictus qui venit in nomine Domini » (Mt. 23, 39), ut superius ostendimus. Sic manet penitus dissipata obiectio modernistica.

Nota bene: Dedimus tenorem et cursum generalem sermonis eschatologici. Quoad singula puncta obscura et controversa conferas omnino *Brunec* in articulis superius citatis.

Scholion dogmaticum.

a) Doctrina modernistica de regno Dei mere eschatologico reprobata est a Pio X in Encyclica « Pascendi ». Cfr. DB. n. 2071 sq.

b) Decretum S. Off. « Lamentabili » dissertis verbis damnat sequentes propositiones modernistarum: « Evidens est cuique, qui praeconceptis non ducitur opinionibus, Iesum aut errorem de proximo messianico adventu fuisse professum, aut maiorem partem ipsius doctrinae in Evangeliis synopticis contentae authenticitate carere ». Cfr. DB. n. 2033. — « Alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam seriem saeculorum duraturam; quin imo in mente Christi Regnum caeli una cum fine mundi iam iam adventurum erat ». Cfr. DB. n. 2052.

c) Tandem doctrina modernistica eschatologica aperte opponitur *dogmati* quo profitemur Christum immediate instituisse Ecclesiam suam hisce in terris. Hinc doctrina modernistarum est *haeretica.*

Notae bibliographicae

Ad ispam thesim utiliter conferas: *Dieckmann,* De Ecclesia, n. 108-128; *I. de la Brière* in *Dict. Apol. de la Foi Cathol*., I, col. 1221-1235; *D'Herbigny,* De Ecclesia, n. 45 *Bartmann, Das* Reich Gottes in der heil. Schrift. *Bibl, Zeitfragen V, 4. 5; Idem,* Das Himmelreich und sein König nach den Synoptiken, Paderborn, 1904; *Battiffol,* L'enseignement de Jésus, Paris (1905), pag. 139-188.

De adversariis: Sententia *Loisy* magnam affinitatem prae se fert cum systemate *I. Weiss,* cuius opusculum prius (Die Predigt Iesu vom Reiche

Gottes, 1892) novem post anis iterum sub eodem titulo edebatur vehementer auctum et novis curis perpolitum. Praecipua opera *Loisy* pro nostra quaestione sunt: L'Evangile et l'Eglise, 1902; — Autour d'un petit livre, 1903; — Les évangiles synoptiques, 1907; — Simples réflexions sur le Decret «Lamentabili» et sur l'Encyclique «Pascendi», 1908; — Quelles lettres sur des questions actuelles et sur des evénements récents, 1908. — De opere recenti eiusdem Auctoris: «Memoires pour servir l'histoire religieuse de notre temps» (in triplici volumine) conferas *M. J. Lagrange.* O. P.; «M. Loisy et le Modernisme», 1932. Placita modernistica recenter renovabant A. *von Gall,* Basilea tou Theou: eine religionsgeschichtliche Studie zur vorchristlichen Eschatologie, Heidelberg, 1926; *W. Mundle,* Reich Gottes (Religions in Gesch. u. Geg. ed. 1930, IV, col. 1817-1820); *B. S. Easton* (Christ in the Gospel, N. York, 1930, p. 154-174).

De voce Regni Dei: Cf. *Zorell* in *Zeitschr. f. kathol. Theol.*, 1903, pag. 581 sq.; — *Idem* apud Lexicum Graeco-Biblicum ad v. Βασιλεία — *Cremer-Kögel,* Wörterbuch der neutestamentlichen Gräzitat ad v. βασιλεία; — *Dieckmann,* De Ecclesia n. 23-26.

Ad parabolas de Regno Dei: Cf. *L. Fonck,* die Parabeln des Herrn, edit 3ª, 1909. Datur versio italica: Le parabole del Signore, Roma (1924); *M. Sainz,* Las parábolas del evangelio, y el reino de Cristo que es la Iglesia, Bilbao, 1915; *Vosté,* Parabolae selectae Domini Nostri Iesu Christi, edit. 2ª, Romae, 1933; *D. Buzy,* Les paraboles (in Collect. *Verbum salutis*), Paris, 1932.

Ad sermonem eschatologicum: Cf. probatos commentaristas biblicos. Utiliter consuli possunt: *M. J. Lagrange,* L'avénement du Fils de l'homme in *Rev. Biblique,* 1904, pag. 497-508; — 1906, pag. 382-411; — 1908, pag. 280-285; — Evangile selon saint Marc 1911, pag. 330-333; — Evangile selon saint Luc 1921, pag. 520-537; — Evangile selon saint Matthieu 1923, pag. 454-471; *Mangenot* in *Dict. de la Bible* ad v. «Fin du monde», v. II, col. 2262-2278; *Lemonnyer* in *Dict Apol.* ad eandem vocem, v. I, col. 1920 sq.; *Cellini,* Saggio storico critico di esegesi biblica sulla interpretazione del sermone escatologico, Genova, 1905; *Karl. Weiss,* Exegetischer zur Irrtumslosigkeit u Eschatologie Iesu Christi, Münster, 1916, pag. 107 sq.; *Knabenbauer* in Comment. in Mtth., Mc. et Lc. Advertas infelicem sententiae mutationem in Comment. in Lc. edit. altera, 1905, pag. 569-570. *Grandmaison,* Iésus Christ, edit. 9ª, 1929, Note F_2: «Cette génération ne passera pas ...», pag. 457-463; *L. Billot,* La Parousie, Paris, 1920, pag. 15-191; *Thibaut,* La grande tribulation in *Nouvelle Revue Théologique,* 1928, pag. 373 sq., *H. Liese,* Sermo de parousia in *Verbum Domini,* 1932, pag. 321 sq., *F. Prat.* Cette génération in *Recherches de science religieuse,* 1927, pag. 317 sq.;

Idem, Iésus Christ, Paris, 1933, v. II, pag. 239-256; *Rosadini,* Notae exegeticae, II. Selecta ex Evangeliis et Act. Apost., editio altera, Romae, 1935. pag. 188-198. Auctor sapienti prorsus consilio mutavit priorem suam sententiam. *Holzmeister,* « Ab arbore fici discite parabolam » in *Verbum Domini,* Vol. 20, Fasc. 11 (1940), p. 299 sq. — *Vaccari,* « Il discorso escatologico nei vangeli » in *La Scuola cattolica* 68 (1940), p. 5-22. — *L. de Witte,* « Le Christ a-t-il prédit la fine du mond? in *Collectanea Meclinensia* 28 (1939), p. 19-39. — *Ceuppens,* Theologia biblica, vol. III (1939), p. 122 sq. — *M. Brunec.* S. D. B. recenter examinavit totam quaestionem de structura et sensu sermonis eschatologici novem articulis editis in ephemeride romana « Verbum Domini ». Tres priores articuli continentur in vol. 30, a. 1952, pp. 214-18; 265-77; 321-31. Reliqui articuli reperiuntur in vol. 21, a. 1953, pp. 13-20; 83-94; 156-63; 211-20; 282-90; 344-51. Quod attinet *sensum* sermonis eschatologici, en summam rei ab ipso auctorem concinnatam:

« Sensus seu summa totius sermonis est: Nolite, falsis de Parusia ideis imbuti, putare me, cum praedixi proximam destructionem templi et urbis, praedixisse proximitatem parusiae: ne, confundentes tempus et signum destructionis cum tempore et signo parusiae, seducamini a falsis christis et falsis prophetis, qui apparituri sunt tempore falsae parusiae (= tempore falsae cuiusdam expectationis parusiae), neve abruamini, sperantes imminentiam Salutis (parusiae), immani illa calamitate (destructione), quae loco Salutis Israelem oppressura est.

Bella enim mox futura et *pestes etc.*, quae vos supponitis esse ultimos dolores messianicos (= ultimos labores perferendos antequam appareat Messias gloriosus); non sunt ultimi dolores, *non sunt tempus proximitatis parusiae.* Adhuc longa dolorum series vos manet antequam veniat Messias gloriosus. Parusia non habebit locum nisi post evangelizationem totius generis humani.

Signum parusiae non est abominatio a Daniele praedicta vel aliquod aliud signum cuiusmodi vos expectatis. Abominatio erit signum destructionis, non Salutis; unicum signum parusiae *erit commotio cosmica,* quae locum habitura est post destructionem.

Nolite tamen propter dilatationem parusiae remissiores fieri in colenda virtute, sed e contra semper vos paratos conservate ad adventum Iudicis. Parusia enim adeo improvvisa erit, ut eo momento nemo possit sese praeparare ».

Sententias Patrum atque Doctorum quoad praecipuos textus eschatologicos colligere atque ordinare incepit *F. Segarra* in *Estudios eclesiásticos*: Algunas observaciones sobre los principales textos escatológicos. Prodiere iam articuli sex: Quoad textum Mtth. 16, 28 cf. laudatam ephemeridem, 1931, pag. 475-499; — 1932, pag. 83-94; — 1933, 345-367. Quoad textum Mtth. 10, 23 cf. 1934, pag. 225-261; 399-417. Cf. *Gregorianum,* 1937, p. 534-578; necnon 1938, p. 58-87; 349-375; 543-572. Integram materiam collegit Auctor, et sermone latino edidit: « Sententiae eschatologicae », Madrid, 1942.

De libris apocryphis et exspectatione messiana: *St. Székely,* Biblioteca apocrypha, Friburgi Brisgoviae, 1913; *I. B. Frey,* Apocryphes de l'Ancien Testament in *Dict. de la Bible,* Pirot, *Supplément,* col. 354 sq.; *M. J. Lagrange,* Le messianisme chez les Juifs au temps de I. C., 1909; *Schlagenhaufen,* Der geistige Charakter der Jüdischen « Reichs » Erwartung in Zeits. f. kath. Theol., 1927, pag. 370-393; 473-531; *Dieckmann,* De Ecclesia, n. 59-80.

THESIS II

Regnum Dei a Christo annuntiatum non est mere internum, sed evolvitur interne quidem seu in animis hominum, at simul externe et socialiter.

Praenotanda

Ex thesi priori constat Regnum Dei non esse mere eschatologicum, sed exsistere sub condicionibus huius vitae praesentis. Quaeritur iam sub qua forma exsistat et evolvatur: num forma mere interna et individuali, an potius externa et collectiva. Ratio dubitandi petitur ex indole religiosa et spirituali huius regni (Io. 18, 36), cum qua videri possit pugnare omnis organizatio externa et iuridica. Quaestioni propositae respondet thesis affirmando characterem internum, externum ac collectivum Regni Dei a Christo praedicati.

Regnum internum quid sit haud difficulter intelligitur ex praeiacta notione Regni Dei. In quo possunt considerari tria: *a*) Dominatio Dei in homines; *b*) Huius dominationis libera agnitio ex parte hominum, horumque subiectio sub voluntate et regimine Dei; *c*) Bona quae Deus elargitur his qui acceptant suam dominationem et fiunt cives Regni Dei. Regnum Dei, ex qua parte implicat subiectionem hominum, horumque cooperationem requirit, iure appellatur *ethicum*; ex qua parte importat bona civibus concedenda, dici potest *gratiosum,* quum haec bona sint gratuita atque ex libera Dei benevolentia procedant. Iamvero, Regnum Dei dicitur internum spectato eius momento tum ethico, tum gratioso; quatenus exigit subiectionem animae cum suis po-

tentiis, et offert bona quae internam animae renovationem prae se ferunt.

Regnum mere internum dicitur illud quod nullum continet elementum externum, sed totum quantum continetur in abditis cordium. Nulla in eo doctrina revelata aut fidei confessio, nulli ritus sacramentales aut sacrifici, nulla auctoritas publica nomine Dei praecipiens, sed mera animi cum Deo communio per experientiam percepta. Per se patet hoc tale regnum esse totaliter internum et individuale, quippe quod sit occlusum totum in animis singulorum qua talium.

Limites quaestionis clare determinantur in ipsa thesis enuntiatione. Duo probanda veniunt: 1° Regnum Dei a Christo annuntiatum esse essentialiter imo et primarie internum tum qua ethicum tum qua gratiosum; 2° Hoc regnum Dei esse simul externum et collectivum. Defenditur character externus et collectivus huius regni non eo solum sensu, quod constet hominibus visibilibus, sed eo praeterea, quod hi homines subiectionem suam manifestant et bona propria huius regni participant tamquam membra alicuius collectivitatis externae et visibilis. Ceterum thesis proponitur et vindicatur modo aliquo sat summario et generico, aliunde tamen sufficienti ad dissipanda praeiudicia adversariorum. Indoles socialis Regni Dei plena in luce collocabitur, quum ostendamus Christum non solum annuntiasse, sed vere *instituisse* Regnum Dei in forma stricte sociali, hierarchica et monarchica.

Interpretatio liberalis Regni Dei

Conceptio Regni mere interni sat communis est in schola Protestantica liberali. Eminet in Germania *A. Harnack* (Das Wesen des Christentums). Cuius theoria, qualis potissimum continetur in praelectione tertia et quarta, sic potest ad pauca revocari.

a) Contendit Harnack conceptum mere eschatologicum Regni Dei non satis cohaerere cum narratione synopticorum. Regnum Dei *iam est praesens* in hac vita, sed totum quantum est internum. Sane Iesus non invenit ipse conceptionem de duplici

regno (Dei et daemonis), sed eam hereditavit a Iudaismo. Attamen iudaicam conceptionem Regni Dei, quae erat nimis externa et ritualis, correxit purificavit et mirum in modum perfecit.

b) Oportet nempe distinguere in Christianismo elementum duplex: unum commune cum iudaismo, quod est externum et collectivum (= *corticem*); alterum specificum et characteristicum Christianismi, quod est totum internum (= *nucleum*). ***Essentia*** quippe ***Christianismi*** tota consistit in experientia interna Dei *ut Patris,* in sensu filiationis divinae, in fiducia intima sub paternali Dei providentia: verbo, in intima communione animae cum Deo vivente. Ex qua intima communione, per experientiam percepta, oritur immensa quaedam vis animam, elevans, confortans, laetitia inenarrabili perfundens.

c) Patet in tali conceptione Regni Dei nihil remanere externi et collectivi; omnia quippe reducuntur ad animam et Deum, Dominatio Dei in animam exercetur directe et immediate ab ipso Deo; subiectio quoque animae est totaliter interna et immediata. Bona etiam huius Regni propria sunt animae interna et directe a Deo in eam descendunt. Nihil ergo remanet externi et collectivi. Non doctrina aliqua dogmatica proprie revelata, quae sit credenda et externe profitenda; non auctoritas aliqua doctrinalis aut legislativa, quam oporteat revereri nomine Dei praecipientem; quin imo, excluditur omnis ratio cultus externi et socialis. Etenim adorandus est Deus in abdito conscientiae sanctuario. Nec Christus ipse manet obiectum adorationis, sed mera via et exemplar ad Patrem.

d) Apparet iam quomodo Christus correxerit carnalem et constrictam iudaeorum conceptionem de Regno Dei. Revera apud iudaeos observantiis et ritibus externis immoderatius inhaerentes, elementum externum dominabatur et praevalebat interno; littera occidebat spiritum, cortex suffocabat nucleum. At Iesus, quo pollebat praeexcelso temperamento religioso et libertate spiritus, elementum internum a servitute liberavit, eique iura principatus restituit.

e) Fundamenta huius theoriae philosophica quidem recte reponuntur in *sensismo religioso.* Quod attinet ad fundamenta biblica, Harnack appellat ad parabolas seminantis, margaritae

pretiosae et thesauri absconditi, necnon ad effata Christi apud Mt. 11, 27; « Nemo novit Filium nisi Pater: neque Patrem quis novit nisi Filius », et apud Lc. 17, 21: « Regnum Dei intra vos est ».

Probatur thesis

I

Regnum Dei essentialiter internum.

a) *Qua gratiosum*: Etenim Regnum Dei a Christo annuntum est Regnum *messianicum* a Prophetis A. T. vaticinatum: « Lex et Prophetae usque ad Ioannem: ex eo Regnum Dei evangelizatur », (Lc. 16, 16; cf. Mt. 11, 12-13). Hinc bona huius Regni reducuntur ad *salutem messianam*; venit quippe Filius hominis *salvare* quod perierat (Mt. 18, 11). Porro salus messiana constat elemento negativo seu remissione peccatorum, et elemento positivo seu infusione novae vitae.

Primum elementum quod attinet: Christus *vocat ad se peccatores* (Mt. 9, 13; Lc. 15, 2 sq.); — *tribuit sibi potestatem remittendi peccata* (Mt. 9, 1-6); — *hanc potestatem exercet* remittendo peccata (Lc. 7, 48-50; Mt. 9, 2); — eandem potestatem *discipulis exercendam tradit* (Io. 20, 22-23).

De altero elemento seu infusione novae vitae grandis sermo apud Ioannem. Qui eam exhibet salientem in Verbo (Io. 1, 4), e fonte Paterno derivatam (5, 26 et 6,57), efluentem ad humanitatem in Christo (1, 14), inde ad nos redundantem, quicumque instar palmitum ei ut viti inserimur (15, 4-5). Fit autem haec incorporatio primo quidem in baptismo (3, 5-6), perficitur vero in eucharistia (6, 54-57), ultimum autem gradum assequetur demum in alia vita; etenim nunc filii Dei sumus, at « nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus: quoniam *videbimus eum sicuti est* » (ep. I, 3, 1-2). *Breviter ergo*: Bonum specificum Regni Dei est salus messiana. Atqui hoc bonum est essentialiter internum, siquidem implicat elementum animam purificans, vivificans, exaltans in consortium divinae naturae. Ergo ...

b) *Qua ethicum* requirit nostram cooperationem et totius animae subiectionem.

Ingressus in hoc Regnum Dei fit mediante fide et poenitentia (Mc. 1, 14-15), hinc postulat subiectionem intellectus et voluntatis.

Parabola seminantis ostendit obstacula quae impediunt germinationem Regni Dei: cordis nempe duritiem, animi levitatem et multiformes concupiscentias (Mt. 13, 4 sq.). Oportet ergo animum conterere, roborare, refrenare.

Sermo montanus describit virtutes quas debent exercere cives huius regni. In quo beati proclamantur hi qui sunt pauperes spiritu, mites, misericordes, mundi corde, pacifici, qui iustitiam ardenter exoptant, qui persecutiones patienter ferunt. Demum quid profundius seu intimius *amore*? Porro in Regno Dei postulatur amor perfectissimus non solum in Deum, sed etiam in Christum. Etenim « qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium, aut filium super me, non est me dignus » (Mt. 10, 37; cf. Lc. 14, 15-16). *Verbo*: Regnum Dei ex qua parte est *ethicum* requirit subiectionem intellectus, voluntatis, cordis, totius animae. Est ergo essentialiter internum.

II

Regnum Dei essentialiter externum et collectivum.

Parabolae imprimis non obscure significant characterem collectivum, hinc externum Regni Dei. Quod comparatur *sagenae* missae in mare, ex omni genere piscium congreganti (Mt. 13, 47 sq.); *agro* in quo simul cum tritico crescunt et zizaniae (ibid. 13, 24 sq.); *convivio nuptiali* ad quod congregantur tum convivae electi, tum collecti e viis et saepibus, tum prorsus indigni (ibid. 22, 1 sq.); *domui* a Christo construendae super fundamentum Petri (ibid. 16, 17); *gregi et ovili* ovium, ad quod non solum iudaei, sed etiam gentiles vocandi sunt, ut efficiant unum gregem sub uno pastore (Io. 10, 16). Atqui hae comparationes evidenter prae se ferunt aliquid collectivum et externum, in quo boni malis admiscentur, nec regno mere interno aptari ullatenus possunt.

Analysis dein utriusque elementi eandem dabit conclusionem. Etenim Regnum Dei *qua gratiosum* importat salutem animae.

Porro salus animae inchoatur in baptismo (Io. 3, 3-6); hinc datur ritus externus, qui ex una parte supponit collectivitatem in qua administratur, ex altera vero habet virtutem coagmentandi christianos in unum corpus sub Christo capite (I Cor. 12, 13). — Salus amissa reparatur per sacramentum poenitentiae (Io. 20, 22-3); hinc iterum habetur ritus externus administrandus in collectivitate efformata a ministris et subditis. — Inchoata per baptismus salus perficitur ope eucharistiae. Ubi rursus recurrit ritus sacramentalis et sacrificus, cui nativa inest vis concorporandi convivas sub uno capite: « Quia unus panis, unum corpus multi sumus; omnes *enim* ex uno pane participamus » (I Cor. 10, 17).

Regnum Dei *qua ethicum* implicat subiectionem animae. At subiectio haec praestanda est non tantum Deo in abdito cordis, sed Christo etiam eiusque ministris, sive dum verbum Dei praedicant (Mt. 10, 14; Mc. 16, 16; Lc. 9, 5); sive dum ritus sacros administrant, sive dum publicum et rebellem peccatorem corripiunt (Mt. 18, 17). Ergo Regnum Dei qua ethicum supponit subiectionem externe et collective exercendam.

Tertium argumentum facile inde fit, quod Christus promisit et dedit Petro *claves Regni caelorum* exercendas in terris (Mt. 16, 17-19). Atqui nullus est locus possibilis exercitio clavium in Regno mere interno et individuali. Ergo ...

Rursus Christus dedit collegio apostolico amplam ligandi et solvendi potestatem (Mt. 18, 18). Atqui in Regno mere interno, quale concipitur ab adversariis, nihil potest ab hominibus solvi aut ligari. Ergo ...

Iterum teste Christo aderunt in Regno Dei scandala seu peccatores (Mt. 13, 41). Atqui in Regno Dei mere interno nulla possunt esse scandala, quae colligantur, sed mera animae communio cum Deo vivente. Ergo ...

Demum principium fundamentale, cui innititur theoria Harnack, opponitur aperto Christi testimonio: « Omnia mihi sunt tradita a Patre meo. Et nemo novit Filium nisi Pater: neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare » (Mt. 11, 27; cf. Lc. 10, 22). Harnack supponit: *a*) Christum esse merum hominem, qui in ratione filii Dei constituitur per cognitionem; *b*) Hanc cognitionem Paternitatis divinae esse finitam et

experimentalem; c) Nos cognoscere Patrem simili cognitionis genere ac Christus. Atqui triplex hoc suppositum excluditur verbis Christi. Sane, sicut nemo novit Patrem nisi Filius, sic nemo novit Filium nisi Pater. Ergo eadem est naturae ac intellectus dignitas in Patre et Filio. Sed natura et intellectus Patris sunt evidenter divina et infinita. Ergo etiam Filii; ideo asserit Filius *omnia* sibi tradita esse a Patre; — item Christus novit Patrem eadem cognitione qua Pater novit Filium. Atqui Pater novit Filium cognitione intellectuali, intuitiva, infinite perfecta. Ergo notio Filii de divina bonitate ac Paternitate non est finita et experimentalis, sed intellectiva et infinita, intuitiva; — demum nos cognoscimus Patrem per revelationem Filii. Sed cognitio revelationi respondens est fides, non visio. Ergo nostra de Patre cognitio non est similis cognitioni Filii. Vides perfectam cohaerentiam synopticorum cum Ioanne: « Deum nemo *vidit* unquam; unigenitus filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit » (1, 18); ubi divinitas Verbi et Christi clare enuntiatur.

Obiectiones solvuntur

1. Christus comparat Regnum Dei thesauro abscondito et margaritae pretiosae (Mt. 13, 44-45). Atqui haec similitudo aptari vix potest Regno externo et collectivo. Ergo.

Resp. D. min.: haec similitudo aptari nequit Regno mere externo et collectivo, Trans., Regno interno simul et externo, subd.; si agitur de similitudine exprimente *adaequatam* Regni essentiam, C.; inadaequatam, N.; Integra Regni Dei imago conflari nequit ex elementis contentis in una tantum parabola; oportet colligere et in harmonicam synthesim redigere omnia elementa quae continentur in parabolis et caeteris Christi effatis. Harnack *prudenter* tacet de parabola zizaniorum, sagenae missae in mare ...

2. Sed Paulus scribit (Rom. 14, 17): « Non est enim Regnum Dei esca et potus; sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu sancto ». Atqui haec omnia sunt mere interna. Ergo notio Paulina Regni Dei vix differt ab ea quam protulit Harnack.

Resp. Concessa mai. et min. negatur conseguens, quod nullatenus tenet. Paulus l. c. docet quidem iustitiam, pacem ... pertinere ad Regnum Dei; at hic non determinat quomodo praedicta dona a Deo in animam deriventur: utrum mere interne et individualiter, an externe et collective. Missis aliis, Paulus alibi aperte et iterato docet ritus sacros externos, puta Baptismum et

Eucharistiam, qui ex una parte sunt vehicula vitae divinae in animam transmittendae, ex alia vero habent insitam sibi vim coagmentandi fideles in *unum* Christi capitis *corpus*. (cf. I Cor. 12, 13; 10, 16-17; Rom. 12, 4-5). Non minus clare tradit alibi ministeria hierarchica et charismatica a Christo instituta ad aedificationem huius corporis (Ephes. 4, 11 sq.). Vides protestanticam conceptionem de Regno Dei mere interno et individuali e diametro opponi genuinae Pauli conceptioni.

3. At Christus ipse videtur palam docere indolem mere internam Regni Dei apud Lc. 17, 21: « Ecce enim Regnum Dei intra vos est ἐντὸς ὑμῶν » Atqui difficulter concipitur Regnum externum et collectivum intra nos existens. Ergo ...

Resp. Duplex proponitur etiam inter catholicos huius loci interpretatio: *Alii* intelligunt: Regnum Dei est *intra* vos i. e. intus in animis vestris. At huic interpretationi obstat gravis difficultas ex contextu, ubi Christus evidenter alloquitur *Pharisaeos*, in quorum animis Regnum Dei certe non erat. Hinc *alii* multo melius intelligunt: Regnum Dei *inter* vos est. — Forsitan opponens vim particulae ἐντός quae *intraneitatem* designat. — Sed Christus non loquitur de intraneitate, quae afficiat corda Pharisaeorum (!), sed eorum collectivitatem. Christus non dicit: Regnum Dei intra *corda* vestra, sed intra *vos* est; sicut alibi dicitur: « Pervenit *in vos* Regnum Dei » (Mt. 12, 28), « medius vestrum stetit quem vos nescitis ». *Summatim ergo*: Secunda interpretatio multo probabilior apparet spectato contextu proximo et remoto. — Dato, et non concesso, primam interpretationem admitti posse, hoc unum sequeretur: Regnum Dei constare bonis et oneribus animo internis. Regnum Dei concludi hoc unico elemento interno, in textu non dicitur, et alibi aperte excluditur, ut ostendimus in probatione theseos.

4. *Replicabis*. In textu agitur de Regno Dei quod non venit cum observatione. Atqui Regnum externum venit cum observatione. Ergo ...

Resp. Dist. maior.: Regnum Dei dicitur non venire cum observatione illa, quam Pharisaei expectabant pompa et apparatu externo insignem, C.; excluditur omnis alia possibilis observatio sive Messiae sive Regni Dei advenientis, N.

5. Sed regnum mere internum est illud in quo excluditur omnis cultus externus. Atqui sic in Regno Dei: etenim « Spiritus est Deus, et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare » (Io. 4, 24). Ergo ...

Resp. Dist. min.: In Regno Dei excluditur omnis cultus externus, N.; excluditur cultus sacrificus imperfectus, umbratilis seu figuralis, uni tantum loco (Ierosolymitano) alligatus, C. Cfr. contextum antecedentem.

6. Essentia Christianismi sita est in iustitia animae. Atqui haec iustitia est mere interna. Ergo Regnum Dei, prout a Christo intelligebatur, est mere internum.

Resp. D. maior.: Essentia Christianismi sita est *partialiter* in iustitia animae, C.; *totaliter*, N. Iustitia seu sanctitas animae est finis (partialis) obtinendus in Regno Dei. Ad hunc finem obtinendum Christus instituit multa media externa, quae etiam pertinent ad essentiam Regni Dei.

7. Sed ad essentiam Christianismi id solum pertinet, quo Christianismus differt a Iudaismo. Atqui Christianismus non differt a Iudaismo in elemento externo et collectivo. Ergo ...

Resp. Negatur maior et minor propositio. Ad essentiam Christianismi pertinent tum ea per quae differt, tum etiam multa in quibus convenit cum Iudaismo; si obiectio teneret, liceret inde concludere *monotheismum*, quippe qui sit communis Iudaismo et Christianismo, minime ad huius essentiam *pertinere* (1). Falsum quoque est Christianismum non differre a Iudaismo in elemento externo, quum novo utatur sacerdotio, magisterio et imperio ...

8. At *nucleus* Christianismi est bonum aliquod supernaturale, pure religiosum, animam intime penetrans. Atqui tale bonum est pure internum. Ergo ...

Resp. Dist. maior.: Si nomine nuclei intelligitur finis seu bonum maxime intentum in christianismo, Trans.; si nomine nuclei intelligitur tota christianismi essentia, N.: Sicut in homine nequit essentia adaequate reponi in solo elemento interno et spirituali, etsi hoc sit principalius; sic in Christianismo nequit tota eius essentia ad unum elementum internum revocari. Ceterum ipsa nuclei interna venustas atque structura non parum deformatur ac dehonestatur apud Harnack, quippe qui ordinem stricte supernaturalem reiicit, hinc veram *filiationis divinae* naturam intelligere prohibetur. Sed haec ad aliam provinciam spectant.

9. Regnum Dei est unitas religiosa. Atqui unitas religiosa nequit esse iuridice organizata. Ergo ...

Resp. Dist. maior.: Regnum Dei potest dici unitas religiosa obtinenda mediante sacerdotio, magisterio et regimine externo, C.; obtinenda directe et immediate sola Dei actione in animam, N.

10. Sed Ecclesia seu Regnum Dei, utpote spiritualis a Spiritu Dei libere spirante regitur. Atqui cum eiusmodi influxu pugnant normae externae atque iuridicae. Ergo ...

Resp. Dist. maior.: Ecclesia regitur a Spiritu libere spirante cum exclusione mediorum externorum, N.; sine hac exclusione, C.; Spiritus qui spirat ubi vult, et animam interius renovat, ipse est qui fluenta aquarum vegetat in baptismo (Io. 3, 5), actioni sacerdotali tribuit efficaciam (Io. 20, 23), carnem Christi redit vivificam (Io. 6, 63), magisterium ecclesiasticum custodit ab errore (Mt. 28, 20) etc.

Nota bene: Dissipavimus in hac thesi difficultates motas a Harnack

(1-8) et Sohm (9-10) contra characterem externum Regni Dei. Alibi examinabimus difficultates propositas a Protestantibus conservativis contra visibilitatem Ecclesiae.

Scholion dogmaticum

Interpretatio Harnack de regno Dei mere interno et individuali a Christo annuntiato, etsi nullibi est directe et expresse condemnata ab Ecclesia, attamen directe et aperte opponitur dogmati quo credimus Christum verum Dei filium, Ecclesiam divinitus fundatam, sacramenta a Christo instituta, etc. etc. Hinc tota haec doctrina potest dici fundamentaliter *haeretica*.

Notae bibliographicae

Ad ipsam thesim utiliter conferas: *Dieckmann,* De Ecclesia, n. 133-150; *I. de la Brière* in Dict. Apol. de la Foi Cath., I, c. 1221-1222; 1225-1230.

De adversariis: In thesi exponenda et vindicanda habuimus maxime prae oculis *A. Harnack* in opere « Das Wesen des Christentums ». Constat hoc opus 16 lectionibus seu conferentiis ab Auctore pronuntiatis in Universitate Berolinensi a. 1899. Nactum est miram difusionem, versumque est in varias linguas: gallicam, italicam, hispanicam... Natura Regni Dei describitur in conferentia tertia et quarta. Quaestio de filiatione divina et messianitate Iesu tractatur in conferentia septima et octava. Similem conceptionem Regni Dei proponebat in Gallia *A. Sabatier* labente saeculo 19°. Praecipua opera sunt « Esquisse d'une philosophie de la Religion », et « Les Religions d'autorité et la Religion de l'Esprit ». Ubi, impugnato dogmate sive catholico sive protestantico de auctoritate, Religio Spiritus in l. III describitur. Quid sit esse christianum sic definitur: « Etre chrétien, en dernière analyse et pour descendre jusqu'à la première racine du christianisme, ce n'est pas recevoir une notion de Dieu ou même une doctrine abstraite de son amour paternel; c'est revivre intérieurement la vie intérieure, la vie spirituelle du Christ, et, par l'union de notre coeur au sien, *sentir* en nous la présence et ce rapport en lui. Il ne s'agit pas d'une instruction nouvelle; il s'agit d'une transformation de conscience. Le Christ est bien plus qu'une autorité suprème dans le christianisme: il est le christianisme lui-même... La Jesulâtrie [est] idolâtrie positive » o. c. p. 456.

De conceptu vitae in Evangelio S. Ioannis egregie disserit *I.-B. Frey* in « Biblica », 1920, p. 37-58; 211-239.

Ad textus principales: Theoria Harnack innititur duplici potissimum textui evangelico: *a*) Mt. 11, 27: «Nemo novit Filium nisi Pater; neque Patrem quis novit nisi Filius». Harnack contendit filiationem Iesu intelligendam esse non sensu *metaphysisco* (= propter *identitatem naturae*), sed sensu *psychologico* (= propter *cognitionem* Patris). *b*) Lc. 17, 21: «Ecce enim Regnum Dei intra vos est». Inde concludit in indolem mere internam Regni Dei. Hanc exegesim falsam esse praeclare ostendit vel ipse *Loisy* in opere «L'Evangile et l'Eglise», 1902. De primo textu scribit: «Le texte cité, pris dans son sens naturel, prouverait toute autre chose que ce que l'on veut... Ce n'est pas sans les violenter qu'on en limite l'application aux choses que Jésus aurait apprises du Père, à la révélation qu'il serait chargé d'apporter aux hommes. On veut trouver le principal de cette révélation dans la connaissance que le Fils a du Dieu bon. Mais *il est évident* que le texte n'a pas été conçu pour faire valoir une telle idée. Est-ce que le Père, qui seul connaît le Fils, comme le Fils seul connaît le Père, aurait aussi reçu du Fils une révélation dont il serait l'interprète, et ne serait-il Père que pour avoir connu le Fils? ... Il s'agit visiblement d'un rapport transcendant, d'où ressort la haute dignité du Christ, et non d'un réalité psychologique, dont on ne voit pas la possibilité par rapport à Dieu... Le rédacteur évangélique n'entend nullement signifier que Dieu n'était pas connu comme père avant la venue de Jésus; il veut dire, et il dit très clairement, que le Christ, le Fils, est seul à connaître parfaitement Dieu, le Père, et cela parce qu'il est Fils, tout comme le Père, Dieu, est seul à connaître parfaitement le Christ son Fils, et cela parce qu'il est le Père, parce qu'il est Dieu. Le fond de la pensée est le même que dans le passage de Jean (1, 18): Nul n'a jamais vu Dieu; le Fils unique, qui est dans le sein du Père, l'a révélé» o. c. p. 43-44 et 47-48.

De altero textu (Lc. 17, 21) scribit Loisy: «Si la parole a été réellement prononcée par Jésus et adressée aux Pharisiens, comme le dit l'évangéliste, elle ne peut pas signifier que le royaume de Dieu soit en eux, c'est-à-dire dans leurs âmes; car ces pharisiens né croient pas à l'Evangile et n'ont point de part au royaume. Il y aurait bien de la subtilité a sousentendre une restriction, comme si Jésus voulait dire: «Le royaume de Dieu est tel, qu'il doit se réaliser en vous, pourvu que vous le vouliez et que vous en soyez dignes». Le sens le plus naturel serait: «Le royaume de Dieu est au milieu de vous», et c'est probablement ainsi que le comprend le rédacteur» o. c. p. 21.

THESIS III

Evangelium Regni expressa Christi voluntate destinabatur pro omnibus sine distinctione Iudaei et Graeci. Huic autem Christi intentioni nullatenus contradixit prima discipulorum praxis solis Iudaeis verbum Dei praedicantium.

Thesis prior ostendebat Regnum Dei a Christo annuntiatum inchoari iam in terris consummandum in caelis. Thesis altera declarabat hoc Regnum evolvi hic non mere in animis hominum, sed in aliqua externa collectivitate. Quaeritur iam qualis hit haec collectivitas; utrum particularis Iudaeorum, an universalis omnium gentium. Quaestioni propositae respondet thesis duplici parte; quarum prior inquirit in mentem Christi, altera examinat primam discipulorum mentem et praxim.

I

De mente ipsius Christi

Praenotanda

Universalismus opponitur particularismo nationali et iudaico, implicat vero destinationem evangelii Regni ad omnes prorsus sine distinctione populos et gentes. Unde universalitas intelligitur:

a) Plena, excludens nempe omnem limitem ethnographicum, geographicum et chronologicum, quatenus omnes homines omnium temporum et locorum possunt e mente et voluntate Christi fieri membra huius Regni.

b) *Subiectiva* simul et obiectiva. Universalitas dicitur *obiectiva,* si obiectum seu doctrina a Christo praedicata est apta induere formam plenae universalitatis. Dicitur *subiectiva,* si adest etiam in subiecto, i. e. in mente et voluntate seu intentione Christi praedicantis.

c) *Stricta,* continens nempe non meram invitationem, sed

veram obligationem omnibus impositam ut intrent in Regnum Dei, eiusque bonorum participes fiant (= mandatum missionarium).

Contendimus probare in hac prima parte: *a*) Christum annuntiasse ante mortem universalismum Regni plenum et subiectivum; *b*) promulgasse post resurrectionem mandatum missionarium ad omnes gentes.

Adversarii

Positio adversaria in tota hac materia valde diversa apparet.

Eschatologistae universim primo nominandi veniunt. Apud quos Christus plene persuasus erat de fine huius mundi iamiam adventante; hinc cogitare vix potuit de erigendo regno aliquo universali ad gentes diffundendo. — Multi tamen eorum concedunt Christum inconscium inchoasse motum quemdam religiosum, qui necessaria evolutione universalismum protulerit. Varia huius evolutionis stadia exhibet ipsa historia doctrinae christianae, quae primum fuit iudaica, dein paulina, tum ioannica, demum hellenica et universalis.

Harnack admittit universalismum obiectivum seu virtualem, quem *intensivum appellat*. Etenim doctrina Christi de paternitate divina; spiritus, quo informatur tota eius actio et praedicatio evangelica, continet germina quaedam quorum naturalis evolutio rumpere debuit vincula nationalia religionis mosaicae. Mordicus tamen negat omnem universalismum subiectivum seu explicitum quippe cuius nullum vestigium apparet in narratione synopticorum. Effata rariora evangelica, quae Christo attribuunt universalismum formalem, carent genuinitate historica vel litteraria. Etenim vel sunt dicta Christi *glorificati*, hinc historica esse non possunt, vel certe scripta sunt serius, quum praedicatio evangelica in universalismum deflexerat, vel, si authentica utcumque sint habenda, retinere ea oportet ut spiritu prophetico prolata.

Holtzmann attribuit Christo universalismum quendam *etiam subiectivum*, serius tamen acquisitum tamquam fructum evolutionis naturalis, cui ansam in mente Christi dederit repulsa suorum connationalium.

M. Goguel recentius eandem fere positionem tuetur. Iesus in primo et longiori praedicationis suae stadio particularismo iu-

daico penitus adhaesit. Videns tamen resistentiam atque obstinatam iudaeorum duritiem, intellexit demum, seu potius expertus est, Regnum Dei, reiecto populo israelitico, inter gentes instauratum iri. Ruinam quidem templi et destructionem Ierusalem audacter praedixit, evangelium vero Regni gentibus offerendum numquam clare annuntiavit. Parabola quidem de perversis agricolis (Mt. 21, 33 sq.) hanc annuntiationem indubie continet; plena tamen historicitas huius parabolae non sine magna cautela recipi potest. Ceterum, si Iesus non clare annuntiavit Regnum Dei gentibus offerendum, id tribui debet defectui non tam animi et plenae persuasionis, quam temporis et opportunae occasionis ob mortem violentam mox insecutam. Universalismus ergo erumpens in primaeva christianitate opera Stephani, communitatis antiochenae et Pauli apprime respondet ipsius Christi mentalitati et intentioni.

F. Spitta admittit (contra Harnack) plenum universalismum a Iesu *ab initio* conceptum; quin imo eum celebrat tamquam *primum missionarium,* qui gentibus saepe praedicaverit in littore Tyri et Sidonis (Mt. 8, 28 sq.; 15, 21 sq.; Mc. 3, 7 sq.; 5, 1 sq.; Lc. 8, 26 sq. ...); negat tamen *mandatum Christi missionarium.*

Novissima vox est *B. Sundkler* notantis gravissimum hoc problema de missionaria Iesu conscientia numquam esse solutum, quia numquam est bene propositum. Positio quaestionis sub dilemmate = Iesus *vel* particularistica *vel* universalista veram solutionem reddit impossibilem. Tota problematis solutio pendet ab accurato examine quadruplicis vocis et notionis evangelicae — *Filius hominis* *Ecclesia* *domus implenda* (in convivio nuptiarum) *Evangelium.* Porro fructus novae indaginis exhibetur sequenti conclusione: « Il [Iesus] était « universaliste » *justement parce que, seulement parce qu'*il était particulariste ». (III).

Fundamenta positionis adversariae assignari possunt: *a*) Eschatologismus; *b*) Christi *praxis* et praedicatio restricta ad solos Iudaeos; *c*) Christi *dicta* limitantia ad oves Israel missionem tum propriam (Mt. 15, 24), tum discipulorum (Mt. 10, 5-6); *d*) Discipulorum prima praxis et tota mentalitas. — Conclusio ultima est: Ecclesia catholica nequit appellare ad Christum ut suum verum auctorem. Genuinus Christianismus non reperitur in Catholicismo.

Probatur thesis

A. - Universalismus a Christo annuntiatus ante mortem

Synoptica inprimis explicitum universalismum continent. Huc spectant:

a) *Sermo Christi eschatologicus*: « Et praedicabitur hoc evangelium Regni *in universo orbe* in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio » (Mt. 24, 14). — Respondet Harnack hanc pericopen esse « ein geschichtliches theologumenon » quod difficulter dici potuit a Iesu, habens forte fundamentum in aliquo ipsius dicto prophetico. Sed quod gratis asseritur, gratis negatur. Authentiae textus favent criteria tum *externa* = uniforme codicum et versionum testimonium, tum *interna* = perfecta nempe ipsius cohaerentia sive cum antecedentibus (24, 3), sive cum consequentibus (25, 31). Accedunt loca parallela in Mc. (13, 10): « Et in omnes gentes primum oportet praedicari evangelium », et in Lc. (23, 24): « Ierusalem calcabitur a gentibus donec impleantur tempora nationum ».

b) *Unctio mulieris* praedicanda in universo orbe: « ubicumque praedicatum fuerit hoc evangelium *in toto mundo*, dicetur et quod haec fecit in memoriam eius » (Mt. 26, 13). Harnack contendit hic non agi de praedicatione evangelii Regni, sed boni operis huius mulieris (εὐαγγέλιον τοῦτο) — At locus parallelus in Mc. (14, 9) iuxta plures et praestantes codices ac versiones caret particula τοῦτο (cf. apparatum criticum); — dein vix concipitur quomodo hoc parvum factum divulgari possit in *toto mundo* sine praedicatione evangelii Regni; — demum habes in hypothesi adversaria miram tautologiam = Ubicumque praedicabitur bonum opus huius mulieris, praedicabitur *et* quod fecit ista mulier (!).

c) *Regnum Dei auferendum* a Iudaeis et transferendum in gentes: « Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis Regnum Dei, et dabitur genti (ἔθνει) facienti fructus eius » (Mt. 21, 43). Harnack opinatur argumentum non concludere, quia vox *genti* (ἔθνει) non significat gentiles, sed populum (iudaicum), prout oppositum suis

rectoribus, scribis nempe et pharisaeis. — Resp. *a*) Haec interpretatio philologice vix non desperata apparet; vox (ἔθνει) in Mt. constanter significat gentiles *b*) Hic agitur de vinea auferenda ab iis qui prophetas et Filium Dei occident. Atqui ad hanc occisionem concurrent non tantum duces, sed etiam populus eis consentiens (Mt. 27, 25): *c*) Christus in vinea plantata a Patrefamilias et agricolis auferenda videt impletam prophetiam (Psal. 107 et Is. 16) de se ipso lapide angulari novi aedificii (Mt. 21, 42). Atqui hoc novum aedificium, cuius Christus est lapis angularis, constat non tantum iudaeis, sed etiam et maxime ex gentibus (cf. Mt. 8, 11; Rom. 9, 30-33; I Pet. 2, 1-10; *d*) Accedit contextus subsequens de convivio nuptiarum Mt. 22, 1 sq. Caeterum concedi potest Christum hic *primario* agere de ducibus populi, at non exclusive.

d) *Vocatio gentium* praedicta apud Mt. 8, 11 « Dico autem vobis quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Iacob in regno caelorum filii autem Regni eiicientur in tenebras exteriores ». Harnack putat haec fuisse prolata *spiritu prophetico*. At turpiter ignorat naturam et vim prophetiae ...

Evangelium Ioannis idea universalistica vere refertum est. Etenim Christus est Verbum incarnatum illuminans *omnem hominem* venientem in hunc mundum (1, 9); Agnus Dei qui tollit *peccata mundi* (1, 29); Filius hominis quem exaltari oportet, ut *omnis qui credit* in eum non pereat (3, 15); Filius Dei, quem Pater dedit *mundo*; ut omnis qui credit in eum, habeat vitam aeternam (3, 16-17); Messias antiqui et restricti cultus abrogator, novique ac *universalis instaurator* (4, 21 sq.); Panis Dei qui dat carnem suam *pro mundi vita* (6, 51); Pastor bonus, qui praeter oves iudaicas habet *alias gentilicas* congregandas in unum ovile (10, 16); Sacerdos N. Testamenti cui Pater dedit *omnem carnem* vivificandam (17, 2); Primus missionarius mittens suos apostolos *in mundum* (17, 18); Dator Spiritus ad remittenda *quaelibet mundi peccata* (20, 21-22); Dux Regni constituens suum in terris vicarium, eique committens *omnes suas oves* (21, 16-18).

Ipsa theoria duorum fontium apta argumenta pro universalismo suppeditabit. Supponitur in hac theoria nostrum hodiernum evangelium Matthaei esse compilatum ex duplici fonte: *a*) evangelio continente *dicta* seu sermones Christi et a Mt. aramaice conscripto (cf. RI. n. 95); *b*) evangelio Marci sive hodierno, sive alio primitivo. Porro sermones Christi in evangelio Mt. sunt: 5, 1-7 ad v. 27; 10, 5-42; 13, 1-52; 18, 1-35; 23, 1 usque ad 25-46. Age iam:

a) In *sermone montano* Apostoli vocantur *sal terrae* et *lux mundi* (Mt. 5, 13).

b) In *missione discipulorum* apparet destinatio et praedicatio *ad gentes* (Mt. 10, 16-18).

c) *Parabolae* exhibent Regnum Dei seminatum in agro qui est *mundus* (Mt. 13, 38).

d) *Instructio pastoralis* docet missionem Ch. salvificam *universalem* (18, 11; cf. 18, 18).

e) *Sermones iudiciales* continent reiectionem Israel (23, 37-38), evangelium praedicandum *in toto mundo* (24, 14), et iudicium futurum *in omnes gentes* (25, 32).

Hinc patet universalismum explicitum contineri etiam in his pericopis quae leguntur in primo fonte seu authentico Mt. evangelio.

B. - Universalismus a Ch. praeceptus post resurrectionem

Mandatum Ch. missionarium aperte traditur a tribus synopticis:

Mt. 28, 18-20: « Data est mihi omnis potestas ... Euntes ergo docete *omnes gentes* ... ».

Mc. 16, 15-16: « Euntes *in mundum universum* praedicate ev. *omni creaturae* ... ».

Lc. 24, 46-48: « Sic oportebat Christum pati ... et praedicari in nomine eius poenitentiam ... *in omnes gentes* incipientibus a Hierosolyma. Vos autem estis testes horum ».

Act. Ap. 1, 8: « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus in vos, et eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et usque *ad ultimum terrae* ».

Valor historicus huius testimonii impugnatur ab adversariis, quia innititur verbis Christi *glorificati*; hinc supponit resurrectionem gloriosam. Iamvero resurrectio, utpote miraculosa, est in ordine quidem ontologico impossibilis, in ordine vero logico incognoscibilis seu indemonstrabilis.

Resp. 1. Miraculi possibilitas insipienter negatur ab his qui admittunt Deum mundi creatorem et providum gubernatorem. Qui leges cosmicas instituit et ordinem mundanum invexit, nonne poterit leges suas parumper suspendere, modificare, elevare, cursumve naturae perturbare propter fines *morales et religiosos* sua sapientia et bonitate dignissimos?

2. Adversarii *a priori limitant* campum historiae et critices humanae ad phaenomena pure naturalia. Adaequatum historiae obiectum protenditur ad ea omnia quorum existentia per aptos testes possit comprobari ...

3. Resurrectionis Christi historicitas solide demonstratur et ample vindicatur in tractatu apologetico De Iesu Dei legato. Hic sufficiet notare sequentia: *a*) Resurrectio gloriosa est factum (effective) supernaturale, at verificatur in subiecto *sensibili* et observationi obnoxio; *b*) Plena certitudo de hoc facto obtinetur ex tribus elementis apte convergentibus: Primo Christus iterato praedixit suam mortem et resurrectionem *tertia die* futuram (cf. Mt. 16, 21; 12, 37-40; Lc. 9, 22; Io. 2, 18-21; 10, 17-18): — Porro tertia die recurrit phaenomenon sepulchri vacui, quod incassum obscurare satagunt iudaei per testes dormientes (!) (Mt. 28, 12 sq.), incipiunt apparitiones factae mulieribus, discipulis Emmaus, Petro, apostolis congregatis primo sine Thoma, dein cum Thoma, Iacobo, Paulo, plus quam quingentis fratribus. In his apparitionibus Christus se praebet videndum, palpandum, ostendit *vestigia manus et lateris,* manducat cum discipulis, durissime reprehendit eorum incredulitatem; — *Quod vero caput est,* Apostoli ab initio praedicant factum resurrectionis ut doctrinam fundamentalem Christianismi, *illamque confirmant innumeris atque stupendis miraculis* (cf. priora capita Actuum Apostolorum).

Nota bene: Novum ac illustre argumentandi genus institui inde posset, quod Christus evidenter annuntiavit Regnum Dei a prophetis A. T. vaticinatum. Atqui Lex et Prophetae saepe saepius

praedixere Regnum Dei dilatandum a mari usque ad mare, ab ortu solis usque ad occasum... Sed de hoc iucundo argumento sermo inferius recurret, quum quaestio instituetur de catholicitate Ecclesiae.

II

De universalismo in Ecclesia primaeva

Status quaestionis

profundam inter communitatem Hierosolymitanam, Iacobo subiectam, et christianos Antiochenos sub Paulo et Barnaba constitutos.

At obstare his omnibus ex alia parte videtur Lucas. Qui (Act. 10 per totum et 15, 7) inducit Petrum primum universalismi praeconem, et apostolos exhibet Paulo plene consentientes in conventu Hierosolymitano. Vides totum hoc problema de universalismo in

Universalismo a Christo annuntiatio et praecepto opponi prima facie videtur prima discipulorum praxis ac mentalitas. Etenim, non obstante mandato Christi missionario, Apostoli manent diu intra confinia Palaestinensia, frequentant assidui Templum, servant legem Mosaicam, retinent circumcisionem. Petrus caelesti admonitioni ter resistit (Act. 10, 14); ipsius comites obstupescunt cum vident in Caesarea gratiam Spiritus S. effundi in gentes (Act. 10, 45). Princeps apostolorum obiurgatur Hierosolymis de suo ad gentes accessu (Act. 11, 3), nec appellat ad ullum Christi mandatum, quum se ipsum iustificare satagit.

Accedit quod missio inter gentes inaugurari primo videtur ac deinceps promoveri non tam opera Apostolorum, quam audacia et zelo missionariorum hellenistarum. Primus in missionem motus provocatur ab Stephano, qui accusatur de antimosaysmo (Act. 6, 11 sq.), continuatur a missionariis cypriis et cyrenensibus (Act. 11, 20), consolidatur demum et amplificatur a Paulo et Barnaba (Act. 11, 25-26), dum actio Petri et reliquorum manet incerta, ad unum casum Cornelii restricta, omnique efficacia in reliquam missionem destituta. Quin imo, conflictus Antiochenus (Gal. 2, 11-12) ostendere videtur adesse reapse dissensionem sat

ecclesia primaeva non carere sua complexitate; hinc facile oriuntur diversae auctorum positiones ac tendentiae.

Variae sententiae

Varia criticorum positio in triplicem turmam distributi potest.

Prima radicalior admittit inter Paulum et communitatem Hierosolymitanam profundam quandam oppositionem ortam ex Mosaismo, cui Paulus denegat omnem vim iustificativam. — Apostoli, etsi apparenter sint neutrales, at favent reapse iudaizantibus. — Lucas contradicit Paulo; in conventu hierosolymitano nullum decretum emissum est; conventio inter Petrum et Paulum non fuit sincera et doctrinalis, se dpotius compromissoria et diplomatica. — Primi et principales universalismi inductores fuerunt Stephanus et missionarii hellenistae antiocheni. — Ecclesia hierosolymitana manet constanter centrum resistentiae contra legitimum Pauli opus missionarium. — Unde demum consequitur nullum fuisse mandatum Christi missionarium ad gentes. Huic conceptioni plus minus adhaerent Baur, Wrede, Pfleiderer, alii.

Altera sententia, e regione priori opposita, negat praefatum dissensum inter Paulum et ecclesiam hierosolymitanam. — Admittit conventionem doctrinalem sincere initam in concilio hierosolymitano cum historicitate decreti a Luca narrati. — Tribuit Petro primas partes in missione gentium inauguranda. — Reducit oppositionem iudaizantium fere ad sectam pharisaeorum qui crediderant (Act. 15, 5). Huic sententiae adhaerent plus minus multi critici catholici.

Tertia sententia conciliatrix mediam viam ingreditur. Ex una parte omnino defendit mandatum Christi missionarium. — Admittit decretum latum in concilio hierosolymitano cum conventione doctrinali ibi sincere manifestata. — Concedit Petro aliquem primatum in missione inauguranda, sed contendit hunc primatum fuisse mere chronologicum. — Veri et principales Universalismi praecones fuerunt viri hellenistae. Stephanus *prior concepit* formulam legitimi universalismi a mosaismo immunis; Missionarii hellenistae (Act. 11, 20) *reducunt in actum* formulam Stephani in Antiochia; Paulus et Barnabas *eam consolidant* et vehementer

amplificant intra fines imperii romani; communitas hierosolymitana interea, nedum faveat missioni inter gentes, continuas difficultates movet contra opus Pauli missionarium. Sic Wickenhauser, Fouard, alii.

Crisis sententiarum

Primae sententiae falsitas facile ostenditur vel ex ipso fonte Paulino.

a) Paulus aperte negat adesse duplex evangelium (Gal. 1, 6-7). Seductores Galatarum sunt quidam conturbatores ac *falsi fratres* (1, 7 et 2, 4), minime vero Apostoli qui vocantur *columnae Ecclesiae* (Gal. 2, 9).

b) Paulus recurrit ad auctoritatem Apostolorum ad evertendas difficultates seductorum. Atqui non sic recurreret, si eos putasset fautores iudaizantium.

c) Paulus putat se in vanum cucurrisse, si praedicasset evangelium discordans ab evangelio hierosolymitano. Atqui nullatenus sic iudicaret, si hoc evangelium mancum et erroneum putasset (Gal. 2, 2).

d) Apostoli, examinato evangelio Pauli, nihil addiderunt (Gal. 2, 6). Atqui certe addidissent, si illud reperiissent destitutum articulo essentiali (= Mosaismo et circumcisione).

e) Apostoli dexteras societatis dederunt Paulo et Barnabae (ibid. 2, 9). Atqui id minime praestitissent, si eos secum omnino conformes non invenissent.

f) Titus, licet gentilis, non fuit compulsus circumcidi (ibid. 2, 3). Atqui compulsus ab Apostolis fuisset, si hi circumcisionem necessariam ad salutem putassent.

g) Paulus, id quod caput est, in ipso conflictu antiocheno Petrum exhibet *ab initio* secum consentientem in doctrina fundamentali de Christo unico et adaequato salutis fonte. Hinc est quod Petrus in Antiochia *gentiliter vivebat* (Gal. 2, 11-16). Haec quum ita sint, iure miraberis quod doctores Tübingenses eorumque sequaces tot dissidia Petrum inter et Paulum hic inveniant, quum tot signa consensus ac concordiae ubique detegantur.

Theoria media et conciliatrix laborare videtur duplici et gra-

vi defectu. Ex una parte exaggeratur actio et momentum Stephani et missionariorum hellenistarum; ex alia vero parte deprimitur et extenuatur nimis influxus Petri primatialis. Singula accurate examinemus.

Stephanus

Praeclarus hic diaconus habetur a criticis ut Hellenista, et celebratur ut primus missionarius quippe qui primum in missionem motum provocaverit, *novumque rerum ordinem* coram synedrio promulgaverit. Accipe, speciminis gratia, nonnulla testimonia.

Fouard scribit: « La première manifestation de ce dessein (= segregandi evangelium a mosaismo) ne vint pas des apôtres ... Il était naturel que cette idée se présentât d'abord à l'esprit des Hellenistes, dégagés, par leurs habitudes étrangères, du lien pesant des observances. Vivant loin de la cité sainte, adorant le Dieu d'Israel sans victimes sanglantes, ils étaient plus ouverts que les Hébraïsants aux enseignements de Jésus ... Rien d'étonnant qu'ils aient pressenti ce que l'Esprit de Dieu devait enjoindre a Pierre ... et compris les premiers certaines paroles du Maître qui demeuraient encore voilées pour les Apôtres » (S. Pierre,[10] 1908, p. 75-76).

Lebreton multo cautius loquitur ... Fatetur inprimis magnam rei difficultatem: « Le discours d'Étienne ... est à coup sûr notablement différent des discours de saint Pierre ... jusqu'à quel point la prédication de saint Étienne représentait-elle l'ensemble de la prédication chrétienne? Il est difficile de donner à cette question une réponse précise et certaine ... » Exaggerationes quidem vitari debent; sed fateri oportet praedicationem Stephani implicare progressum quemdam vere notabilem. Sane praedicatio Petri praecedens revocabatur tandem ad attestationem duplicis facti: Iesum a mortuis resurrexisse et a Deo fuisse constitutum Dominum et Christum. At Stephanus longius progressus annuntiat *novum rerum ordinem* in quo Templum destruetur, Lex cessabit, succedet Evangelium a mosaismo immune. « Lui-même (Stephanus) poussera plus hardiment sa prédication que ne le faisaient jusqu'alors les apôtres. Les discours de saint Pierre, dans le cénacle et dans le temple, s'attachaient à démontrer que Jésus avait été ressuscité par Dieu et fait par lui Seigneur et Christ; ils laissaient dans l'ombre bien des thèmes de la prédication evangélique ...: le temple serait détruit; la Loi que les patriarches n'avaient pas connue, n'est qu'une disposition temporaire qui devrait faire place à l'Evangile. Tout cela commence à reparaitre dans la prédication de saint Etienne et aussitôt soulève une opposition passionée ». Histoire de l'Eglise. I. L'Eglise primitive, pp. 141 et 143.

Rosadini similia habet: « Il ministro Stefano appare come il più ardente; egli non solo attende... ma si dà a annunziare la buona novella, e, come appare dal suo discorso, lo fa in tono assai diverso dagli altri: il popolo giudaico, egli dice, si è diportato pessimamente con Gesù e ne sarà punito; la nuova economia non cura le osservanze della Legge, essa introduce un nuovo modo di vivere; lo stesso Tempio di Gerusalemme non sarà più il centro del culto a Dio, verrà distrutto. Atti VI, 13-14 », Tacchi V., Storia delle religioni, II, p. 514. Huic tamen rerum conceptioni non pauca obstare videntur.

a) Supponitur Stephanus esse Hellenista; at res ex mero nomine graeco *certe* decidi non potest. Spectata vero ipsa rei natura, de qua agitur, conditio ipsius Hellenistica valde verisimilis redditur.

b) Supponitur Stephanus praedicasse abolitionem Mosaismi in Christianismo et destructionem templi hierosolymitani. Sed in textu expresse notatur testes accusatores esse *falsos et viros subornatos* (Act. 6, 11-13). Reponunt critici accusationem esse *fundamentaliter* veram. At quaestio nequit a priori resolvi. Res tota iudicanda et definienda est ex iis, quae eximius diaconus coram synedrio protulit.

c) Oratio Stephani apte dividitur in tres partes: Ex Abraha usque ad Moysen (Act. 7, 2-29); — a Moyse usque ad Davidem (7, 20-44); — inde ad finem violenter abruptum. Porro de ipso Moyse loquitur vere gloriose et splendide (7, 20 sq.); Lex vero mosaica asseritur continere *verba vitae* (7, 38); demum notatur resistentia patrum nostrorum contra Moysen et gravissima punitio divina (ibid. 7, 39, et 42). Ex hac analysi patet *accusationem de antimosaismo fuisse penitus falsam.*

d) *Historia Templi* sic enarratur, ut inde *deduci* possit verum Dei cultum non esse necessario alligatum ulli loco aut domui. At his minime continetur Templi *destructio* aliquando futura, vel ipsius Templi frequentandi *prohibitio*, vel cuiuslibet exercitii mosaismi condemnatio. Porro ipse Stephanus et templum frequentabat. et mores mosaicos servabat. et christiani omnes verum cultum eucharisticum non in Templo, sed circa domos celebrabant.

e) Ira synedristarum accenditur quum sanctus diaconus obiicit non Legis existentiam, sed resistentiam potius contra Legem, et iniustam occisionem Messiae a Moyse praenuntiati; furor vero ad culmen adducitur, quum Stephanus proclamat Christum glorificatum sedentem a dextris Dei (7, 51-58).

f) Petrus *prius et clarius* annuntiaverat *toti domui Israel* Iesum esse Messiam inique occisum a Iudaeis, dextera Dei suscitatum, glorificatum, constitutum a Deo Christum et Dominum, lapidem reprobatum a Iudaeis qui factus est in caput anguli, *unicum nomen in quo oportet nos salvos fieri*, prophetam a Moyse vaticinatum ita quidem, ut quicumque eum reiiciat, debeat exterminari de plebe; *populum* hortatus fuerat ut recederet a generatione ista prava; *publicae vero auctoritatis* et synedrii iras hac sua praedicatione saepe concitaverat (cfr. conciones Petri Act. cc. 2, 3, 4 et 5). Vides *novum rerum ordinem* clarius et plenius annuntiari a Petro quam a Stephano.

Dices: Persecutio non dirigitur contra apostolos, qui manent tranquilli Hierosolymis (Act. 8, 1), sed contra Hellenistas qui fugere constringuntur; hinc Apostoli non declarantur solidarii cum Stephano.

Resp. Haec passim dicuntur a criticis rationalistis, et a non paucis criticis catholicis quasi ex choro repetuntur, sed sat insipienter, ut nobis videtur. Responsio ergo per partes ordinate procedat: *a*) Non clare liquet utrum quod dicitur (8, 1): « *omnes* dispersi sunt per regiones Iudeae et Samariae praeter Apostolos » intelligendum sit *stricte* de omnibus christianis, an potius de praeconibus verbi. Rationem dubitandi suggerunt duo: Primo, quod v. 3 evidenter supponitur praesentia multorum christianorum in Hierusalem; deinde, quod v. 4 dicitur: « Igitur qui dispersi erant pertransibant evangelizantes verbum Dei ». Estne verisimile *omnes* christianos fuisse conversos in praecones et evangelistas? Ad rem Knabenbauer (comment. in h. l.): « qui sit isti *omnes*, colligi iam potest ex mentione apostolorum, indicatur in v. 3 et 4; non enim intelligendi sunt fideles omnes sed illi qui eminentiorem quendam locum occupabant et praedicationi operam dabant ». — *b*) Si illud *omnes* intelligis sensu stricto, non apparet ratio, quare persecutio

dicatur dirigi contra *solos* Hellenistas; ex textu hoc unum clare constat *persecutores* esse Hellenistas. — *c*) quod attinet *solidarietatem* Apostolorum cum Stephano, verene putas *omnes* christianos qui effugerunt, exercuisse et declarasse suam cum Stephano solidarietatem? Et nonne posset eodem iure dici (ad hominem) Stephanum non se declarasse solidarium cum Apostolis, quum hi soli sua anteriori praedicatione fiebant obiectum persecutionis synedristarum et in carceres detrudebantur? —*d*) Quod Apostoli Hierosolymis remanserint habet explicationem obviam eamque multiplicem: *primo,* quia fruebantur favore et protectione populi, cuius reverentiam ac benevolentiam sua conversatione et miraculis captaverant; hinc manus in eos iniicere periculo non carebat; sic dicitur 5, 26: « Tunc abiit magistratus cum ministris et adduxit illos (apostolos) *sine vi; timebant enim populum* ne lapidarentur »; *dein,* imprudens prorsus fuisset totam christianitatem hierosolymitanam relinquere omni consolatione, praesidio et directione orbatam; *demum,* adest traditio, plus minus certa, secundum quam Apostoli iussi sunt a Dominio per annos duodecim in urbe manere (Clem. Alexandrinus, Strom. VI, 5, 43, 3; Eusebius, Hist. eccl. 5, 18, 14).

Missionarii Hellenistae

Missionarii fugitivi ex Hierusalem (Act. 11, 20) celebrantur non raro tamquam discipuli Stephani; cuius spiritu imbuti deducunt in actum magicam magistri formulam, et fundant in Antiochia primam et magnam communitatem christianam ex gentibus conversis; unde merito habeantur ut principales universalismi praecones et inductores. Sed rursus non pauca obstare videntur huic conceptioni.

a) Primo quidem de horum evangelistarum relatione ad Stephanum eiusque magisterium nihil certo scimus.

b) Dein supponuntur agere proprio marte et independenter a praevia Petri actione et exemplo. At tunc non explicatur quare prior dispersorum turma (Act. 11, 19) pertranseat amplas

regiones gentilicas (= Cyprum, Feniciam totamque Syriam occidentalem) nemini loquentes verbum *nisi solis Iudaeis*. Altera dispersorum turma (Act. 11, 20) et ipsa non aggreditur missionem gentilium nisi *postquam* ingressa est in Antiochiam. — Explicatio rei naturalis et simplicissima habetur in hypothesi dependentiae a Petro, cuius factum (admissionis Cornelii) prius ignoraverint, dein in Antiochia cognoverint (cfr. Act. 11, 1). — Hanc rerum explicationem suggerere ceteroquin videtur tota narrationis Lucanae dispositio. In qua, interrupta missione dispersorum (Act. 8, 4), inducitur et ample describitur admissio Cornelii, notatur conclusio deducta a Hierosolymitanis: « Ergo *et gentibus* paenitentiam Deus dedit ad vitam » (Act. 11, 18): et tunc demum resumitur historia dispersorum, qui *prius* praedicant solis Iudaeis, *dein* in Antiochia incipiunt praedicare gentibus.

c) Quod si non probatur hypothesis de exemplo et influxu quem a Petro receperit haec sectio dispersorum, non prohibemur supponere hos aggredi demum missionem gentilium motos non tam spiritu hellenistico, quam Spiritu Sancto, qui Petrum, Stephanum, Philippum, totamque actionem missionariam dirigebat iuxta Christi promissa (Act. 1, 8).

d) Notentur demum relationes, non hostiles aut indifferentes, sed amicae et fraternae inter ecclesiam matrem et novam gentilium communitatem. Apostoli mittunt primum novae communitatis praepositum, Barnabam; Antiocheni mittunt ad pauperes hierosolymitanos suave caritatis munusculum per manus Barnabae et Pauli (Act. 11, 29-30).

Petrus

Petrum saltem tempore praecessisse in missione gentium inauguranda plene constat. At quaeritur quale momentum sit tribuendum facto admissi Cornelii. Passim affirmatur hoc factum fuisse solitarium, ad unam familiam restrictum, inefficax, quippe quod fuerit consideratum ut vera quaedam *exceptio* miraculose inducta ex mero privilegio. Sed huic explicationi obstant multa.

a) *Ipsa amplitudo* et sollemnitas narrationis per integrum caput X[um] Actuum sat clare ostendit singulare momentum huic facto a Luca concessum.

b) *Ipsa natura visionis* eiusque symbolismus (= *omnia* animalia immunda) iterum manifestat universalitatem significationis, cui non satisfit unico casu exceptionali.

c) *Conclusio* a Petro e visione deducta rursus ostendit momentum universale in hoc facto implicatum: « Mihi ostendit Deus *neminem* communem aut immundum dicere *hominem* » (Act. 10, 28): « In veritate comperi quia non est personarum acceptor Deus, sed *in omni gente* qui timet Dominum, acceptus est illi » (Act. 10, 34-35).

d) *Eadem generalis conclusio proclamatur* a circumcisis hierosolymitanis post Petri concionem: « Ergo *et gentibus* paenitentiam dedit Deus ad vitam » (Act. 11, 18).

e) *Praeprimis* vero sunt consideranda verba ipsius Petri in conventu hierosolymitano *contra iudaizantes*: « Vos scitis quoniam ab antiquis diebus in nobis elegit Deus *per os meum audire gentes* verbum Dei et credere... » (Act. 15, 7 sq.). Quae verba, sollemniter prolata ad solvendam difficilem quaestionem *generalem*, forent exaggeratione et arrogantia plena, si tota vis et significatio admissionis Cornelii fuisset restricta ad unum casum extraordinarium. Consonat Iacobus dicens: « Simon narravit quemadmodum primum Deus visitavit sumere ex gentibus *populum* nomini suo » (Act. 15, 14). Advertas in omni hac acri controversia prorsus praetermitti admissionem gentium factam in Antiochia a missionariis Hellenistis. Estne verisimile in hoc sollemni concilio urgeri et premi factum solitarium, exceptionale, inefficax; omitti vero et quasi ex condicto taceri facta et argumenta momentosa et decisiva? Constare ergo videtur primatum Petri in hoc negotio non fuisse mere chronologicum, sed vere realem et effectivum. Praecessit Petrus revelatione, praedicatione, primi gentilis admissione, actione conciliari primaria et vere decisiva.

Verior factorum explicatio

Reliquum est ut explicemus quaenam fuerit Petri (et Apostolorum) positio ac mentalitas ante et post visionem lintei in Caesarea (Act. 10, 11 sq.).

a) *Petrus certe sciebat* ante visionem ea quae spectant ad essentiam geinuini universalismi = Evangelium Regni esse destinatum ad omnes gentes per Christum unicum et adaequatum salutis fontem, servato primatu temporali pro Iudaeis. Sic apparet clare e primis eius concionibus: « Vobis enim est repromissio, et filiis vestris, *et omnibus qui longe* (μακράν) sunt, quoscumque adclare e primis eius concionibus: « Vobis enim est repromissio, et vocaverit Deus noster » (Act. 2, 39: cfr. Ephes. 2, 13 et Act. 22, 21). En destinationem Regni universalem: — « Vos estis filii prophetarum, et testamenti, quod disposuit Deus ad patres nostros... Vobis *primum* suscitans Deus filium suum... » (Act. 3, 25-26): En primatum Iudaeorum: — « Non est in alio aliquo salus. Nec enim aliud nomen est sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri » (Act. 4, 11-12). En Christum unicum et adaequatum fontem salutis pro omnibus hominibus.

b) *Petrus nesciebat* ante visionem lintei tempus et *modum* admissionis gentium: utrum praevia circumcisione, an immediate sine illa. Sic deduci videtur ex ipsa natura et symbolo visionis...; item ex verbis Petri: « mihi *ostendit Deus* neminem communem aut immundum dicere hominem » (Act. 10, 28); hoc demum manifestant stupor comitum Petri, quum vident gratiam Spiritus effundi in gentes (Act. 10, 45), obiurgatio circumcisorum contra Petrum (Act. 11, 2-3). Forte miraris hanc Petri ignorantiam; sed advertas Christum praenunciasse et promisisse Spiritum veritatis, qui Apostolis revelaret ea, quae *nondum* portare poterant (Io. 16, 12 sq.). Rationes dubitationis pro Apostolis poterant esse: promissiones factae *semini Abraham in quo* benedicendae essent omnes gentes...: — praxis Christi suscipientis circumcisionem, servantis Legem, asserentis se venisse non ad solvendam, sed adimplendam Legem, ect.: — Demum Paulus, id quod caput est, docet vocationem gentium ad efformandum unum corpus cum Iudaeis sub Christo capite esse *altissimum mysterium* absconditum a sae-

culis in Deo, ipsis angelis occultum (Ephes. 3, 8-10). Quid mirum si Petrus et Apostoli *ista* ignoraverint? — Dices protinus: ergo eadem tandem erat mentalitas Petri et iudaizantium? Minime gentium.

c) Distinguas ergo accurate duplex Mosaismi exercitium; unum *mente iudaica* = titulo nempe *necessitatis ad salutem* (quasi Christus non sufficeret); alterum *mente christiana* = titulo reverentiae debitae ritui nationali et glorioso, vel *conditionis praeviae,* instar purificationis legalis, ad insertionem in novum populum, etc. Primum faciebant et requirebant iudaizantes (Act. 15, 1); alterum exercebant iudaei christiani et ipsi Apostoli. Nec putes ista *a priori* confingi. — *Principia Paulina* de duplici Mosaismi exercitio habes clare stabilita in Gal. 5, 2 sq. et I Cor. 7, 18 sq. His principiis Paulus ipse accomodabat suam praxim. Sic ex una parte vehementer obstabat circumcisioni Titi, quam reclamabant iudaizantes; ex alia vero parte circumcidebat Timotheum, faciebat votum Nazareatus (Act. 21, 23-26) etc.

d) Mosaismus, mente christiana exercitus, erat iudaeis licitus et carissimus. Erat quippe *institutio nationalis* gloriosa, toties saecularis, toti vitae publicae et privatae implicata et inserta: —Quin imo, erat *institutio divina,* sub qua erant iudaei nati, educati, protecti, exaltati in consortium filiorum Dei: — Mosaismus erat *non minus carus Paulo,* quam Petro; videas Paulum gloriantem de sua progenie iudaica et Israelitica (II Cor. 11, 18 sq.), nec non vehementer dolentem de fratribus suis secundum carnem pro quibus volebat esse anathema a Christo (Rom. 9, 1 sq.). Si rem totam attente mediteris, magis forsan miraberis longam moram Pauli in aggredienda missione gentium, quam omnes Petri vacillationes. Hypothesis de Paulo gentibus praedicante in secessu arabico (Gal. 1, 11) omni fundamento positivo caret. Videas stadia praedicationis Paulinae in Act. 26, 19-20).

Recapitulatio

Pars prior ostendebat universalismum a Christo annuntiatum ante mortem, praeceptum post resurrectionem. Pars altera theseos explicat quomodo huic Christi praecepto nullatenus obstet

prima discipulorum praxis et mentalitas. Videlicet: *a*) ratio quare initio praedicant solis iudaeis petenda est ex praecepto Christi designantis varia stadia evangelizationis (Act. 1, 7 sq.); *b*) ratio servatae Legis et Templi frequentati est obvia; secus scandalizassent populum, abalienassent animos, hinc difficiliorem reddidissent conversionem iudaeorum; ceterum ubinam aptius quam in Templo potuissent praedicare verbum Dei? hinc est quod *angelus Dei iubet* eos ire ad Templum (Act. 5, 20); *c*) ratio quare Petrus vacillabat, stupebant fideles, obiurgabant Hierosolymitani stat in eo quod ante visionem lintei nesciebant *modum admissionis gentium*. Eadem de causa non appellabant ad mandatum Christi missionarium in conventu hierosolymitano; nempe quia mandatum Christi continebat *factum*, at non sufficienter explicabat *modum* admissionis. Distinctio duplicis exercitii Mosaismi, mente videlicet chrstiana vel iudaica, habet capitale momentum in tota hac quaestione de universalismo in primitiva christianitate.

Obiectiones solvuntur

1. Christus dicit Mt. 15, 24: « Non sum missus nisi ad oves quae perierunt domus Israel ». Ergo non destinavit evangelium Regni pro gentibus.

Resp. Dist. Antec.: Christus fuit missus tantum ad oves Israel, si agatur de missione *salvifica*, N.; si agatur de missione *prophetica* et thaumaturgica, subd. si agatur de ipsa missione *personali* Iesu, C.; si agatur de missione *exercenda per Apostolos*, N. Christus iterato docuit missionem suam salvificam esse universalem; siquidem habet *alias oves quae non sunt domus Israel*, quas oportet adduci ... (Io. 10, 16). Filius hominis dicitur venisse salvare *quod perierat* (Mt. 18, 11): ideo sanguinem suum fudet pro multis (= pro omnibus) in remissionem peccatorum (Mt. 26, 28) etc. In textu nostro agitur proxime de miraculo patrando in favorem mulieris gentilis. In textu parallelo apud Mc. (7, 27) legitur: « sine *prius* saturari alios »; supponit ergo ethnicos posterius vocandos esse. Miratur Harnack quod Marcus dicat iudaeos *prius* esse saturandos. Quum vero non audeat illud molestum πρῶτον eradere, contendit illud non esse *premendum* (ist nicht zu pressen). At proh dolor! aliter visum est: a) *Paulo* et *Barnabae* clamantibus coram iudaeis: « vobis oportebat *primum loqui* verbum Dei » (Act. 13, 46); b) *Petro* praedicanti: « Vos estis filii prophaetarum, et testamenti quod disposuit ad Patres nostros, dicens ad Abraham: Et in semine tuo benedicentur *omnes familiae terrae*. Vobis *primum* Deus suscitans Filium suum » (Act. 3, 25-26); c) *Ipsi Christo* praecipienti ut verbum salutis primum offeratur

iudaeis, dein gentibus universis: « eritis mihi testes in Hierusalem, et in omni Iudaea et Samaria et usque ad ultimum terrae » (Act. 1, 8; cfr. Lc. 24, 47; Mt. 22, 8-9). Quare missio Christi prophetica personalis debuerit limitari ad solos Iudaeos explicat S. Thomas S. T. III, q. 42, a. 1.

2. Atqui Christus nec per Apostolos voluit evangelium gentibus praedicatum. Patet id ex Mt. 10, 5: « In viam gentium ne abieritis, et in civitate Samaritanorum ne intraveritis ». Ergo manet difficultas.

Resp. Dist. Antec.: Christus noluit mittere Apostolos ad gentes in hac prima missione, C.; in ultima ac definitiva, N. Prima apostolorum missio convenientissime restringebatur ad solum populum iudaicum, idque ob rationes petitas cum ex parte Apostolorum, tum ex parte ipsorum gentilium. Apostoli in primis nullatenus erant praeparati ad aggrediendam missionem gentium; nondum enim erant edocti a Christo mysteria regni caelorum, nec induti adhuc erant virtute ex alto. Gentilium vero incorporatio ad Christum ad efformandum una cum Iudaeis unum novum populum christianum debebat esse fructus passionis et mortis Christi. « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum, et medium parietem maceriae solvens, inimicitias in carne sua; legem mandatorum decretis evacuans, ut duos condat in semetipso in unum novum hominem, faciens pacem, et reconciliet ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens inimicitias in semetipso » (Ephes. 2, 14-12). Mandatum ergo evangelizandi gentes apte differebatur usque ad tempora resurrectionis, quum data st Christo omnis potestas in caelo et in terra. Quibus adde arcanum divinae sapientiae consilium offerendi evangelium Regni « iudaeo primum et graeco ».

3. Sed missio haec, de qua in textu, videtur fuisse postrema et definitiva, ut patet ex verbis Christi in ipso capite 10, 23: « Amen dico vobis, non consummabitis civitates Israel donec veniat Filius hominis ». Ergo manet difficultas.

Resp. Haec est difficultas in qua maxime insistunt Harnack et A. Schweitzer. De ea fuse egimus in thesi prima; hinc licebit nobis esse brevioribus. Duplex missio discipulorum clare distinguitur in hoc capite 10. una restricta ad iudaeos: ex v. 5 ad 15; altera definitiva ad gentes dilatata = ex v. 16 ad 23 sq. In v. 18 apparet clare missio apostolorum ad gentes: « et ad reges et ad praesides ducemini propter me in testimonium illis et *gentibus* ». Harnack contendit particulam « et in gentibus » esse interpolatam; ratio affertur quod praefata particula non continetur in loco parallelo apud Mc. 13, 9: « et ante reges et praesides stabitis propter me in testimonium illis ». — Sed omisit considerare v. sequentem, ubi missio ad gentes multo clarius quam in Mt. exprimitur: « Et *in omnes gentes* primum oportet praedicare evangelium » (! ! !).

4. At Christus dicit apostolis: « Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit Filius hominis in sede maiestatis suae, sedebitis et vos

super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israel » (Mt. 19, 28). Unde fit argumentum: Apostoli ex mandato Christi eos docebunt, quos iudicabunt. Atqui iudicabunt populum Israeliticum. Ergo illum tantum edocebunt.

Resp. Dist. min.: Apostoli iudicabunt populum Israeliticum *etiam*, C.; *tantum*, N. Apostoli hic exhibentur tamquam assessores Christi sedentis in regeneratione in sede maiestatis suae. Ergo eos iudicabunt quos iudicabit Christus. At Christus iudicabit iudaeos et gentes. Etenim « cum venerit Filius hominis in maiestate sua, et omnes angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suae; et congregabuntur ante eum *omnes gentes*, et separabit eos ab invicem » (Mt. 25, 32). Patres non raro commemorant *sacramentum universitatis* latens sub numero duodenario. Sic Augustinus in exposit. super Ps. octogesimum sextum: « Duodecim ergo sedes quid sibi velint, videamus. Sacramentum est cuiusdam universitatis, quia per totum orbem terrarum futura erat Ecclesia ... et ideo quia undique venitur ad iudicandum, duodecim sedes sunt; sicut quia undique intratur in illam civitatem, duodecim portae sunt ». Similiter Beda Venerabilis in Homilia in natali S. Benedicti: « Quia enim duodenario saepe numero solet in Scripturis universitas designari, per duodecim sedes Apostolorum, omnium numerositas iudicantium, et per duodecim tribus Israel, universitas eorum qui iudicandi sunt, ostenditur ». Ceterum speciale quoddam iudicium *condemnationis* super duodecim tribus Israel futurum admitti cum S. Hieronymo potest scribente: « In regeneratione ... sedebitis et vos in soliis iudicantium, condemnantes duodecim tribus Israel: quia vobis credentibus illi credere noluerunt ». Lib. 3 in Matth. cap. 19.

5. Sed teste Paulo Christus fuit « minister circumcisionis » (Rom. 15, 8). Atqui si evangelium destinasset gentibus, posset dici minister praeputiatorum. Ergo ...

Resp. Dist. maior.: Christus fuit minister circumcisionis, quatenus ipse ministerium suum personale praedicationis exercuit tantum apud iudaeos, C.; quatenus solis iudaeis destinavit suum evangelium salutis, N. Cfr. contextum cum antecedentem, tum consequentem, ubi Paulus universalismum messianicum celebrat ...

6. At Paulus dicit (Act. 13, 46): « Vobis (iudaeis) oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud ... ecce convertimur ad gentes. Unde ratio quare Paulus sese convertit ad gentes est quia iudaei repellunt evangelium. Atqui haec repulsio non facta est iuxta voluntatem Dei et Christi. Ergo diffusio evangelica ad gentes facta est praeter voluntatem Christi.

Resp. Dist. maior.: Ratio quare Paulus *nunc* iam se convertat ad gentes, est quia iudaei repellunt evangelium, Trans. ratio quare simpliciter se convertat ad gentes, N.: Dist. etiam min. Haec repulsio facta est praeter voluntatem Christi praecipientem aut approbantem, C.; permittentem, N.

Paulus post citata verba habet clare enuntiatum praeceptum Dei: « Sic enim praecepit nobis Dominus ».

7. Sed si Christus adeo clare promulgavit mandatum evangelizandi gentes, vix concipitur quomodo Petrus non appellaverit ad hoc mandatum, quum obiurgatur a circumcisis fidelibus propter suum ad gentes accessum. Ergo non videtur deesse motivum dubitandi de historicitate huius mandati missionarii.

Resp. Negatur assertum. Ratio quare Petrus non appellat ad mandatum Christi in eo esse videtur, quod in verbis Christi non continetur *modus* admissionis gentium, ut superius explicavimus.

8. At circumcisi hierosolymitani, audita explicatione Petri concludunt: Ergo *et gentibus* paenitentiam dedit Deus ad salutem. Ergo videntur ignorasse *ipsum factum* vocationis gentilium.

Resp. Negatur consequens: Ex hac fidelium exclamatione hoc unum sequitur, eos ne suspicatos quidem fuisse gentes posse admitti ad Christianismum sine praevia incorporatione ad populum Israeliticum, cui factae erant promissiones. Quomodo foret constituendus *novus Israel Dei* erat altissimum mysterium omnibus retro saeculis occultum, tunc demum manifestatum sanctis Dei apostolis et prophetis.

9. Sed Petrus loquens in domo Cornelii ait: « Et praecepit (Christus) nobis praedicare *populo,* et testificari quia ipse est, qui constitutus est a Deo iudex vivorum et mortuorum » (Act. 10, 42). Ergo nullum novit praeceptum praedicandi gentibus.

Resp. Dist. consequens: Nullum novit (ante visionem lintei) praeceptum admittendi gentes sine praevia incorporatione ad Israelitas, C.; nullum noverat praeceptum praedicandi evangelium gentibus, N. Petrus subito post haec verba addit. Huic omnes Prophetae testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen eius *omnes, qui credunt in eum* ». Et iam antea clare annuntiaverat evangelium salutis destinatum etiam pro gentibus (Act. 2, 39; 3, 25-26; 4, 11-12).

10. Paulus se appellat passim apostolum gentium (Rom. 11, 13). Atqui hic modus loquendi melius explicatur, si ipse dicatur primus inchoasse missionem gentium. Ergo Paulus, non Petrus, fuit primus universalismi praeco.

Resp. Dist. maior.: Paulus se appellat apostolum gentium, quatenus speciali vocatione divina fuit deputatus ad ministerium erga gentes, C.; quatenus ipsi fuit commissa cura admittendi primo gentiles sine onere circumcisionis, N.

11. Sed Paulus expressis verbis ait sibi concreditum esse evangelium praeputii, sicut Petro circumcisionis (Gal. 2, 7). Ergo ...

Resp. Dist. antec.: Paulus dicit sibi speciatim fuisse concreditum evangelium gentium, et Petro *speciatim* evangelium circumcisionis, C.; Paulus dicit sibi *exclusive* fuisse concreditum evangelium gentium, vel munus inchoandi evangelizationem ethnicorum, N.

12. Paulus addit apostolos in hoc convenisse, quod Petrus et relinqui in circumcisionem, Paulus vero et Barnabas ad gentes deferrent evangelium. Ergo ...

Resp. Dist. antec.: Apostoli in hoc convenerunt spectata prima distributione laborum, et quidem post inchoatum a Petro ministerium gentilium, C.; convenerunt in hoc quod ipsi apostoli semper deberent evangelizzare apud solos iudaeos, Paulus vero et Barnabas iam ab initio apud solos gentiles, N.

13. Sed pro Paulo perfecta aequalitas inter iudaeos et gentes est nota essentialis suo evangelio. Atqui ipse affirmat se a Deo pro gentibus segregatum, continuo seu *statim* vocationem Domini sequutum esse (Gal. 1, 15-16). Ergo Paulus ab initio, et quidem ante Petrum, gentibus evangelizavit.

Resp. Dist. min.: Paulus affirmat se statim obedivisse vocationi divinae, C.; se *statim* inchoasse praedicationem apud gentes, N. Qualia fuerint stadia praedicationis Paulinae habes clare explicatum ab ipso Apostolo coram rege Agrippa (Act. 26, 20).

14. In Act. 9, 29 legitur: « Loquebatur (Paulus) quoque gentibus et disputabat cum graecis ». Atqui haec gerebantur ante admissionem Cornelii: Ergo ...

Resp. Vox illa « cum gentibus » est infelix glossolema. Textus originalis sic habet: loquebatur quoque et disputabat cum Hellenistis.

15. Sed non sufficienter constat Cornelium fuisse gentilem; nam vocatur φοβούμενος τὸν θεόν. Atqui hoc nomine designantur proselyti, non gentes.

Resp. Negatur assertum. Cornelium fuisse gentilem plene constat ex Act. (10, 28, 34-35, 45; 11, 1-3, 18; 15 et 14). Ratio addita ut summum probaret Cornelium fuisse proselytum portae, non iustitiae. Loca allata ex Act. ostendunt praeterea Cornelium fuisse *primum gentilem* admissum in Ecclesiam sine circumcisione; hinc etiam solvitur obiectio petita ex viro Aetiope, eunucho a Philippo baptizato (Act. 8, 27 sq.).

16. At si illi dispersi, de quibus Act. 11, 20, praedicant gentibus in Antiochia moti exemplo Petri, non explicatur quare id ipsum non fecerint illi alii dispersi de quibus sermo est in 11, 19. Ergo illi priores aggrediuntur missionem gentilium motu proprio, non influxu et exemplo Petri.

Resp.: *a*) Retorquendo argumentum. Si illi dispersi, de quibus 11, 20, praedicant gentibus moti spiritu hellenistico et universalistico a Stephano hereditato, non explicatur quare id ipsum non fecerint antequam pervene-

rint in Antiochiam, quum pertransibant per regiones gentiles Phaeniciam, Cyprum et Syriam; nec explicatur quare id ipsum non fecerint illi alii dispersi de quibus sermo est in 11, 19, cum et ipsi, secundum adversarios, forent hellenistae.

b) Ratio quare illi dispersi priores non ausi sunt praedicare gentibus in Antiochia potuit esse, quia etsi prius illuc pervenissent, tamen nonnisi serius pervenit ad eos nuntium de admissione Cornelii per Petrum. Quod si tibi non probatur hypothesis de exemplo et influxu quem a Petro receperit sectio dispersorum 11, 20, prudentius credideris eos aggredi demum missionem gentilium motos non tam spiritu hellenistico, quam Spiritu Sancto.

Notae bibliographicae

Ad ipsam thesim: *Pro prima parte* opus vere classicum et facile princeps est: *M. Meinertz,* Iesus und die Heidenmission, edit. altera 1925. Argumentum accurate et ample evolvitur hoc ordine: Universalismus in A. T. p. 19-38; Universalismus in Iudaismo contemporaneo p. 38-52; Universalismus intensivus in doctrina et persona Iesu p. 52-84; Universalismus explicitus Iesu p. 84-114; sententiae universalisticae Iesu p. 114-161; mandatum missionarium p. 161-177; positio singulorum evangeliorum p. 177-196. — Addi possunt *Dieckmann,* De Ecclesia, n. 202-234; *D'Herbigny,* Theologica de Ecclesia II, (1928), n. 249-252; *Tromp,* De Revelatione christiana (1937), p. 207-210; *Tondelli,* Gesù e l'apostolato mondiale, la Scuola Cattolica, 1125, p. 5 sq.; *Vitti,* Gesù e l'apostolato missionario, Teologia Missionaria (Atti della VII settimana di studi missionari Bologna), p. 48-60. — *Pro secunda parte* consuli possunt: *Murillo,* Paulus, p. 155-249, necnon in Estudios eclesiásticos, v. II, 247 sq.; v. III, p. 3 sq.; *Jiménez,* ¿Cristianismo de San Pedro o Cristianismo de San Pablo?, Madrid, 1929; *Tromp,* o. c. p. 210-214; *Meinertz,* o. c. Der Missionsbefehl und die weitere Entwickelung, p. 196-225. Haec ultima pars operis Meinertz videtur nobis ieiunior nec adeo feliciter elaborata sicut prior. *Congar* (Esquisses du Mystère de l'Eglise, 1941, p. 117 sq.) inquirit quomodo Ecclesia primaeva conscientiam suae universalitatis acquisierit. En processum quo ad problematis solutionem devenitur: Principio notatur difficultas latens in evangelicis Christi verbis pro his qui propheticam eius scientiam admittunt. Unde facile intelligas positionem Harnack, qui mandati missionarii historicitatem negavit. — Num reapse mandatum Christi missionarium (Mt. 28, 18 sq.) fuerit historicum ab Auctore non deciditur; hoc unum notatur et premitur: Apostolos *nuspiam* appellasse ad hoc tale mandatum, sive dum aggrederentur missionem gentilium, sive dum obiurgarentur de suo ad gentes accessu: — Petrus quidem non penitus ignoravit prostare ipsis quoque gentibus aliqualem possi-

bilem accessum ad salutem messianam; at fateri oportet primaevam hanc Petri cognitionem fuisse vagam, obscuram nimis, omnique efficacia practica destitutam. — Porro quod de Petro ceterisque Apostolis asseritur, id ipsum de Paulo quoque apostolo gentium asseratur oportet. — *Conclusio,* ex his omnibus fluens, haec est: Apostolos totamque Ecclesiam primitivam acquisivisse demum conscientiam universalismi non tam ope revelationis evangelicae, quam ope et *via factorum.* « Pierre n'y a pas été engagé par autre chose que par des faits... C'est en se réalisant elle-même comme universelle que l'Église a pris conscience de son universalité... on *saura* vraiment ce que cela veut dire, pour l'Evangile, d'être prêche à toute créature, *quand il le sera* ». — Quid sit sentiendum de tota hac explicatione facile perspicies ex his omnibus, quae in nostra thesi proposuimus. Hic notasse sufficiat, totum hoc gravissimum problema de universalismo evangelico in Ecclesia primaeva incomplete proponi, hinc incomplete ideoque obscure resolvi.

De adversariis: Amplissimum et accuratissimum adversariorum conspectum reperies in *Meinertz,* o. c. sub titulo « Das Problem », p. 1-19. Quibus addi possunt *M. Goguel,* Iésus et les origines de l'universalisme chrétien, in Revue d'Histoire et de Philosophie religieuses, XII, 1932, p. 193-211; *B. Sundkler,* Jésus et les païns, in eodem periodico, XVI, 1936, p. 462-499. — Sententia *Harnack* continetur in noto opere: Die Mission und Ausbreitung des Christentums... (ed. 4ª, 1923), p. 39-48: datur versio italica P. Marruchi, Torino, 1906. Contra Harnack scripserunt: *L. de Grandmaison* in Etudes (1903), p. 300-329 et 459-476); *von Raich* in Katholik (1903), p. 240-255. Multo fusius quam Harnack egit de nostro problemate *F. Spitta* in opere Iesus und Heindenmission, Giesen 1909. Singularis eius positio clare exprimitur in his verbis: « In Gegensatz zu Harnacks Urteil dass die Heidenmission nicht in Jesu Horizonte gelegen habe, begnüge ich mich nicht der Meinung, dass er sie seinen Iüngern nach seiner Auferstehung ans Herz gelegt, sondern dass diese Aufgabe von Anfang an vor seiner Seele stand und dass er ihr nicht bloss nicht ausgewichen sei, wenn ihm Heiden in dem Weg traten, sondern diese auch aufgesucht habe durch Reisen in ihre Gebiete. So kann man von Jesus geradezu als vom ersten christlichen Missionar sprechen, der nicht bloss durch seinen « intensiven Universalismus » den Grund zur christlichen Heidenmission gelegt hat, sondern dessen Tātigkeit ihren Beginn bedeutet ». De hoc opere Spitta agit *Meinertz* in Theologische Revue (1909) p. 605 sq. — Contra theoriam *Wikenhauser* optime scripsit *Murillo* in periodico Matritensi Estudios eclesiásticos, l. c., nisi quod, nostro iudicio, nimis premitur dependentia missionariorum Hellenistarum (Act. 11, 20) ab admissione Cornelii facta per Petrum.

De praedicatione Stephani: eiusque momento in questione de universalismo Ecclesiae primitivae cfr. probatos commentatores Actuum cap. 6 et 7; necnon *Medebielle* in Dictionnaire de la Bible, Supplément, II, c. 614-615.

THESIS IV

Regnum Dei, quod Christus annuntiavit, est veri nominis societas, quam Christus ipse immediate et voluntarie instituit Ecclesiam suam.

A *Regno Dei* fit iam gradus ad *Ecclesiam Christi,* i. e. a Regno Dei a Christo *annuntiato,* ad Regnum Dei a Christo *socialiter institutum,* quod ipse Christus appellavit *Ecclesiam suam.*

Praenotanda

Societas definitur: Stabilis plurium coniunctio in finem communem suis actibus conspirantium. Hinc elementa essentialia societatis sunt: *a*) multitudo aliqua entium intellectualium, quae tenet locum *materiae* in composito sociali; *b*) Unio seu coniunctio sociorum in qua recte reponitur *forma* societatis. Porro haec unio debet esse: *stabilis,* nam multorum congressus momentaneus uno quasi ictu consummandus societatis nomen vix meretur; — *moralis,* vinculis nempe moralibus consistens, quae sociorum mentes, voluntates ac vires executivas devinciunt; — *principium* huius unionis duplex assignari potest: unum se tenens ex parte *causae finalis,* quod est bonum aliquod ab omnibus cognitum et amatum, separatis singulorum conatibus arduum et impossibile, hinc provocans simultaneum omnium concursum; alterum se tenens ex parte *causae efficientis* (auctoritas socialis) cuius est conspirationem civium recte ordinare, practice inducere, efficaciter tueri contra centrifugas sociorum tendentias. Vides conceptum societatis eo demum devenire ut sit multitudo (materia) informata unione morali (forma interna), cuius principium adaequatum est finis communis (forma externa obiectiva) et auctoritas socialis (forma externa dynamica). Advertas Ecclesiam esse societatem supernaturalem, in qua proin unio socialis non est pure moralis, sed veremystica et pneumatica, ut suo loco explicabitur.

Societas potest esse iuridica vel mere moralis — perfecta vel imperfecta — religiosa vel profana — libera vel necessaria — naturalis vel legalis seu

positiva ... Quas omnes notiones ac divisiones notas supponimus ex Philosophia. Ex dicendis patebit Ecclesiam esse societatem iuridicam, perfectam, religiosam, necessariam, positivam.

Institutor societatis est causa efficiens seu actione sua determinans esse societatis. Porro quum essentia societatis constet multitudine devincta unione cuius principium sit finis communis et auctoritas socialis, patet quaenam sint partes veri institutoris. Debet nempe institutor: multitudinem convocare; — finem communem praestituere — media ad finem communem obtinendum necessaria stabilire — creare auctoritatem socialem = potestatem moralem obligandi membra societatis perfectae ut in finem communem suis actibus concurrant. Pleniori adhuc sensu ac iure vocabitur institutor, si formam praeterea societatis puta hierarchicam vel monarchicam irrevocabiliter determinet. In thesi sequenti perficietur notio institutoris Ecclesiae.

Institutor immediatus est ille quem modo descripsimus, ille nempe qui actione directa et personali existentiam societatis determinat. Institutor *mediatus* solet dici ille qui tradit alteri potestatem qua hic, si velit, possit fundare societatem: vides institutorem mediatum non plene verificare notionem institutoris, quum ipse tandem *non determinet* existentiam societatis.

Institutor voluntarius est ille qui fundat societatem praevisam et intentam. Institutorem *involuntarium* appellant illum, qui praxi et praedicatione sua inchoat motum aliquem religiosum qui dein, agente evolutione naturali, praeter intentionem fundatoris, provocat efformationem alicuius societatis ad illud bonum commune conservandum et augendum.

Contendimus probare: *a*) Christum non tantum annuntiasse Regnum Dei, sed ad illud realizandum instituisse immediate et voluntarie veram quandam societatem: *b*) Hanc societatem appellasse *Ecclesiam suam*. Primum punctum evolvemus in thesi; *de voce Ecclesiae* ad ipsum Christum referenda necnon de habitudine inter Regnum Dei et Ecclesiam Christi agemus in scholiis.

Positio adversaria

Thesi nostrae adversantur *Protestantes liberales ac Modernistae.* Apud quos Christus praedicavit Regnum Dei vel mere eschatologicum, vel mere internum, vel mere nationale (iudaeorum); hinc cogitare non potuit de condenda aliqua societate ecclesiastica universali seu catholica. Quomodo vero factum sit ut deinceps oriretur societas e iudaeis et gentibus compacta, Ecclesiae nomine celebrata, alii aliter explicant. En praecipua quaedam tentamina.

Schola Tubingensis, duce Baur, sic rem explicat: *a*) Christus ipse non se separabit a synagoga Iudaeorum, nec discipulis suis hanc separationem iniunxit. Primus separationis auctor fuit Paulus praedicans abolitam iam esse Legem Moysis; *b*) Huic tamen praedicationi vehementer restitit Petrus cum Iacobo et ceteris apostolis. Hinc factum est ut initio rei christianae haberentur diversi coetus separati ac hostiles, quorum alii adhaerebant Petrinismo, alii Paulinismo; *c*) Tota haec antimonia et oppositio paulatim dissipatur mutuis hinc inde factis concessionibus, donec iam saeculo tertio ineunte obtinetur omnium coetuum christianorum coadunatio in unam societatem religiosam.

Communior explicatio apud recentes criticos ex schola protestantica liberali exhibetur a Sabatier: Les religions d'autorité et la religion de l'Esprit, 1904, p. 47 sq. Summa rei hisce continetur: *a*) Prima condendae Ecclesiae idea nequit attribui Christo, quippe cuius mens tenebatur instantis iam finis mundi expectatione ac Messiae parousia; *b*) eadem expectatio parousiaca tenet primas communitates christianas, quae ideo nec ipsae apparent sollicitae de efformando uno ac universali coetu sociali; tota harum communitatum constitutio est mere charismatica; *c*) primam universalis organismi ideam suppeditavit Paulus magnifica sua conceptione de Ecclesia universali corpore Christi mystico; quo inducto elemento habetur iam *unitas quaedam* universalis interna ac mystica; *d*) desideratur adhuc auctoritas externa doctrinalis ac iurisdictionalis. Utramque provocabunt hinc *gnosticismus,* quo Christianismus absorbetur in philosophiam graecam, inde *Montanismus* renovans anarchiam spiritualem et charismaticam. Primum periculum coercetur creato et imposito symbolo fidei tamquam

vera Christianismi tessera; sic apparet auctoritas magisterialis. Alteri periculo obviam fit erecto dogmate de episcopis apostolorum successoribus; en creatam potestatem regiminis; *e*) centralem Ecclesiae Romanae positionem interea praeparabant ruina Templi et urbis hierosolymitanae, praevalentia communitatum ethnicarum, ipsa demum Urbis imperialis maiestas ac potentior principalitas: En iam catholicismum iuridicum plene efformatum, cuius prima manifestatio apparet iam in epistula Clementis romani ad communitatem corinthiacam, collabente saeculo primo.

Doctrina Modernistica, rem nostram quod attinet, potest ad haec revocari: *a*) Christus imprimis nequit dici institutor Ecclesiae voluntarius. Etenim « alienum fuit a mente Christi Ecclesiam constituere veluti societatem super terram per longam saeculorum seriem duraturam; quin imo in mente Christi regnum caeli una cum fine mundi iamiam adventurum erat » (DB. n. 2052). Admittit quidem Loisy doctrinam de Christo voluntario Ecclesiae institutore clare contineri in verbis Christi glorificati (Mt. 28, 18 sq.), at contendit resurrectionem gloriosam Christi esse factum vel phaenomenon ordinem historicum transcendens, hinc historice indemonstratum ac indemonstrabile.

b) Concedunt Modernistae Christum involuntarie originasse Ecclesiam. Etenim praxi sua et praedicatione de Regno Dei iam adventante inchoavit motum quendam religiosum, cuius terminum naturalem seu Ecclesiam nec praevidit, nec consequenter intendit. Ecclesia ergo ad mentem Modernistarum est *consectarium naturale sed inexpectatum motus religiosi* a Christo in Palaestina inchoati.

c) Porro Ecclesia iuxta Modernistas oritur ex duplici necessitate; una in credente quovis ut fidem suam cum aliis communicet; sic efformatur prima collectivitas; altera in collectivitate ad coalescendum in societatem, et ad bonum commune tuendum, augendum, propagandum (cfr. DB. n. 2091).

M. Goguel recentius crisim instituebat controversiae Harnack-Loisy de essentia Christianismi et ortu Ecclesiae. Fructus examinis erat conclusio: neuter apte explicavit originem et efformationem Ecclesiae. Equidem Loisy bene vidit defectum fundamentalem quo laborat conceptio Harnack; at nec ipsa theoria Loisy, se-

cundum quam Ecclesia debet haberi ut consectarium naturale et legitimum motus religiosi a Christo in Palaestina inchoati, potest acceptari ut vera et sufficiens rei explicatio. Hinc proponitur novum tentamen explicationis, quae apte possit ad sequentia revocari:

a) Christus imprimis nequit dici auctor voluntarius Ecclesiae, quippe quam nec praevidit nec consequenter intendit, non iam qualem nos hodie videmus, sed nec qualis existere incepit mox post suam mortem. Textus quidem afferri consueti (Mt. 16, 18; 18, 17-18) bene probarent fundationem Ecclesiae per Christum factam, si forent authentici; at rationes graves et dicisivae huic authentiae seu historicitati obstant. Tamquam rationes decisivae afferuntur: primo quod Christus erat plene persuasus de fine mundi iam instante (Mt. 10, 23; 16, 28); accedit silentium Mc. et Lc. in locis parallelis.

b) Origo Ecclesiae petenda est tum e continuata Christi actione, tum ex *substitutis Christi ideis*. Substitutionis exempla et rationes afferuntur sequentia: Christus adhaerebat dualismo semitico; Ecclesia primaeva acceptavit dualismum hellenicum. Christus docebat cultum Dei; Ecclesia profitebatur cultum Christi glorificati et Domini — Christus praedicabat Messiam futurum; Ecclesia celebrabat Messiam praesentem — Christus admittebat et exercebat potestatem remittendi peccata independentem a sua morte et resurrectione; Ecclesia docebat remissionem peccatorum dependentem a morte et resurrectione Christi — Christus instituebat apostolatum in ordine ad Regnum Dei eschatologicum proxime erumpens; Ecclesia admittebat apostolatum in ordine ad propagationem et regimen novae societatis ecclesiasticae; quin imo conceptioni Paulinae et priori de Apostolatu-charismate succedebat conceptio hierosolymitana de apostolatu-institutione — Ipsa quoque oratio dominica: « Adveniat Regnum tuum » novam significationem induebat in mente et ore Christianorum...

c) Totum hoc substitutionis opus minime obstat quominus Ecclesia possit revocari ad continuatam Christi actionem. Haec ut intelligas, adverte phaenomeni religiosi, qualis est Ecclesia, causam debere quaeri item religiosam. Porro Religio tandem continetur quadam spiritus experientia, quadam conscientiae orien-

tatione, certa quadam animi tensione et in Deum directione. Haec autem experientia religiosa nequit fieri conscia et constans nisi ope quarumdam formularum intellectualium. Sed hae formulae dogmaticae non possunt esse fixae et constanter eaedem, sed varientur oportet cum medio ambiente et novis adiunctis e quibus demum oriuntur. Hinc et novae ideae ac formulae Ecclesiae primaevae possunt revocari ad actionem Christi, quatenus sunt fructus dynamismi, quem Christus in Apostolis provocavit. Ergo licet affirmare cum Loisy Ecclesiam esse ortam ex actione Christi, non tamen via *evolutionis* seminis a Christo plantati, sed via potius *substitutionis*.

Probatur thesis

Multa bona argumenta fieri possunt ad thesim probandam. At argumentum *integrale* satius construitur e triplici concurrenti ac convergenti elemento = ecclesiae *promissae* — ecclesiae *institutae* — ecclesiae historice *realizatae*. Sit ergo

Stadium promissionis

a) *Ecclesiam promissam* a Christo clare exhibent verba ipsius apud Mt. 16, 18-19: « Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram *aedificabo Ecclesiam meam* ... et tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis ».

Socialiter aedificandam Ecclesiam promitti ostendunt: *Primo* quidem auctoritas suprema a Christo Petro promissa. Qui exhibetur *fundamentum* visibile Ecclesiae universae, hinc principium unitatis et firmitatis in collectivitate ecclesiastca; *claviger* in regno caelorum, hinc auctus potestate suprema vicaria (vicerex) in domo messiana; *supremus ligator* ac solutor in regno caelorum. — *Dein* ipsa vox « Ecclesia » sat clare denotat characterem socialem novi aedificii; significat quippe haec vox in Antiquo quidem Testamento *populum Israel* Deo sacrum, theocratiam iudaicam

hierarchice compactam; in Novo autem Testamento fraternitatem christianam iuridice organizatam (Mt. 18, 17-18; Act. 15, 4; 20, 28 etc.). — *Eodem spectat vox* « Regnum caelorum », cuius significatio socialis indubia apparet tum in effatis Prophetarum (cf. Is. 2, 2-3; 9, 6-7; Dan. 2, 44-45; 7, 13-14 et 18 etc.), tum in verbis Christi ut ostendimus in thesi II. Ex his facile construitur *argumentum in forma*: Christus quod promisit, implevit. Atqui promisit se fundaturum Ecclesiam suam in forma sociali. Ergo ... Adversarii passim concedunt vim argumenti *supposita authentia* verborum Christi. Hanc authentiam immerito negari aut in dubium verti alibi ostendetur.

b) *Simile argumentum* concinnari potest ex verbis Christi apud Io. 10, 16: « Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere (ἀγαγεῖν) et fiet unum ovile et unus pastor ». Unde arguitur: Ovile unum sub uno pastore est veri nominis societas. Atqui Christus promisit se efformaturum hoc tale ovile. Ergo ...

Prob. maior. Ovile unum sub uno pastore importat multitudinem hominum informatam unione vere sociali, hinc veram societatem. Sicut ovile *congregatum* ex iudaeis est vera societas, sic ovile *congregandum* ex iudaeis et gentibus. Porro agitur de aductione seu congregatione gentium, quae fiet post mortem Christi (Io. 12, 32-33), hinc non praedicatione personali ipsius Christi, qui venerat ad oves tantum quae perierunt domus Israel (Mt. 15, 24), sed opera Apostolorum quos mittet Christus in omnes oves suas gentilicas (Io. 17, 18; 20, 21-22; Mt. 28, 18 sq.), quas dein tradet pascendas suo in terris vicario Petro (Io. 21, 16 sq.). Hinc patet quis sit unus ille pastor. Principalis quidem et invisibilis, ipse Christus; ministerialis autem et visibilis, Petrus. Ubi advertas quam harmonice inter se cohaereant haec duo argumenta et evangelica verba: Ecclesiae Christi apud Mt. respondet ovile Christi apud. Io. — voci Ecclesiae apud Mt. respondet vox synagoga apud Io. (10, 16 cf. 11, 52 = συναγαγῇ — Ecclesiae fundamento ac clavigero apud Mt. respondet Pastor supremus gregis apud Io. Utramque vocem gregem — ecclesiam habes coniunctam in Paulo (Act. 20, 28).

Stadium institutionis

a) Cum societas sit coniunctio plurium ad communem finem conspirantium, ille dicendus est instituere societatem, qui hanc coniunctionem efficit seu determinat. Atqui Christus asseclas suos coniunxit triplici constituto vinculo, symbolico nempe, liturgico et hierarchico. Ergo ...

Prob. min. Vinculum symbolicum seu fidei statuit Christus ut manifeste apparet ex Mc. 16, 15-16: « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur ».

Vinculum liturgicum seu sacramentale induxit Christus constituto sacramento *baptismi* ut apparet in l. c.: qui crediderit et *baptizatus* fuerit, salvus erit (cf. Mt. 28, 19 et Io. 3, 5); *eucharistiae*, ut constat ex Io. 6, 54: « Nisi manducaveritis carnem Filii hominis et biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis »; *poenitentiae*, ut ostendunt verba Christi apud Io. 20, 23: « Quorum remiseritis peccata remittuntur eis; quorum retinueritis, retenta sunt ». Accedit institutio *sacrificii eucharistici* (Lc. 22, 19; I Cor. 11, 24-26).

Vinculum hierarchicum apostolicum exhibent verba Christi in Mt. 18, 18: « Quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo ». — Adde vinculum hierarchicum Petrinum Io. 21, 15-17.

b) *Alterum argumentum* dabunt verba Christi evangelica Mt. 28, 18-20: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus S.: docentes eos servare quaecumque mandavi vobis ». Habes hic omnia elementa quae requiruntur in vero institutore societatis = Docete omnes gentes: en *convocatam multitudinem*. Qui crediderit et baptizatus fuerit, *salvus* erit: en *finem communem* = sanctificationem et salutem animarum. Habes *media socialia* = doctrinam credendam, baptismum et cetera sacramenta recipienda, observantiam praeceptorum. Adest deni-

que *auctoritas socialis,* potestas nempe moralis a Christo apostolis simul cum missione concessa ad docendas gentes, ad communitates christianas organizandas atque regendas. Ergo Christus recte dicitur institutor societatis ecclesiasticae.

Stadium realizationis

Sicut promissioni respondet realis institutio, sic institutioni apprime consonat historica realizatio, ut clare ostendunt primaevae christianitatis documenta.

Actus Apostolorum

Ubi adest nova multitudo a Christo convocata, in novum finem per nova media conspirans sub auctoritate a Christo constituta, ibi certe adest nova societas a Christo immediate et voluntarie instituta. Iamvero Actus Apostolorum imprimis exhibent hanc talem communitatem, ut evincent sequentia:

a) *Convocationem* iudaeorum et gentium a Christo factam narrat Lc. Act. 1, 8: « Eritis mihi testes in Hierusalem et in omni Iudaea, et Samaria, et usque ad ultimum terrae ».

b) *Nova multitudo* statim apparet in narratione Actuum. Adest nempe pusillus grex (1, 13-14), qui celerrime crescit. Ad primam Petri concionem apponuntur in die illa animae circiter tria millia (2, 41). Post novas adiectiones factas in Iudaea (4, 4; 6, 7 ...), occasione persecutionis motae contra Stephanum diffunduntur praecones evangelici usque ad Samariam. Ubi Philippo evangelizanti multi credunt (8, 12-13). Porro Ecclesia aedificabatur per totam Iudaeam, Galilaeam et Samariam (9, 31). Interea recepto a Petro primo gentili Cornelio (10 per totum), Hellenistae missionarii fundant primam communitatem ex gentibus in Antiochia (11, 20 sq.); inde fit celerrima diffusio intra fines imperii romani opera praecipue Pauli mire vocati et transformati (9, 4 sq.).

c) Porro haec nova multitudo *conspirat in novum finem* = ad sanctificationem animorum per exercitium religionis christia-

nae. Etenim compuncti corde Iudaei quaerunt a Petro et reliquis apostolis: quid faciemus viri fratres? Quibus Petrus. Poenitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi in remissionem peccatorum, et accipietis donum Spiritus Sancti (2, 37-38).

d) *Nova media* et nova vita communis statim recensentur: « Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus » (2, 42). Quin imo et novi *effectus sociales* describuntur; etenim omnes, qui credebant, erant pariter et habebant omnia communia. Possessiones et substantias vendebant ... (2, 44-45). Hinc sponte efflorescit *nova vita* in qua splendent effusa ad Deum pietas, arcta et fraterna animorum coniunctio, insignis paupertas (2, 46-47; 4, 32).

e) Tandem tota haec vita socialis regitur et gubernatur *sub auctoritate a Christo constituta.* Siquidem primi communitatis christianae rectores sunt *Apostoli.* Porro Apostoli sunt mandatarii Christi, qui dedit eis mandatum praedicandi (1, 8; 10, 42), doctrinam praedicandam, virtutem charismaticam et thaumaturgicam, ritus sacramentales administrandos, hinc potestates exercendas in ordine doctrinali, sacramentario, sacrifico et sociali. Fatentur id clare ipsi Apostoli: « Sic nos existimet homo *ut ministros Christi* et dispensatores mysteriorum Dei » (I Cor. 4, 1); — « sufficientia nostra ex Deo est; qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti » (II Cor. 3, 5-6); — « *Pro Christo legatione fungimur* tamquam Deo exhortante per nos » (Ibid. 5, 20).

Epistulae Pauli

Paulus pro sua speciali gratia evangelizandi investigabiles divitias Christi multo magis premit aspectum Ecclesiae mysticum et vitalem; attamen socialem ipsius respectum constanter supponit et identidem exprimit. Licebit uberrimam doctrinam ad pauca capita constringere.

a) Christus imprimis praedicatur *Dominus Ecclesiae* hierarchicae (ab episcopis gubernatae) quippe quam « sanguine suo acquisivit » (Act. 20, 28; cf. Rom. 14, 9). Atqui nequit Ecclesia

hierarchica dici vera Christi possessio, si sit ab aliquo alio immediate instituta, quum res omnis clamet ad dominum.

b) Ecclesia (hierarchica) est *novus populus* coagmentatus ex duobus populis antea inimicis et separatis, nunc reconciliatis et unitis. Atqui Christus est auctor huius novi populi. « Ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum ut duos condat in semetipso in unum novum hominem et reconciliet ambos in uno corpore » (Ephes. 12, 14 sq.).

c) Ecclesia (hierarchica) est *aedificium spirituale* cuius lapis angularis est Christus, cui superaedificantur fideles tamquam lapides vivi super fundamentum apostolorum et prophetarum (Ephes. 2, 20-30). Atqui Christus est architectus huius aedificii. Etenim ab ipso est tota vis sustentativa, unitiva et vitalis, quae est in lapide angulari; tota vis aedificativa, quae est in apostolis et prophetis: « Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas ... ad aedificationem corporis Christi » (ibid. 4, 11); demum tota unitas vitalis quae est in reliqua structura (ibid. 4, 16). Hinc est quod Paulus Christum expresse exhibeat ut *fabricatorem huius domus ecclesiasticae* (Hebr. 3, 3).

d) Ecclesia (hierarchica) est *corpus Christi mysticum* (Eph. 1, 22-23; Colos. 1, 24, et alibi passim). Atqui Christus est plasmator huius corporis. Tria quippe concurrunt ad eius constitutionem: caput, membra, Spiritus vivificans. Atqui Christus est auctor totius *vis capitalis,* quippe quam generat ut Deus, meruit ut homo; ipse est auctor baptismi quo fit *prima membrorum incorporatio* et efformatio (I Cor. 12, 13), necnon eucharistiae qua haec incorporatio *perficitur* (I Cor. 10, 17); ipse demum est *dator Spiritus*: Etenim « factus est primus homo in animam viventem, novissimus Adam in Spiritum vivificantem » (I Cor. 15, 45).

e) Teste Paulo Christus instituit *Apostolatum* (I Cor. 12, 28 et alibi passim). Atqui institutor apostolatus est institutor Ecclesiae (hierarchicae). Siquidem apostolatus implicat potestatem hierarchicam (= ordinis, magisterii et regiminis). Atqui qui creat has tres potestates, eo ipso fundat Ecclesiam, nam coniungit fideles triplici vinculo = symbolico, liturgico et hierarchico. Ergo ...

Obiectiones solvuntur

Difficultates praecipuae contra hanc thesim iam sunt sufficienter examinatae et solutae in praecedentibus. Hinc mera claritatis gratia, et ut appareat ordo rerum et connexio breviter et ordinate proponemus obiectiones fieri solitas in hac materia.

1. Christus iterato docuit suam parousiam in fine mundi iamiam adventante (Mt. 10, 23; 16, 28, etc.). Ergo non potuit cogitare de fundanda aliqua societate super terram per longam saeculorum seriem duratura.

Resp. Negatur antecedens. Textus obiectos difficultate non carere libenter fatemur; nullam in illis implicari sive affirmationem sive insinuationem proximae parousiae vel finis mundi pluribus ostendimus.

2. Centrale praedicationis Christi obiectum fuit Regnum Dei. Atqui Christus clare docuit Regnum Dei esse mere internum (Lc. 17, 20-21). Ergo idea societatis ecclesiasticae aliena est ab evangelio Christi.

Resp. Dist. min.: Christus docuit Regnum Dei esse essentialiter internum, C.; mere internum, N. Textum obiectum non esse ad rem superius vidimus.

3. Sed Christus palam affirmavit se non venisse nisi ad oves quae perierunt domus Israel (Mt. 15, 24). Ergo noluit fundare societatem a synagoga distinctam.

Resp. Christus palam dixit se habere alias oves quae non erant ex ovili Iudaico, quas adduci ab ipso oportet (Io. 10, 16). Missio, de qua in textu obiecto, non est salvifica, sed prophetica et thaumaturgica, eaque personalis.

4. Christus per totam suam vitam mortalem observavit legem caeremonialem, frequentavit synagogas, commendavit sanctitatem templi hierosolymitani et docuit legitimam esse auctoritatem scribarum et pharisaeorum. Ergo iterum constat se noluisse fundare novam aliquam societatem a synagoga distinctam.

Resp. Concesso antecedenti, dist. conseq.: noluit fundare Ecclesiam ante suam mortem et resurrectionem, Trans.; post suam resurrectionem, N. Ante mortem Christi Lex mosaica nondum erat abrogata. Hinc Christus eam servare voluit, et a caeteris iudaeis servandam esse inculcavit. Item Christus Ecclesiam sanguine suo acquisivit; unde eius institutio nonnisi post suam mortem et resurrectionem fuit completa. Durante tamen sua vita mortali et templi ruinam praedixit, et Hierusalem desertam iri praemonstravit, et Regnum Dei a iudaeis auferendum et gentibus tradendum prophetavit, et Ecclesiam super novum fundamentum Petrinum erigendam promisit ...

5. Sed Christus asseruit: « Non veni solvere Legem aut prophetas; non veni solvere, sed adimplere » (Mt. 5, 19). Atqui solvisset Christus Legem, si voluisset fundare novam societatem a synagoga distinctam. Ergo ...

Resp. *a*) Christus non solvit Legem aut prophetas fundando Ecclesiam, sed eam implet; siquidem Lex et prophetae multifariam multisque modis annuntiaverunt Regnum universale et ecclesiasticum a Messia erigendum ...

b) Legem mosaicam quod attinet, Christus non solvit sed adimplet seu perficit ea quae spectabant ad praecepta moralia legis naturalis; partem vero iudicialem et caeremonialem Legis dissolvit fundando nova sacramenta, novum sacrificium, novum sacerdotium etc ...

6. At societates specificantur per suos fines. Atqui finis Ecclesiae non distinguitur a fine sanctificationis, quem etiam synagoga intendebat. Ergo ...

Resp. *a*) Obiectio, etsi teneret, hoc unum probaret, Ecclesiam non distingui a synagoga *specifice*, at inde non sequitur non distingui *numerice* et individualiter. Nonne plures computantur individuae societates unius eiusdemque speciei?

b) Societas non specificatur a fine suo *ultimo*, sed proximo et quidem concrete spectato. Sanctificatio collata per Legem erat potius externa et legalis; sanctitas vero collata per Ecclesiam est interna et supernaturalis; hinc qui minor est in Regno caelorum, quod est Ecclesia, praestantior est Ioanne Baptista, quo maior nemo fuit (in A. T.) inter natos mulierum (Mt. 11, 11).

7. Sed ad essentiam societatis pertinet finis communis. Atqui nullus potest assignari Ecclesiae finis communis, quum sanctificatio sit bonum particulare singulorum. Ergo ...

Resp. *a*) Ecclesiae finis proximus et adaequatus non consistit in sola animorum sanctificatione, sed etiam in cultu Dei (et Christi) publico et sociali; *b*) ipsa sanctitas animae non est bonum obtinendum privato singulorum conatu, vel directa et exclusiva Dei actione in animas singulorum, sed publico et sociali Ecclesiae multiplici concursu. Haec omnia clarescent magis, quum de fine Ecclesiae sermo instituetur.

8. At ille proprie fundat societatem qui applicat formam materiae. Atqui non Christus, sed ipsi fideles suo libero consensu applicant formam (unionem) materiae seu multitudini. Ergo ...

Resp. Dist. min.: Fideles applicant materiae formam ab ipso Christo determinatam et impositam, C.; aliter, N. Principium unionis moralis civium duplex assignatur, ut superius praenotavimus: finis communis et auctoritas socialis. Porro utrumque hoc elementum ab ipso Christo fuit determinatum. Accedit quod a Christo est ipse ritus officialis et baptismalis quo fideles initiantur et aggregantur novae communitati.

9. Textus praecipui ad institutionem Ecclesiae pertinentes dubiae sunt authenticitatis. Etenim vel pertinent ad Christum glorificatum, vel demum revocantur ad pericopem Mt. 16, 18, quae et ipsa sat suspecta apparet. Ergo ...

Resp. *a*) Negare authentiam et fidem verbis Christi glorificati, eo quod resurrectio impossibilis sit vel indemonstrabilis, praeiudicium est rationalistarum mere aprioristicum; *b*) de authentia et historicitate (Mt. 16, 18) in thesi octava sermo recurret.

Scholion I. — *De voce « Ecclesia » ad Christum referenda.*

1. *Usu profano* vox graeca Ecclesia significat conventum populi vel congregationem factam per convocationem praeconis ad deliberandum de rebus publicis. Inde per extensionem adhibetur quandoque eadem vox ad denotandam quamlibet populi aut multitudinis contionem etiam illegalem imo et tumultuosam.

Antiqui Testamenti usum quod attinet, in lingua quidem *hebraica* recurrunt duo nomina ad designandum populum Israëliticum Yahweh sacrum, in hierarchicam et theocraticam societatem coadunatum = *qahal et edah.* Duplici huic vocabulo respondet in *versione septuagintavirali* duplex item vocabulum = ἐκκλησία et συναγωγή: vox ecclesia respondet constanter voci qahal cuius ceteroquin ampliorem significationem restringit et ad usum fere sacrum reducit; vox *synagoga* respondet sive voci *qahal* sive multo frequentius voci *edah.*

In Novo Testamento usus *vocis ecclesia* est frequentissimus. Recurrit haec vox 65 vicibus in epistulis Paulinis, 23 in Actibus Apost., 20 in Apocalypsi, 3 in epistula 3ª Io., bis in Mt., semel in epistula Iac. Significatio apparet varia; etenim vox haec aliquando significat conventum liturgicum populi christiani, alias denotat communitates christianas particulares, alias totum seu universalem coetum christianum. — Vox *synagoga* occurrit frequenter in Evangeliis et in Act. Apost., significat vero constanter communitates iudaicas. Una fere exceptio recurrit in epistula Iacobi, qui al designandum coetum christianum (particularem) utitur voce sive *synagogae* (2, 2), sive *ecclesiae* (5, 14). Etenim Ioannes utitur voce ἀγαγεῖν (10, 16) et συναγάγῃ (11, 52) ad denotandum congregationem omnium ovium in unum ovile christianum.

2. *Quaeritur* iam num vox Ecclesia sit referenda ad ipsum Christum auctorem. Resistunt fortiter multi fautores scholae liberalis: qui cohaerenter ad suas conceptiones de sensu Regni Dei a Christo annuntiati, abiudicant ei hanc ideam et vocem, quam volunt inductam vel a Paulo vel a communitate christiana primitiva. At incassum: *a*) Christum *potuisse* uti hac voce manifestum videtur; etenim si populus electus et Iahweh sacer, si communitas hierarchica et theocratica in A. Testamento denotabatur voce qahal-ecclesia, quare haec ipsa vox non potuit adhiberi ad significandum populum Dei seu verum Israelem Novi Testamenti? — *b*) Iesum *debuisse* fere uti hac voce valde verisimile redditur attento toto contextu. Agitur namque in nostro loco de publica agnitione et confessione Messiae, qui est lapis angularis ab aedificantibus incredulis reiectus, ideoque assumendus in caput anguli; agitur de Simone, filio Ionae, constituendo in fundamentum petrinum, cui innitetur domus messiana auferenda a Iudaeis et danda gentibus; agitur de clavigero Regni caelorum, quod Deus caeli suscitabit, quod in aeternum non corrumpetur, quod alteri populo non dabitur (Dan. 2, 44), quod erigetur per ***Filium hominis*** cui dabitur potestas et imperium simul cum populo sanctorum (ibid. 7, 14): verbo, agitur de communitate sacra, universali, definitiva in A. T. promissa et praenuntiata. Porro nullum nomen sacratius, sollemnius, aptius ad hanc talem communitatem significandam adhiberi potuit, quam vox *ecclesia* « Hoc uno nomine — scite notat Dieckmann. — Christus et suam missionem ut messianicam, et suum opus ut vere divinum, et suam religionem ut ultimam et absolutam, et coetum suorum ut organisationem externam et universalem et perennem manifestat ». — *c*) Accedit inanitas rationum quae in contrarium afferuntur. Primaria et fundamentalis in eo reponitur, quod Christus praedicavit Regnum Dei vel mere eschatologicum, vel mere internum, vel mere nationale pro Iudaeis, hinc cogitare non potuit de Ecclesia universali; sed haec iam in antecessum dissipata sunt: — Addunt Christum non potuisse Ecclesiam dicere *suam*, cum Ecclesia sit ***Dei***, cui soli constanter eam attribuit Paulus. — Sed non advertunt adversarii in ipso contextu celebrari messianitatem *et divinitatem* Iesu magnifica Petri confessione a Christo sollemniter approbata

et splendide remunerata. Ecclesia certe est Dei; at Deus iuxta effata Prophetarum eam erectam voluit per Filium suum Christum, qui eam edocuit, convocavit, redemit, vivificavit, et apostolis suis gubernandam et dilatandam tradidit. Ipse textus statuit quandam identitatem inter *Ecclesiam* et *Regnum caelorum* (v. 19). Porro si Christus Regnum caelorum vocavit *suum* (Mt. 13, 41), quare Ecclesiam non potuit appellare *suam*? Paulus sane ut plurimum commemorat Ecclesiam *Dei;* sed primo Christum celebrat ut Deum; dein expresse docet Christum Ecclesiam sanguine suo acquisivisse (Act. 20, 28); demum in epistula ad Rom. 16, 16 loquitur de « ecclesiis Christi »; — Minoris adhuc momenti est obiectio inde petita, quod Christus difficulter potuerit permiscere duas metaphoras = Ecclesia — aedificanda. — At si Paulus potuit duas has metaphoras coniungere, quare non Christus? In textu agitur de nova societate messiana in futuro instituenda (aedificabo); iamvero communitas Deo sacra seu populus Dei saepe exhibetur in A. T. sub imagine *domus,* hinc potuit Christus aptissime loqui de Ecclesia aedificanda.

3. *Remanet quaestiuncula* de voce a Christo usurpata. Christus loquebatur *aramaice;* porro in lingua aramaica recurrunt duo vocabula ad designandam communitatem Iahweh sacram = *quehala* et *quenischta.* Prior respondet qahal, altera potius edah: graece ἐκκλησία = quehala; συναγωγή = quenischta. Critici curiosius inquirunt quanam voce usus sit Christus, num quehala an quenischta. Hanc ultimam vocem praefert Th. Zahn et recentius K. L. Schmidt; priorem mavult Dieckmann.

4. *Triplex sensus* vocis demum notandus. Potest namque Ecclesia sumi:

a) *Latissime* ita ut intelligatur universitas creaturarum rationalium, quae, mediante Christo, capite, Deo iunguntur in caelis (ecclesia triumphans), in purgatorio (ecclesia purgans) et in terra (ecclesia militans).

b) *Minus late* ecclesia dicitur tantum militans omnium temporum, i. e. coetus hominum viatorum, qui mediante Christo capite Deum coluerunt, colunt et colent in statu sive legis primitivae, sive mosaicae, sive evangelicae.

c) *Stricte* ecclesia intelligitur coetus hominum viatorum, qui sub lege evangelica Deo adhaerent, i. e. eorum qui integram religionem a Christo revelatam profitentur eamque exercent in societate ab ipso sub Petro fundata.

Scholion II. — *De habitudine Ecclesiae ad Regnum Dei.*

Tria consideremus: *a*) Regnum Dei; *b*) Ecclesiam; *c*) Mutuam relationem.

Regnum Dei: Haec formula biblica potest varia significare: a) Personam Dei regis — *b*) Potestatem dominativam regis — c) Subditos regis — *d*) Bona Regni participanda in hoc mundo — *e*) Bona caelestia seu gloriam aeternam — *f*) Regnum Dei *adaequate* sumptum complectitur et significat haec omnia simul.

Ecclesia: Haec vox vi nominis significat *coetum convocatorum*. Convocatio implicat convocantem — convocatos — vocationem — finem seu scopum vocationis. Convocans est Deus, qui vocatione sive interna sive externa vocat homines — Vocati (cletoi) sunt omnes prorsus homines huius mundi. — Vocatio (clesis) est actus ipse vocandi sive interne sive externe. — Terminus *ultimus* vocationis est Regnum et gloria Dei. De hoc termino loquitur Paulus in I Thessal. 2, 12: « Testificati sumus ut ambularetis digne Deo, qui vocavit vos in suum regnum et gloriam (εἰς τὴν ἑαυτοῦ βασιλείαν καὶ δόξαν. — Terminus *proximus* vocationis in Novo Testamento est Ecclesia Christi seu communio Christi. De hoc termino loquitur Paulus in I Cor. 1, 9: « Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem (κοινωνίαν) filii eius Iesu Christi Domini nostri ». Communio cum Christo implicat (ex voluntate Dei) communionem tum cum collegio apostolico, tum cum sanctissima Trinitate. De hac communione loquitur Ioannes in sua epistula prima 1, 3-4: « Quod vidimus et audivimus annunciamus vobis, ut et vos societatem (κοινωνίαν) habeatis nobiscum, et societas nostra (κοινωνία) sit cum Patre et cum Filio eius Iesu Christo ».

Ecclesia Christi est coetus convocatorum efformatus ab his qui a Christo convocantur, et vocationem Christi sive immedia-

tam sive mediatam (per apostolos) audierunt, eamque sequuti sunt. Haec est Ecclesia Novi Testamenti, quae dicitur Ecclesia *Christi* vario titulo: primo quia Christus eam acquisivit pretio sanguinis effusi — secundo quia Christus eam fundavit super Petrum — tertio quia haec Ecclesia est corpus Christi capitis, necnon sponsa Christi quam ipse diligit et nutrit ut carnem suam. De hac Ecclesia loquitur Paulus: *a*) in Act. 20, 28: « Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei, quam *acquisivit sanguine suo* *b*) Ephes. I, 22-23: « Et omnia subiecit sub pedibus; et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus ipsius, et plenitudo (πλήρωμα) eius, qui omnia in omnibus adimpletur ». *c*) Ephes. 5, 25 sq.: « Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradit pro ea ... ut exhiberet *ipse sibi* gloriosam Ecclesiam ... ». Distinguas ergo inter clesin — cletoi — ecclesiam.

Relatio inter Regnum Dei et Ecclesiam. Relatio inter Regnum et Ecclesiam potest exhiberi hoc modo:

1°. Regnum Dei et *Ecclesia Dei* realiter identificantur; formaliter differunt. Regnum Dei *in recto* significat regem eiusque dominationem, sed in obliquo connotat subditos et coetum ecclesiasticum ab his efformatum.

2° Regnum Dei et *Ecclesia Christi* identificantur *inadaequate.* Regnum Dei *latius patet* quam Ecclesia Christi: Regnum Dei constat duplici stadio: terreno et caelesti.

3° Regnum Dei in *suo stadio terreno* iterum latius patet quam Ecclesia Christi: regnum Dei in terris complectitur Ecclesiam Antiqui et Novi Testamenti; ideo Christus loquebatur de Regno Dei *praesenti,* et de Ecclesia sua aedificanda in *futuro*: aedificabo.

4° Regnum Dei *in Novo Testamento, active* sumptum, rursus latius patet quam Ecclesia Christi. Dominatio Dei extenditur etiam ad omnes illos qui non pertinent ad Ecclesiam Christi. Regnum Dei in N. T. *passive* sumptum identificatur cum Ecclesia Christi hoc sensu, quatenus omnia membra huius regni pertinent ad Ecclesiam Christi *re vel voto.* Eadem de causa, *Regnum Christi* active sumptum latius patet quam Ecclesia: Christo regi omnia sunt subiecta sive in terra sive in caelis.

5°. Regnum Christi *passive* sumptum (in hoc mundo) identificatur cum Ecclesia sensu superius explicato.

6°. Ecclesia Christi est *medium sociale* ad praeparandum Regnum Dei caeleste, et quidem necessarium duplici necessitate, medii et praecepti, ut deinceps explicabitur.

Nota bene : Ad complendam doctrinam in nostro duplici scholio propositam, maxima cum utilitate legi possunt ea quae disserit *Franzelin* in suo opere De Ecclesia Christi, sectione prima, quae continet tractatum prodromum. Maxime commendantur quatuor priores theses : ubi agitur : 1° De significatione nominis « Ecclesia », p. 1-8. 2°. De Ecclesia Dei spectata secundum notionem amplissimam *communionis sanctorum*, p. 8-21. 3° De satu adhuc imperfecto et perficiendo Ecclesiae veteris oeconomiae, p. 21-34. 4° De multiplici discrimine institutorum veteris Testamenti in relatione ad Ecclesiam novi Testamenti, p. 34-46.

Scholion III. — *Dogmaticum.*

Christum *instituisse Ecclesiam* aperte docet : *Concilium Vaticanum* in constitutione dogmatica sive de fide catholica (DB. n. 1793), sive de Ecclesia Christi (DB. n. 1821 — *Decretum* « *Lamentabili* » condemnat doctrinam modernisticam de mente Christi aliena a proposito fundandi *societatem ecclesiasticam*. (DB. n. 2052) : — *Encyclica Pascendi* proscribit doctrinam Modernistarum de institutione *mediata* Ecclesiae (DB. n. 2088) : — *Iuramentum antimodernisticum* sic decernit : « Firma fide credo Ecclesiam verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum et historicum Christum, cum apud nos degeret, *proxime ac directe* institutam ». (DB. n. 2145). Ergo tota thesis est *de fide catholica.*

Notae bibliographicae

Ad ipsam thesim utiliter conferas: *D'Herbigny,* n. 23-32; *De San,* De Ecclesia, n. 5-58; *Schultes,* De Ecclesia catholica (1925), p. 30-81; *Billot,* De Ecclesia Christi (1927), p. 56-102; *Mazzella,* De Religione et Ecclesia (1880), n. 422-445; *Dorsch,* De Ecclesia Christi (1928), p. 23-63; *Felder,* Apologetica II, p. 2-12; *Wilmers,* De Christi Ecclesia (1897), p. 12-28.

De adversariis: Placita scholae Tubingensis vide apud *Baur,* Kirchengeschichte der drei ersten Jahrhunderte, erster Theil, p. 42 sq.; — quoad doctrinam modernisticam cf. *Loisy,* l'Evangile et l'Eglise (1902), I. Le Royaume des cieux, p. 1-38; III. L'Eglise, p. 83-126. Concedit Loisy Christum instituisse Ecclesiam: L'Eglise a-t-elle été institué par le Christ? ... Ce n'est pas l'institution qui fait défaut à l'Eglise. Jésus a voulu l'Eglise dans le service apostolique, organisé en vue du royaume éternel, et qui doit durer jusqu'à la fin des temps. Autour d'unt petit livre, ed. 2ª, p. 158. — Sed addit textus, quibus haec institutio probatur, pertinere ad Christum glorificatum: « Les textes qui concernent véritablement l'institution de l'Eglise sont des paroles du Christ glorifié ». Ibid. p. 153. — Iamvero resurrectio Christi nequit historice probari: « La résurrection du Sauveur n'est pas proprement un fait d'ordre historique ... Je dis la même chose pour l'institution de l'Eglise, en tant que cette institution répond a une volonté formelle du Christ, puisque cette volonté n'est pas plus vérifiable pour l'historien que la gloire même de Jésus résuscité ». Ibid. p. 169. Ergo tandem negat ecclesiae a Christo institutionem posse historice demonstrari. Ultima editio libri « L'Evangile et I'Eglise » apparuit inalterata a. 1929. Notat tamen Loisy in prefatione hoc opus non repraesentare suam actualem sententiam; miratur quoque quod potuerit ipse alias fovere illusionem circa *reformabilitatem* Ecclesiae romanae: — Sententiam scholae liberalis propositam a Sabatier exponit et crisi subiicit *Batiffol* in l'Eglise naissante et Catholicisme (1919), Excursus B, « Examen critique des théories protestantes de la frmation du Catholicisme », p. 174-193; — *M. Goguel* proponit suam theoriam in periodico Strasbourgensi « Revue d'Histoire et de Philosophie religieuses », 1933, Jésus et l'Eglise, p. 197-241. Ubi explicite agnoscitur valor demonstrativus textuum evangelicorum quibus utuntur catholici ad probandam Ecclesiae fundationem per Christum: « Ceux qui pensent que l'Eglise doit son origine a une institution formelle de Jésus s'appuient sur une série de faits [Mt. 16, 18 sq. et 18, 15-17] qui s'ils peuvaient être tenus pour historiques, *justifieraient, en effet, la thèse traditionnelle* » (o. c. p. 224-225).

Protestanticam notionem Ecclesiae dilucide et accurate exhibet *H. Strohl* Revue d'Histoire et de Philosophie religieuses, 1936, p. 265-319; — de notione Ecclesiae apud Bucer agit *I. Couvoisier,* La notion d'Eglise chez Bucer dans son développement historique, Paris Alcan, 1933; — de Ecclesia ut corpore Christi mystico apud Luther agit *W. Wagner* in Zeitschrift f. kath. Theol. 1937, p. 29-98.

De voce « Ecclesia » cfr. *A. Wikenhauser,* Die Kirche als der mystische Leib Christi nach dem Ap. Paulus, 1937, p. 4-21; *Medebielle* ad vocem Eglise in Dict. de la Bible, Suppl. II (1934), c. 487 sy.; *Koester,* Die Idee der Kirche bei Apostel Paulus, 1928, p. 1-8; *Kattenbusch,* Der Quellort der Kirchen-

idee (1921); — *Schürer,* Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Iesu Christi, t. II, p. 504-506; — *Strack-Billerbeck,* Kommentar zum N. T. t. I, Theologisches Wörterbuch zum N. T. vol. III, p. 502-509; — *L. Cerfaux,* La Théologie de l'Eglise suivant saint Paul, 1948, p. 69 sq.

THESIS V

Christus Ecclesiam suam instituit duplici missione: una iuridica qua socialem novae Evae compaginem coagmentavit; altera pneumatica, qua plasmato iam corpori sociali animicum vitae principium inseruit. Utraque haec missio Ecclesiae essentialis est, nec fuit expleta ante resurrectionem Salvatoris.

Praenotanda

Novimus Ecclesiam a Christo socialiter institutam; remanet examinanda ulterior quaestio: *quomodo* et *quandonam* illam instituerit. Qauestionis solutio magnam partem pendet ex notione *institutionis* *institutoris* recte stabilienda. Quod de institutione dico, id ipsum intelligas de aliis notionibus affinibus, quales sunt fundatio, aedificatio, creatio, fabricatio, efformatio ... quarum vim et sensum nisi pressius definieris, ingentem confusionum et litium segetem seminabis.

Institutor Ecclesiae nobis idem est ac vera ipsius causa; causa inquam non finalis, non materialis vel formalis, sed *efficiens*. Causa porro efficiens definitur: principium *actione sua* esse rei (contingentis) determinans. Agitur evidenter de determinatione non pure promissoria, ideali et radicali, sed vere reali, effectiva et formali, qua res extra causas sistitur. Actio porro Christi Ecclesiam instituentis non fuit unica, instantanea et simplex, sed multiplex, successiva et progressiva. Id ut melius intelligas, advertas *esse* exacte respondere *essentiae* seu naturae rei cuius est actualitas, eo prorsus modo quo actus respondet potentiae. Nequit ergo plane intelligi quid ferat formula « determinare esse Ecclesiae », nisi habita continuo prae oculis essentia Ecclesiae. Est autem Ecclesia ex deinceps probandis:

1) Primo quidem veri nominis societas, et quidem non pure moralis, sed vere iuridica. Debet ergo Ecclesiae institutor multitudinem convocare (non immerito dicitur Ecclesia « coetus convocatorum »); debet convocatae multitudini finem socialem praestituere, media quibus finis obtinetur creare, socialem demum ac iuridicam auctoritatem fundare.

2) Ecclesia dein est societas non democratice temperata, sed hierarchice simul et monarchice conglutinata; debet ergo Institutor Ecclesiae hierarchicam et monarchicam Ecclesiae structuram stabiliter determinare. Advertas Ecclesiam ex ipsa Christi institutione esse perpetuam et indefectibilem; talis porro societatis structura non determinatur effective et stabiliter, nisi creato hierarchico unitatis et firmitatis ecclesiasticae visibili ac perenni principio. Debet ergo Institutor Ecclesiae hierarchicam ipsam potestatem creare, erecto collegio apostolico-Petrino perenniter duraturo.

3) Ecclesia tertio loco est societas *fidelium*, quippe quae fide erigitur, fide stat et perseverat. Debet ergo verus Ecclesiae institutor doctrinam salutarem praedicare, vel corpus saltem doctrinale determinare, quod sit ab authenticis praeconibus praedicandum, ab universis fidelibus fide obsequiosa acceptandum.

4) Est quoque Ecclesia societas religiosa seu cultualis, in qua N. T. adoratores adorabunt sanctissimam Trinitatem cultu sacrifico et eucharistico. Debet ergo Institutor Ecclesiae Sacrificium eucharisticum instituere Numini divino iugiter offerendum.

5) Est praeterea Ecclesia societas non mortuorum, sed viventium; et quidem vita ipsa sui Conditoris et Salvatoris. Haec porro vita est fructus passionis et mortis Christi. Hinc partes praecellentes, quae Cruci et morti Christi obveniunt in isto aedificandae Ecclesiae negotio. Nota praeterea, idque diligenter, capitalem Christi vitam in membra ecclesiastica derivari per sacramentarias administrationis iuncturas. Debet ergo Ecclesiae institutor Sacramenta condere, non tantum illa duo, sic dicta principalia, sed omnia reliqua, quippe quae sint et ipsa vitae divinae sive restaurandae, sive augendae et dilatandae necessaria.

6) Nota demum Ecclesiam esse Corpus Christi capitis mysticum ab Spiritu Christi vegetandum et vivificandum. Ad partes

ergo Christi institutoris spectat plasmato corpori sociali animicum hoc et divinum vitae principium inserere. Hisce porro praestabilitis, quaeritur iam quandonam Christus recensitos hos influxus causales exercuerit et consummaverit; utrum ante mortem, an in morte crucis, an post gloriosam e mortuis Resurrectionem.

Positio doctorum

Positio Doctorum varia est et multiformis; quam totam iuvat in triplicem turmam distinguere et ordinare.

Prima sententia docet Christum Ecclesiae aedificationem inchoasse ante mortem, plene perfecisse in ipsa hora mortis in Cruce. Allegantur rationes sequentes: Christus ante mortem non modo doctrinam praedicavit discipulosque collegit, sed primatum quoque instituit (Mt. 16, 18-19), Apostolos misit auctos triplici potestate hierarchica (Io. 17, 18), Novum Testamentum in ultima coena instituit (Mt. 26, 28), genus humanum Deo in cruce reconciliavit, et Spiritum Sanctum in societatem ecclesiasticam largiter effudit. — Accedit Fr. *Grivec* docens Ecclesiam simul cum N. Testamento fuisse formaliter institutam in Cruce; Spiritum Sanctum fuisse large et abundanter communicatum corpori mystico et ecclesiatsico in ipsa hora mortis Christi; quin imo Grivec asserit Pium P. XII in Encyclica « Mystici Corporis » correxisse et proscripsisse sententiam theologorum de Ecclesia orta et formaliter instituta in die Pentecostes. « Quidam theologi — scribit Grivec — affirmabant Ecclesiam adventu Spiritu Sancti in die Pentecostes institutam fuisse. Quam sententiam Encyclica corrigit et valde eloquenter demonstrat Spiritum Sanctum iam in morte Christi in Cruce abundanter super Ecclesiam effusum esse una cum institutione Novi Testamenti, quamquam nondum signis et miraculis tam manifestis sicut in die Pentecostes ». Eandem prorsus doctrinam ex eodem fonte Piano proponit *M. Teixeira-Leite-Penido* in suo recenti opere « O Corpo Mistico ». Doctrinae summa est : Ecclesiam non modo iuridice, sed vere formaliter et effective fundatam esse in Cruce — corpus mysticum fuisse plene vivificatum a Spiritu Sancto in ipsa hora mortis Christi — Papam suprema sua auctoritate condemnasse doctrinam erroneam Theo-

logorum de Ecclesia formaliter instituta et vitaliter animata a Spiritu S. in die Pentecostes. — Teixeira putat hoc punctum doctrinale esse definitum ex cathedra a Pio XII in praefata Encyclica « Mystici Corporis ».

Secunda sententia tenet Christum ante mortem praenuntiasse quidem, promisisse, praeformasse, inchoasse Ecclesiae aedificationem; opus vero integrum socialis institutionis non absolvisse nisi post resurrectionem Salvatoris. Hanc doctrinam proponunt nostris diebus Theologi consonanter omnes. Qui tamen dissentiunt inter se, dum satagunt determinare ultimum et quasi definitivum momentum Ecclesiae plene et perfecte aedificatae. Multi et optimi auctores opinantur Christum consummasse opus aedificandae Ecclesiae in lacu Tiberiadis, quum oves suas Petro pascendas commendavit, et ultimam ac primatialem Ecclesiae formam socialem determinavit. Aliis, iisque egregiis Doctoribus, praeplacet sententia de aedificio mystico et ecclesiastico consummato in die Pentecoste, quum plasmato iam corpori sociali Christus gloriosus Spiritum unitatis, veritatis, et caritatis inseruit.

Tertia et media via conciliatrix distinguit inter Ecclesiam absolute consideratam, et Ecclesiam relative spectatam, scilicet prout est vicaria Christi, et se manifestat post Ascensionem Salvatoris. Quod si quaeratur quid veniat nomine ecclesiae absolute consideratae, responsio sufficienter patebit ex his quae inferius notanda erunt, quum crisis seu examen instituetur huius sententiae mediae. Conceptus Ecclesiae consideratae, ut est vicaria Christi, dicitur esse conceptus Theologiae Fundamentalis. Cfr. P. Tromp in opere « Corpus Christi, quod est Ecclesia », Romae, 1046, p. 41.

Ad quaestionem ergo propositam: quandonam Ecclesia sit formaliter instituta et consummata, oportet respondere cum distinctione: Ecclesia, considerata ut Christi vicaria, prout fit in Theologia Fundamentali, est instituta formaliter post Christi resurrectionem. Ecclesia vero considerata absolute, qui est conceptus Theologiae dogmaticae (?), est fundata et consummata in Cruce, in ipsa hora mortis Christi.

Nostra sententia qualis sit, apparet sufficienter ex ipsa enuntiatione theseos, quam appositis praenotandis illustravimus. Vi-

delicet, Christus Ecclesiae institutionem inchoavit ante mortem, illam vero perfecit post resurrectionem duplici missione: una iuridica, qua Apostolos misit, triplici potestate hierarchica ditavit, et Petro suo in terris vicario omnes suas oves pascendas commendavit; altera pneumatica, qua plasmato iam corpori sociali animicum vitae, unitatisque principium inseruit in die Pentecostes. Distinguas porro accurate inter Ecclesiae *institutionem* eiusque *propagationem*; inter essentialem aedificii constitutionem, eiusque continuum augmentum donec attingat aetatem plenitudinis Christi.

Thesis, prout est enuntiata, continet tres partes. Priori asseritur Christum instituisse Ecclesiam suam duplici missione. In hac duplici missione includimus sex illos actus aedificationis, quos in praenotandis distinximus. Secunda pars affirmat duplicem hanc missionem esse Ecclesiae instituendae essentialem. Tertia demum pars determinat tempus, quo haec duplex missio, et consequenter ipsa Ecclesiae institutio, absoluta seu consummata est; hoc porro tempus non est ipsa hora mortis Christi, sed tempus subsequens resurrectionem Salvatoris. Prima et secunda pars iam sufficienter patent ex his, quae praenotavimus, amplius vero patebunt ex toto argumentationis decursu. Ergo intenti praeprimis erimus tertiae parti. Quam totam longius et accuratius pertractandam censuimus propter gravissimum rei momentum nostris potissimum diebus accomodatum.

Probatur thesis

Thesis potest probari ex verbo Dei scripto et tradito. Traditio porro potest exhiberi in Documentis Ecclesiae, in operibus SS. Patrum, in scriptis Theologorum. Accedent argumenta multiformia rationis Theologicae. Ergo a Sacra Scriptura exordiendum.

S. Scriptura

Princeps pro nostra Thesi argumentum desumitur ex solemnibus et clarissimis verbis ipsius Christi Petrum alloquentis (Mt. 16, 18): Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Ubi ad-

vertas Christum loqui de Ecclesia aedificanda in futuro: *aedificabo*. Tempus porro futurum, de quo loquitur Christus, non est tempus crucis aut mortis, sed tempus subsequens resurrectionem Salvatoris, id quod duplici invicto argumento demonstratur: *a*) Christus loquitur de Ecclesia aedificanda super Petrum. Atqui Ecclesia non fuit aedificata super Petrum in Cruce, sed post resurrectionem. Sane Ecclesia non aedificatur super Petrum antequam ipse Simon, filius Ioannis, fiat petra seu saxea firmandi vi praeditus. Sed Simon non fuit constitutus in ratione petrae in cruce vel ante mortem Christi per iurisdictionem supremam mere promissam, sed per hanc iurisdictionem vere collatam a Christo redivivo.

b) Eadem conclusio illustratur ac roboratur habita ratione alterius verbi proxime insequentis: Tibi dabo claves Regni caelorum. Etenim idem sine dubio est tempus significatum duplici verbo futuro: aedificabo — dabo. Atqui tempus designatum per verbum *dabo*, est tempus subsequens resurrectionem Salvatoris; quandoquidem Christus non dedit claves Petro in ipsa hora mortis suae, sed deinceps, quum resurgens ex mortuis, oves suas eidem pascendas regendasque commendavit.

Paulus cum Christo harmonice cohaeret. Quippe qui loquitur et ipse de corpore Christi mystico, quod est Ecclesia, non plene aedificato, in Cruce, sed aedificando post gloriosam Christi exaltationem. Ascendens quippe in caelos Christus dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, *in aedificationem corporis Christi*, donec occurramus omnes in unitatem fidei ... in mensuram aetatis plenitudinis Christi (Ephes. 4, 11 sq.). Ceterum Paulus apprime distinguit opus *solvendi pretium* pro emptione et consecratione lapidum aedificii ecclesiastici, ab opere aedificandi Ecclesiam cum emptis lapidibus. Primum opus consummatum est ab ipso Christo in cruce, ubi « acquisivit Ecclesiam sanguine suo » (Act. 20, 28). Alterum opus consummatur a Christo glorificato, idque non sine opera et concursu eorum, quos ipse misit et dedit Apostolos, pastores et doctores tum potestate hierarchica munitos, tum praeclaris charismatibus ditatos. — Eadem idea aedificii ecclesiastici

nondum plene constructi recurrit in hac ipsa epistula ad Ephes. 2, 20-22. Ubi Ecclesia exhibetur sub imagine Templi spiritualis, cuius lapides vivi sunt singuli christiani baptizati cum iudaei, tum gentiles, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum Sanctum in Domino.

Paulo pro more resonat *Petrus*. Quippe qui Ecclesiam exhibet et ipse tamquam aedificium (continuo aedificandum), cuius lapis angularis est Christus. « Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum » (I Petr. 2, 4-6).

Documenta Ecclesiae

Concilium Vaticanum agit de institutione Ecclesiae per Christum in sessione IV, constitutione dogmatica I de Ecclesia Christi (Denzinger, n. 1821):

« Pastor aeternus ... ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit Quaemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, *misit sicut ipse missus erat a Patre* (Io. 20, 21), ita in Ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset ... beatum Petrum ceteris Apostolis praeponens, in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum ».

Concilium ergo clare docet Christum decrevisse aedificare Ecclesiam: docet praeterea modum quo Christus hoc decretum executioni mandavit. Videlicet Christus aedificavit Ecclesiam instituendo Apostolatum — Episcopatum — Primatum Petrinum. Praecesserat oratio Christi sacerdotis deprecantis unitatem pro Ecclesia. Porro

Institutio Apostolatus facta exhibetur verbis Christi *redivivi* et glorificati (apud Io. 20, 21): Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.

Institutio Episcopatus facta perhibetur praecepto Christi iubentis perennare usque ad consummationem saeculi munus pastorale et doctorale implicatum in Apostolatu. Nullus textus biblicus expresse citatur; sed sat aperte alludi videtur ad verba cum Christi clarificati (Mt. 28, 18-20), tum Pauli ad Ephes. 4, 11 sq.). Ceterum per se patet institutionem episcopatus non potuisse tempore praecedere institutionem Apostolatus, quum episcopi secundum revelatam doctrinam ab ipso Concilio signanter commemoratam, sint successores Apostolorum.

Institutio primatus probatur a Concilio verbis Christi cum promissionis (ante mortem crucis), tum collationis (post resurrectionem Salvatoris).

Constat ergo ex doctrina dogmatica Concilii Vaticani Christum Dominum non consummasse aedificationem seu institutionem Ecclesiae suae in cruce, sed post gloriosam suam resurrectionem.

Leo Papa XIII de re nostra agit in Encyclica « Satis cognitum »: « Cum divinum munus eius (Christi) perenne ac perpetuum esse oporteret, idcirco nonnullos ille sibi adiunxit alumnos disciplinae suae, fecitque potestatis suae participes: cumque *Spiritum veritatis* in eos devocasset e caelo, praecepit, peragrarent orbem terrarum, quodcumque ipse docuerat quodque iusserat, id omne fideliter universitati gentium praedicarent: hoc quidem proposito, ut eius et professione doctrinae et obtemperatione legibus posset hominum genus sanctitatem in terris, felicitatem adipisci in caelo sempiternam. *Hac ratione et hoc principio Ecclesia genita* ».

Ubi recurrit doctrina Leonis apprime cohaerens cum doctrina Concilii Vaticani. Docet quippe egregius Pontifex Christum Dominum, ut opus redemptionis perenne redderet, Ecclesiam aedificasse: *a*) adiungendo sibi alumnos disciplinae suae; *b*) devocando in eos Spiritum veritatis suae; *c*) faciendo Apostolos participes potestatis suae; *d*) mandato missionario. Porro sicuti duo priores actus *a*) et *b*) praecedebant mortem Redemptoris, sic duo posteriores *c*) et *d*) subsequebantur resurrectionem Salvatoris, hoc ta-

men discrimine, quod Christus reddidit Apostolos participes suae potestatis *sacerdotalis* in coena novissima, hinc ante mortem; potestatis vero *regalis et magisterialis* post resurrectionem, ut egregie explicatur in reliqua et subsequenti epistula. Nequit ergo dici ad normam et doctrinam Leonis XIII Christum absolute consummasse aedificationem Ecclesiae in Cruce.

Pius Papa X eandem doctrinam proponit in iureiurando antimodernistico. Ubi sic legitur:

« Tertio: firma fide credo Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, cum apud nos degeret, proxime et directe institutam, eandemque super Petrum apostolicae hierarchiae principem eiusque in aevum successoris aedificatam ». Denzinger, n. 2145. Fide ergo catholica credere iubemur Christum aedificasse Ecclesiam suam *super Petrum.* Christus porro non aedificavit Ecclesiam super Petrum ante mortem nec in momento mortis suae, sed post resurrectionem suam.

Pii XII doctrina in *Enc.* « *Mystici Corporis* » specialem considerationem ac examinationem meretur, quippe quae ansa erroris atque deviationis nonnullis fuit. Citamus testimonia Encyclicae secundum numeros editionis Gregorianae concinnatae a P. Tromp.

Duplex Ecclesiae aedificatio distinguitur in nostra Encyclica: una super Christum, consummata in cruce; altera super Petrum, expleta post resurrectionem Salvatoris. De priori loquitur Enc. n. 25: « Divinus enim Redemptor mystici Ecclesiae templi aedificationem tum inchoavit, cum concionando sua tradidit praecepta; tum consummavit, cum clarificatus e Cruce pependit; ac tunc denique manifestavit, promulgavitque, cum adspectabili modo Paraclitum Spiritum in discipulos misit ». — De altera aedificatione loquitur sub numero 39: « Est enim Petrus vi primatus, nonnisi Christi vicarius, atque adeo unum tantum primarium habetur huius Corporis Caput Christus: qui quidem arcana ratione Ecclesiam per sese gubernare non desinens, adspectabili tamen modo per eum, qui suam in terris personam gerit, eandem regit Ecclesiam, iam post gloriosam suam in caelum Ascensionem non in se solo, sed *in Petro quoque tamquam in perspicuo fundamento aedificatam* ». Haec ultima verba commentans, scribit Tromp:

« Christus Ecclesiam, quam in Cruce acquisivit sanguine suo (Act. 20, 28), ideoque in Cruce in seipso fundavit, eandem, eo ipso quod Petrum, iam antea designatum, reapse facit vicarium, *super Petrum quoque aedificat* ». Textus et Documenta, series theologica, 26 (1943), p. 94. Vides clare doceri a Pontifice, indubie admitti a commentatore, *novum actum aedificationis* a Christo positum *post suam resurrectionem.*

Inde invicte consequitur Ecclesiae aedificationem in Cruce *consummatam,* de qua sermo est in numero 25 Encyclicae, non esse intelligendam de consummatione ita plena et absoluta, ut sola iam restet Ecclesiae totaliter aedificatae promulgatio, quae in die Pentecostes peracta demum sit, sed esse interpretandam de consummatione quadam relativa (ad fundamentum primarium) et secundum quid i. e. secundum rationem meriti et satisfactionis.

Christum consummasse in Cruce aedificationem *sic intellectam* verissime dicitur. Est enim Ecclesia mysticum quodam aedificium seu Templum constans lapidibus *vivis,* Christo lapidi angulari insertis et coagmentatis mediante opere apostolico et hierarchico. Causa porro efficiens huius vitae supernaturalis est Spiritus Sanctus, quem nobis Christus promeruit in Cruce. Fontes seu canales huius vitae transmissores sunt sacramenta, quae vim suam atque vigorem e cruce trahunt. Potestates quoque hierarchicae omnes, quibus fit nostra ad Christum incorporatio, e cruce rursus mutuantur illam, qua pollent, vim incorporativam. Patet ergo quare et qualiter sermo esse possit de Ecclesiae aedificatione per Christum in cruce consummata. Hunc esse genuinum sensum Encyclicae ostendi potest ex interno documenti Pontificii examine atque analysi. Legas attente Encyclicam ex n. 25 usque ad n. 31.

Notio aedificationis ecclesiasticae qualiter intelligatur in Encyclica fit manifestum his quae notantur in stadio inchoationis (n. 26). Ubi quinque actus Christi aedificatoris recensentur Partes ergo aedificatoris sunt: praedicatio doctrinae, missio Apostolorum, institutio primatus, institutio sacramentorum, institutio sacrificii eucharistici. Age iam: pro missione Apostolorum citantur in Enc. cum verba Christi mortalis (Io. 17, 18, n. 26), tum verba Christi glorificati (Io. 20, 21 in n. 63), ubi sermo est de « *accepto munere iuridico* Pastorum Doctorumque ». — Institu-

tionem primatus quod attinet, Encyclica distinguit inter indicationem Vicarii (promissio primatus Mt. 16, 18) in n. 26, et « constitutionem sui Vicarii in suo excelso munere » post resurrectionem in n. 32. Si Christus Ecclesiam aedificabat *indicando* suum Vicarium, nonne eandem aedificasse dicendus est Christus *constituendo* illum in suo excelso munere? Vides quam sit vana tentata distinctio inter institutionem primatus, et investituram Petri primatis. Ad institutionem sacramentorum quod spectat, notetur diligenter Encyclicam nn. 18 et 19 recensuisse septem Novae Legis sacramenta a Christo Domino instituta; ex alia vero parte unum tantum sacramentum (Eucharistiae) exhibetur in Encyclica a Christo ante mortem institutum. Quid ergo de sex aliis sacramentis? Sane ea omnia ad mentem Pii XII non sunt a Christo instituta in ipso mortis momento. Nemo talia asserere auderet. Sunt quippe haec omnino nova in sacra Theologia, nec ulla huius rei insinuatio reperitur in documento pontificio. Non ergo valet distinctio inter sacramenta principalia et minus principalia.

Stadium consummationis quomodo sit intelligendum explicatur in Enc. n. 27: Triplex opus a Christo in cruce consummatum recensetur in pontificio documento: opus institutionis Novi Testamenti, opus satisfactionis, opus meriti, cuius terminus multiplex mox determinabitur. Singula breviter examinemus.

Institutio Novi Testamenti. Encyclica docet Christum Dominum in cruce Novum Testamentum plene condidisse. Haec profecto videtur esse communior theologorum sententia, quamvis non desunt primi subselii doctores, qui aliter sentiunt: sic praeprimis De la Taille et Murillo. Sed alia est notio Testamenti, alia Ecclesiae. Ecclesia est veri nominis societas, id quod de Testamento dici nullatenus potest. Hinc alia est notio institutionis Ecclesiae, alia institutionis Testamenti. Quis non videt multa elementa, multos influxus causales postulari ex parte fundatoris aedificii socialis, qui ad institutionem Testamenti nullatenus requiruntur?

Novum Testamentum constat promissis ex parte Dei, officiis ex parte hominum. Obiectum promissionum divinarum tandem continetur magnificis bonis in salute messiana implicatis. Porro si Deus decrevit dare haec bona per Christum redemptorem et caput corporis socialis et ecclesiastici ab ipso Spiritu Christi vi-

vificandi, inde necessario consequitur quod, Novo Testamento sanguine Christi sancito, habetur firmissima securitas ac certitudo ex parte Dei circa institutionem huius talis capitis et huius talis corporis. Sed aliud est firmissima securitas Ecclesiae *constituendae*, aliud factum Ecclesiae iam *plene constitutae*.

Opus satisfactionis describitur in Encyclica his verbis: « Per sanguinem in cruce profusum id effecit (Christus), ut divinae irae remoto obice, omnia caelestia dona imprimisque spiritualia Novi et Aeterni Testamenti munera a fontibus Servatoris in salutem hominum, maximeque fidelium, effluere possent » (n. 29). Sed aliud est iram divinam placare, sicque removere obstaculum impediens communicationem Spiritus Sancti cum suis praeclaris donis; aliud hunc Sanctum Spiritum de facto communicare. Vigilanti verbo utitur Encyclica scribens: « effluere *possent* ». Agitur nempe de bonis quae nondum in cruce de facto effluebant, sed suo demum et brevi tempore fluent.

Opus meriti. Christus secundum Encyclicam meruit in cruce potestatem et dominium in gentes — Ecclesiam, id est, « omnia mystici sui membra » nondum tamen capiti incorporata, sed deinceps *incorporanda* — vim incorporativam ac vivificatricem baptismi — vigorem, quo pollent, potestates hierarchicae ad aedificationem corporis Christi. Sed aliud est mereri dominium et potestatem in gentes, aliud has omnes gentes in corpus sociale et ecclesiasticum coagmentare; aliud mereri Spiritum Sanctum sociali ecclesiae compagini inserendum, aliud ipsum S. Spiritum reapse communicare; aliud Ecclesiam pretio sanguinis acquirere ac futura ipsius membra suae ditionis facere, aliud eadem in ratione membri reapse constituere, sibique capiti incorporare; aliud vim baptismi incorporativam mereri, aliud ipsum ritum baptismalem de facto instituere; aliud denique mereri vigorem in omni potestate hierarchica implicandum, aliud omnes et singulas potestates hierarchicas realiter fundare. *Verbo*: Ecclesiae aedificatio, consummata in cruce, ad ipsam Encyclicae normam et explicationem, tota quanta continetur in linea seu ordine promissionis, meriti et satisfactionis. Hinc est quod Ecclesia, sollemni die Pentecostes manifestata et promulgata, dicitur in Encyclica Ecclesia « quam (Christus) *sanguine suo condidit* », id quod novum est ac

manifestum indicium sermonem ibi esse de causalitate in *ordine morali* posita.

Eadem conclusio obtinetur et roboratur, habita ratione contextus proximi cum antecedentis, tum consequentis. In contextu antecedenti appellat Encyclica ad Leonem XIII his verbis: « Exposituris breviter, qua ratione Christus sociale corpus suum condiderit, principio haec Nobis occurrit Decessoris Nostri fel. rec. Leonis XIII sententia: « Ecclesia, quae iam concepta, ex latere ipso secundi Adami, velut in Cruce dormientis, orta erat, sese in lucem hominum insigni modo primitus dedit die celeberrima Pentecostes ». Constat ergo Pium XII approbare suamque facere doctrinam Leonis XIII de ortu Ecclesiae eiusque aedificatione per Christum. Atqui Leo Papa XIII non sic intelligit Ecclesiam in cruce de latere secundi Adam natam, ut Christus omne opus aedificandae Ecclesiae in cruce reapse consummaverit. Revocentur in memoriam, et alta mente reposta teneantur magnifica Leonis verba superius a nobis mutuata ex Encyclica « Satis Cognitum ». Ubi praeclarus Pontifex, commemoratis variis actibus Christi *redivivi* et glorificati, concludit: « *Hac ratione et hoc principio Ecclesia genita* ».

In contextu subsequenti scribit Encyclica n. 27: « Opus autem suum in crucis patibulo consummavisse, haud interrupta Sanctorum Patrum testimonia asseverant, qui quidem advertunt Ecclesiam e latere Salvatoris esse natam instar novae Evae matris omnium viventium. « Et nunc, ita magnus Ambrosius de latere Christi perforato agens, aedificatur, et nunc formatur, et nunc ... figuratur, et nunc creatur Nunc domus spiritualis surgit in sacerdotium sanctum ».

Agitur ergo de opere Christi in cruce consummato. At duplex Christi opus distinguitur a theologis: opus *redemptionis,* et opus ecclesiasticae *aedificationis.* Praecedit opus redemptionis, quo Christus pretium nostrae salutis consummavit, et thesaurum meritorum ac satisfactionum cumulavit. Haec est redemptio sic dicta *in actu primo,* quam multi Doctores *obiectivam* appellant. Subsequitur opus aedificationis Ecclesiae, in qua et per quam parta in cruce merita singulis applicantur. Haec est redemptio *in actu secundo,* quam praefati Doctores *subiectivam* nuncupant. Duplex

hoc Christi opus explicite commemoratur a Concilio Vaticano scribente: « Pastor aeternus ut salutiferum *redemptionis opus* perenne redderet, *sanctam aedificare Ecclesiam* decrevit » (Denz. n. 1821). Porro vidimus superius ex Vaticano opus redemptionis, consummatum a Christo mortali in cruce, fuisse completum et perennatum a Christo *redivivo,* aedificante Ecclesiam. Eadem doctrina de opere redemptionis integrae, consummato a Christo morte *et resurrectione,* recurrit passim apud Patres. Accipe egregium testimonium S. Fulgentii in sermone 2° de duplici Christi nativitate (ML. 65, 729): « Unigenitus enim Deus, sicut pro nobis dignatus est nasci, sic dignatus est etiam suscitari. Iste quippe dies visitationis, ille redemptionis. Opus enim gratiae qua nos unigenitus salvos fecit, conceptus in utero coepit; ipsum opus gratiae *de sepulchro suscitatus implevit.* Conceptus in utero factus est particeps mortis nostrae, *resurgens de sepulchro fecit nos participes suae vitae* ».

At Encyclica nostra speciatim appellat ad S. Ambrosium, cuius citat testimonium ex comment. in Lc., II, 87 ML, XV, 1955.

Advertas verba S. Doctoris non citari integra in Documento Pontificio, unde oritur aliqualis obscuritas et difficultas pro recta ipsorum intelligentia. At mens S. Ambrosii redditur clara, fitque indubia citato integro textu, qui sic habet: « Veniat ergo Deus, aedificet mulierem ... Et nunc aedificatur, et nunc formatur, et nunc mulier figuratur, et nunc creatur. *Et ideo* novo verbo usa est Scriptura: quia superaedificamur super fundamentum Apostolorum et prophetarum (Ephes. 2, 20). Et nunc domus spiritualis surgit in sacerdotium sanctum. Veni, Domine Deus, aedifica mulierem istam, aedifica civitatem ». Vides in hoc textu non agi de Ecclesiae aedificatione peracta, multoque minus consummata in cruce; sed tempore subsequente resurrectionem Salvatoris. Sane quinquies recurrit particula *nunc* cum una eademque significatione temporali. Quale sit hoc tempus clare determinatur in ultima pericope: « *nunc* domus spiritualis *surgit* in sacerdotium sanctum ». Haec quippe domus surgens et crescens, est domus quae dicitur superaedificata super fundamentum Apostolorum et Prophetarum. Atqui haec talis domus non fuit aedificata in cruce, sed tempore posteriore. Ambrosius signanter notaverat:

Ideo quia *nunc* aedificatur Ecclesia, novo nomine *superaedificationis* usa est Scriptura (Ephes. 2, 20). Ceteroquin qualiter sit intelligenda secundum Ambrosium Ecclesia orta in cruce ex latere novi Adam, patebit ex mox dicendis in argumento Patristico.

Conclusio, ad quam devenimus ex interna Encyclicae analysi, egregie confirmatur, si prae oculis habeantur nova de Ecclesiae origine testimonia ab ipso Pio XII *post Encyclicam* M. C. edita.

Primum testimonium continetur in allocutione, die 2 mensis octobris anni 1945 habita, ad Praelatos Auditores ceterosque officiales et Administros Tribunalis S. Romanae Rotae necnon eiusdem Tribunalis Advocatos et Procuratores. Cfr. A.A.S. vol. 37, p. 256-262. En verba pontificia:

« L'origine della Chiesa, all'opposto di quella dello Stato, non è di diritto naturale. La più ampia e accurata analisi della persona umana non offre alcun elemento per concludere che la Chiesa, al pari della società civile, avrebbe dovuto naturalmente nascere e svilupparsi. Essa deriva da un atto positivo di Dio, al di là e al di sopra della indole sociale dell'uomo, per quanto con questa in perfetta armonia; perciò la potestà ecclesiastica — e quindi anche il corrispondente potere giudiziario — è nata dalla volontà e dall'atto, con cui Cristo ha fondato la sua Chiesa. Ciò non toglie però, che una volta costituita la Chiesa, come società perfetta, per opera del Redentore, dall'intima sua natura scaturissero non pochi elementi di rassomiglianza con la struttura della società civile.

In un punto tuttavia quella differenza fondamentale apparisce particolarmente manifesta. La fondazione della Chiesa come società si è effettuata, contrariamente all'origine dello Stato, non dal basso all'alto, ma dall'alto al basso; vale a dire che Cristo, il quale nella sua Chiesa ha attuato sulla terra il Regno di Dio da lui annunziato e destinato per tutti gli uomini di tutti tempi, non ha affidato alla comunità dei fideli la missione di Maestro, di Sacerdote e di Pastore ricevuta dal Padre per la salute del genere umano, ma l'ha trasmessa e comunicata a un Collegio di Apostoli o messi, da Lui stesso eletti, affinchè con la loro predicazione, col loro ministero sacerdotale e con la potestà sociale del loro ufficio facessero entrare nella Chiesa la moltitudine dei

fideli per sanctificarli, illuminarli e condurli alla piena maturità dei seguaci di Cristo.

Esaminate le parole con le quali Egli ha comunicato loro i suoi poteri: potere di offrire il sacrificio in memoria di Lui (Luc. 22, 19), potere di rimettere i peccati (Io. 20, 21-23), promessa e conferimento della potestà suprema delle chiavi a Pietro e ai suoi successori (Mt. 16, 19; Io. 21, 15-17), comunicazione del potere di legare e di sciogliere a tutti gli Apostoli (Mt. 18, 18). Meditate infine le parole con le quali Cristo, prima della sua Ascensione, trasmette a questi medesimi Apostoli la missione universale, che egli ha avuta dal Padre (Mt. 28, 18-20); Io. 20, 21). Vi è forse in tutto ciò qualche cosa che possa dar luogo a dubbi o ad equivoci? Tutta la storia della Chiesa, dal suo inizio fino ai giorni nostri, non cessa di far eco a quelle parole e di rendere la stessa testimonianza con una chiarezza e una precisione che nessuna sottigliezza potrebbe turbare o velare. Ora tutte queste parole, tutte queste testimonianze proclamano all'unisono che nella potestà ecclesiastica l'essenza, il punto centrale secondo l'espressa volontà di Cristo, dunque per diritto divino, è la missione data da Lui ai ministri dell'opera della salute presso la comunità dei fedeli e presso tutto il genere umano ».

Summatim: Quatuor puncta in hoc testimonio clare continentur:

1) Ecclesia debet originem suam actui, quo Christus eam fundavit.

2) Actus, quo Christus eam fundavit, est actùs quo Christus eidem contulit suam potestatem et suam missionem.

3) Actus quibus Christus contulit collegio apostolico suam potestatem sacerdotalem, magisterialem et regalem, recensenter quinque ex his tres ante mortem, duo post resurrectionem.

4) Actus, quo Christus contulit collegio apostolico suam missionem universalem, est actus Christi glorificati post suam resurrectionem.

Conclusio: Ergo Christus inchoavit fundationem Ecclesiae ante mortem; eandem consummavit post suam gloriosam e mortuis resurrectionem.

Alterum testimonium Pii XII continetur in nuntio radiopho-

nico directo ad Congressum catechisticum Boston anno 1946. Cfr. Osservatore Romano, 28-29 Ottobre, 1946. En verba Pontificia:

Those graces are channaled to your souls through the Church. Christ's work was not wholly accomplished at his death. In one sense it was only beginning. He has finished perfectly the work assigned him by the Father to do in his mortal body. But He would live on to ansure thas is beloved creatures should profit by the redemption He had wrought. And so He told his disciples that He was going to build a church; its foundation, the basis oft its strength and unity, would one of them, Peter ».

Versio latina: Hae gratiae transmittuntur ad vestras animas per (trans) Ecclesiam. Christi opus *non fuit perfecte consummatum in sua morte.* Certo quodam sensu fuit tantum *inchoatum.* Christus complevit, et perfecte complevit in cruce opus quod Pater eidem comisserat perficiendum in corpore suo *mortali.* At ille debebat supravivere (resurgere) ut suis dilectis creaturis certam redderet participationem redemptionis, quam (in cruce) operatus fuerat. Ideo ipse dixit discipulis suis, quod aedificaturus erat Ecclesiam; cuius firmitatis et unitatis basis et fundamentum debebat esse unus ex illis, Petrus.

Conclusio: Papa distinguit clare duplex opus Christi: unum consummatum in cruce; alterum inchoatum in cruce. Primum est opus redemptionis obiectivae peractum a Christo in corpore suo *mortali;* alterum aedificationis Ecclesiae peractum a Christo in corpore suo *immortali* et glorioso ad applicandos fructus redemptionis. Hinc aperte constat quo sensu mysticum Ecclesiae aedificium dicatur (in Encyclica) consummatum in cruce; meritorie scilicet et satisfactorie.

Habes in his normam ad quam recte interpreteris alia Pii XII verba in Encyclica « Mediator Dei ». « Christus ... Ecclesiam columnam veritatis ac gratiae dispensatricem constituit, suoque crucis sacrificio fundavit, consecravit et aeternaliter stabilivit ». Agitur de Ecclesiae fundatione non perfecta et consummata, sed imperfecta, id est, in suo fundamento primario Christo, idque in ordine meriti. Hinc est quod in eadem Encyclica missio Spiritus Sancti, sine qua pneumaticum Ecclesiae aedificium nequit dici

consummatum, tribuitur Christo non patienti aut morienti, sed glorioso et in coelo triumphanti:

« Sacra autem Liturgia nobis Christum proponit in omnibus vitae suae conditionibus: eum nempe qui aeterni Patris est verbum qui e Deïpara virgine nascitur, qui veritatem nos docet, qui aegrotos sanat, qui moerore affectos solatur, qui dolores patitur, qui moritur; ac deinde qui ex triumphata morte resurgit, qui *in coeli gloria regnans Paraclitum in nos immittit Spiritum,* qui perpetuo denique in sua Ecclesia vivit ».

Sancti Patres

Triplex formula recurrit apud Patres circa ortum et formationem Ecclesiae. Prior formula exhibet Ecclesiam natam iam in ipso momento Incarnationis. Quam formulam nemo brevius et significantius expressit quam Leo Magnus, Serm. 26, 2 (ML. 54, 203): « Natalis capitis, natalis est corporis » Nemo, opinor, ita desipiet, ut hunc similesque textus Patristicos velit intellectos de ortu Ecclesiae formali et effectivo. Quippe sensus evidens huiuscemodi est: Natalis formalis capitis, natalis *radicalis* est corporis ecclesiastici. Posita quippe Incarnatione secundum sanctos sapientissimosque divinae oeconomiae fines, eo ipso ponitur et consecratur radix sancta et sacerdotalis, ex qua *suo tempore* flos Ecclesiae consurget. Hanc formulam accepit, et aureo consectario Mariana locupletavit Pius Pp. X *Ad diem illum* ASS. 36, p. 452-3: « In uno igitur eodemque alvo castissimae Matris et carnem Christus sibi assumpsit, et *spirituale* corpus simul adiunxit, ex his nempe coagmentatum, *qui credituri erant in eum.* Ita ut Salvatorem habens Maria in utero, illos etiam dici queat gessisse omnes, quorum vitam continebat vita Salvatoris. Universi ergo, quotquot cum Christo iungimur, quique, ut ait Apostolus, *membra sumus Corporis eius, de carne eius et de ossibus eius,* de Mariae utero egressi sumus, tamquam corporis instar cohaerentis cum capite ».

Secunda formula sistit Ecclesiam ortam in Calvaria ex latere secundi Adae dormientis in Cruce. Testimonia quamplurima collegit Tromp; quem vide sis in « Textus et Documenta », series Theologica, 26, Romae, 1943, p. 82 et sq. En pauca in re evidenti

et toties iterata: Tertullianus, De anima 43 (ML. 2, 723): « Somnus Adae mors erat Christi dormituri in mortem, ut de iniuria perinde lateris eius vera mater viventium figuraretur Ecclesia ». — Augustinus Serm. 336, 5 (ML. 38, 1475): « De illo latere effecta est Eva, quae nos peccando mortificavit; de isto autem latere facta est Ecclesia, quae nos pariendo vivificaret ». Maximus Taurinensis Homil. 55 (ML. 57, 355) et Faust., De passione Dom. hom. (ML. 59, 402): « Dum ex Adae primi hominis costa mater cunctorum viventium Eva producitur, ex huius sacro latere ac salutari vulnere Ecclesia omnium fidelium parens reparanda monstratur ». Hanc formulam patristicam Ecclesia recepit in Concilio Viennensi. Denzinger, n. 480.

Qualiter sit intelligenda haec Patrum doctrina de Ecclesia orta e latere perforato secundi Adae, explicant dilucide genuini Ecclesiae Doctores. Audiatur praeprimis insignis Protestantium debellator Bellarminus. Qui in opere « De septem verbis a Christo in cruce prolatis », cap. XII scribit: « Quinto denique *consummatum est,* rectissime potest intelligi de consummatione aedificii, quod est Ecclesia. Perfectionem enim aedifiicii, consummationem dici, auctor est ipse idem magister noster Christus, qui ait apud Lucam: hic homo coepit aedificare, et non potuit consummare. Porro Ecclesiam in passione Christi fuisse consummatam, quae in eius baptismo fuerat inchoata, docent Sancti Patres, Epiphanius in libro tertio adversus haereses, et Sanctus Augustinus in libro ultimo de civitate Dei, qui docent Evam de costa Adami ipso dormiente aedificatam, typum fuisse Ecclesiae, quae ex Christi latere, dum ipse dormire coepisset per mortem, aedificata est... Quod autem a baptismo Christi... Et ex eo tempore Dominus coepit praedicare, et congregare discipulos, qui fuerunt primi illi qui ad Ecclesiam accesserunt. Quamvis autem aperitio lateris Christi post mortem facta sit, et tunc exierint sanguis et aqua, quae significant duo praecipua sacramenta Ecclesiae, Baptismum et Eucharistiam; tamen a Christi passione virtutem accipiunt omnia sacramenta; et quod de latere Christi iam defuncti effluxerint sanguis et aqua, declaratio fuit mysteriorum, non institutio. Rectissime igitur dicitur consummatio aedificii Ecclesiae tunc facta, quum Christus dixit: « consummatum est », quia tunc nihil

supererat nisi mors, quae statim consecuta est, et *redemptionis pretium consummavit* ».

Praeclarus est locus iste, quippe quo utiliter in rem nostram ab egregio Ecclesiae Doctore erudimur. Inde enim sequitur: 1° Ecclesiae aedificium eatenus consummari in cruce, quatenus Christus sua morte et passione *consummavit pretium nostrae salutis,* i. e. *meritorie.* 2° Ecclesiam e latere secundi Adami dormientis eatenus *secundum Patres* oriri, quatenus passio Christi virtutem confert baptismo et Eucharistiae, quibus Christo capiti incorporamur, et sic continuo formatur Ecclesia. 3° Fluxum aquae et sanguinis e perforato latere Christi prae se ferre non ipsam sacramentorum institutionem, sed meram ipsorum symbolicam significationem. Ergo quo sensu sacramenta dicuntur e latere Christi effluxisse, eodem Ecclesia exinde oriri dicenda est, i. e. *symbolice simul et meritorie.*

Suárez (Opera omnia. edit. Vives, t. XIX, p. 682) apprime distinguit opus, quo Ecclesia formatur, ab opere quo haec formatio significatur. Fluxu sanguinis et aquae ex latere Christi non formatur seu aedificatur Ecclesia, sed significatur Ecclesiam fundandam atque abluendam esse pretio sanguinis Christi. En verba eximii Doctoris: « Secundo, in sanguine et acqua significatum est Ecclesiam pretio sanguinis Christi fundandam atque abluendam esse. Utrumque enim fit per baptismum, qui in acqua confertur, et in sanguine Christi habet efficaciam Et propter hanc etiam causam, haec effusio sanguinis Christi non est facta ante mortem, quia tota haec virtus sanctificandi atque fundandi Ecclesiam ex morte Christi potissimum dimanavit. Unde Ambrosius lib. 5 de sacram., cap. 1: *Quare aqua?* quare sanguis? *aqua ut emundaret; sanguis ut redimeret. Et hoc sensu intelligendi sunt Patres,* cum dicunt in hoc vulnere lanceae, fluxuque sanguinis et aquae, significatam esse Ecclesiae formationem ex latere Christi dormientis in cruce ». Porro quod de formatione Ecclesiae diximus, id ipsum intelligas de formatione sacramentorum. Quippe non ipsa proprie intelligenda sunt nasci seu manare ex latere Christi, sed habere efficaciam ex morte Christi. « Unde ulterius — pergit Suárez — in huiusmodi sanguine et aqua significata sunt *omnia* sacramenta Ecclesiae, quae ex morte Christi habent efficaciam. Aqua enim

indicat baptismum, qui est ianua; sanguis vero Eucharistiam, quae est finis et consummatio sacramentorum; et ideo sub his duobus reliqua comprehenduntur. *Et hoc sensu dicunt etiam Patres,* per hoc mysterium indicatum esse omnia sacramenta de latere Christi manasse ». Vides perfectam cohaerentiam Suarezii cum Bellarmino in intelligenda doctrina Patrum de Ecclesia (et sacramentis) orta ex latere secundi Adami, dormientis in cruce, non effective et formaliter, sed symbolice et meritorie.

Eadem prorsus interpretatio reperitur apud alium Ecclesiae Doctorem, S. Bonaventuram in Libro de ligno vitae: « ut de latere Christi dormientis formaretur Ecclesia, divina est ordinatione indultum, ut unus militum lancea latus eius aperiendo perfoderet, quatenus sanguine cum aqua manante, *pretium effunderetur nostrae salutis,* quod a fonte scilicet cordis arcano profusum, *vim daret sacramentis Ecclesiae* ad vitam gratiae conferendam ».

Sed audiantur praeprimis ipsi Patres, qui rem totam luculenter explicant: *Chrysostomus* in Homil. ad Neophytos scribit: « De latere sanguis et aqua. Nolo tam facile, auditor, transeas tanti secreta mysterii; restat enim mihi mystica atque secretalis oratio. Dixi baptismatis symbolum et mysteriorum (Eucharistiae), aquam illam et sanguinem demonstrare. Ex his enim sancta fundata est Ecclesia per lavacri regenerationem, et renovationem Spiritus Sancti. Per baptisma, inquam, et mysteria (eucharistiam) quae ex latere videntur esse prolata. Ex latere igitur suo Christus aedificavit Ecclesiam, sicut de latere Adam coniux Aeva prolata est ». Ubi duo notantur et distinguuntur: *opus fundationis* et opus *significationis.* Sanguis et aqua de latere Christi profluentia significant (non causant) sacramenta baptismatis et Eucharistiae, quibus fundatur Ecclesia. Ecclesia ergo oritur ad mentem Chrysostomi ex latere Christi, non effective, sed symbolice et meritorie.

Augustinus eodem modo loquitur in Io. evang. 9, 10 (Ml. 35, 1463): « Dormit Adam ut fiat Eva; moritur Christus ut fiat Ecclesia. Dormienti Adae fit Eva de latere; mortuo Christo lancea percutitur latus, ut profluant sacramenta, quibus formetur Ecclesia ». Vides rursus de latere Christi profluere, non Ecclesiam, sed sacramenta quibus demum formatur Ecclesia. At quomodo

ad mentem Augustini profluunt sacramenta ex latere Christi? Realiter, an symbolice? Perpendas ea quae dicit de baptismo in eodem tractatu: « Quid est baptismus Christi? Lavacrum aquae in verbo. Tolle aquam, non est baptismus; tolle verbum, non est baptismus ». Atqui in aqua fluente ex latere Christi nullum est verbum. Ergo nullum sacramentum. « Accedit verbum ad aquam, et fit sacramentum ». Atqui ad aquam lateris Christi non accedit verbum. Ergo non fit sacramentum. Idem dixeris de Eucharistia, quae iam erat instituta ante fluxum sanguinis ex latere Christi, id quod Augustsinus ignorare non poterat.

Ambrosius quoque loquitur de Ecclesia orta ex latere Christi dormientis in cruce. Quomodo id intelligat fit manifestum ex sequentibus:

1) Christus, e cuius latere orta est Ecclesia, non est pro Ambrosio Christus tantum moriens in cruce, sed Christus mortuus, sepultus et resurgens ex mortuis, ut expresse asseritur in eodem loco nuper citato: « Propter quem virum relinquit parentes Ecclesia, nisi forte illum de quo dicit Ioannes: Post me venit vir, qui ante me factus est? De cuius latere dormientis costam Deus sumpsit; ipse *enim* est qui dormivit, et quievit et *resurrexit*, quoniam Deus suscepit eum ». Vides Ambrosium minime separare mortem Christi a gloriosa ipsius resurrectione.

2) Costa educta ex latere Christi est *vita Ecclesiae*, ut expresse docetur ibidem: « quando miles latus eius aperuit, continuo exivit aqua et sanguis, qui effusus est pro saeculi vita. Haec saeculi vita, costa Christi est; haec costa secundi est Adam, Primus enim Adam in animam viventem, novissimus Adam in Spiritum vivificantem: Adam Christus est, costa Christi vita Ecclesioe est ... Haec est Eva mater omnium viventium ». Atqui vita Ecclesiae, teste Ambrosio, oritur e latere Christi mortui *et redivivi*. Patet id primo quidem ex his quae supra ex Ambrosio citavimus: « De cuius latere dormientis costam Dominus sumpsit; ipse *enim* est qui dormivit, et quievit *et resurrexit* ». Sed luculentius id ipsum manifestatur ex his quae tradit in enarratione in Psalmum 40 (ML. 15, 1072-3): « Sic ergo Dominus Iesus, etsi vulneratus est propter peccata nostra, tamen non in illa infirmitate permansit; sed se ipse versavit in melius ad universorum salutem. Itaque

passione infirmitas soluta est, *mors resurrectione*... Habent hoc luctatores, ut se subiiciant his quibus congrediuntur atque luctantur, ut opprimi posse videantur; et subito, quum superati aestimantur, elidunt, et quadam arte se versant, ut effundant superiorem; cadit qui portabatur, et is qui portabat, superior invenitur, ut sternat urgentem. Spirituali itaque palestra Dominus Iesus onera nostra suscipiens in illa se passionis suae congressione subiecit; et in infirmitatis specie, ut eum adversarius hominem parem caeteris iudicaret, quem facile posset opprimere, divinitatis arma deposuit, humanitatis tegmen assumpsit. Securus victoriae tentator accessit; in costa cum telo militis voluit vulnerare, reputans et hunc sicut Adam per costam posse prosterni. Sed vulneratus latere Dominus Iesus *vitam produxit e vulnere*, evacuavit omne peccatum, deiecit adversarium, cui mortem latronis eripuit; et in illa morte, in illa sui corporis sepultura cum aestimaretur oppressus, *elisus sua se virtute versavit; cecidit adversarius, Dominus resurrexit* ». Habes in his praeclare explicatum a S. Ambrosio quomodo secundus Adam Christus vitam Ecclesiae e latere perforato protulerit: *moriendo nempe et resurgendo*. Non inmerito antea praenotaverat quod « passione infirmitas est soluta, *mors resurrectione* ».

3) Cum his mire cohaerent ea, quae S. Doctor scribit in suo commentario in Psal. 118 (ML. 15, 120): Ubi distinguit inter Ecclesiam Christo *desponsatam* et Ecclesiam Christo *nuptam*. Ecclesia desponsata accepit Christi (sponsi) osculum, nupta vero Ecclesia « non solum thalamum est ingressa, sed etiam legitimae copulae claves est consecuta ». Ecclesia porro Christo copulata « cognovit quiescentis gratiam, defuncti somnium, *virtutem resurrectionis*. Ubi tria illa superius notata identica recurrunt: dormitio, nempe, sepultura et resurrectio. Paulo superius praenotaverat: « Quomodo autem introduxerit eam (Ecclesiam) rex in cubiculum suum, passionis tempus, lateris compunctio declarat, sanguinis effusio, sepulturae unguentum, *resurrectionis mysterium*; ut osculum quasi sponsa acceperit, in cubiculum autem Christi sit introducta Ecclesia non quasi tantum modo desponsata, sed quasi nupta ». Vides rursum novam matrem omnium viventium esse fructum mortui in cruce et glorificati in resurrectione.

4) His harmonice resonant quae Ambrosius in prologo huius commentarii praemiserat scribens (ML. 15, 1198): « Octava enim die solemnis purgatio vel ex Lege est, quia octava die circumcisionis sollemnitas impleri statuta est, vel quia totus mundus coinquinatus erat peccatis nostris, et septem illis pollutus diebus. Ubi autem venit *resurrectionis dies, convivificati Domino Iesu resurreximus,* et erecti sumus, *in novitate vitae ablutionis gratiam praeferentes* ».

5) Tandem Ambrosius clare docet qualis sit significatio implicata in aqua et sanguine, quae profluxerunt e latere Christi dormientis in cruce. Videlicet sanguis significat *pretium nostrae redemptionis,* aqua vero *ablutionem baptismalem.* En textus: Primo quidem in Libro de Benedictionibus Patriarcharum IV, 24 (ML. 14, 681): « Sic enim dixit Ioannes: quia de eo exivit sanguis et aqua. Aqua ad lavacrum, sanguis ad pretium. Aqua nos abluit, sanguis non redemit ». His gemina sunt quae tradit in enarratione in Psal. 45, 12 (ML. 14, 1138): « Post Domini passionem quid aliud sequi debuit, nisi quia de corpore Domini flumen exivit; quando de latere eius aqua fluxit et sanguis, quo laetificavit animas universorum; quia in illo flumine lavit peccatum totius mundi ». Hinc patet quid sibi velit locutio: Ecclesiam ortam esse in cruce e latere secundi Adami: Ecclesiam nempe esse fructum mortis Christi; quatenus Christus sanguine suo solvit praetium nostrae salutis, et meruit vim qua pollet baptismus ut nos abluat, Christo inserat, eiusque vitae reddat participes. Et haec quidem valent de secunda formula Patristica, secundum quam Ecclesia est fundata super Christum, e cuius latere oritur in Cruce.

Tertia formula exhibet Ecclesiam *super Petrum* aedificatam. Recurrit haec formula frequentissima apud Patres cum Orientales, tum Occidentales, quorum testimonia dabimus in thesi octava et decima. Hinc pauca in praesentiarum sufficiant. *Tertullianus*: Latuit aliquid Petrum, aedificandae Ecclesiae petram dictum, claves caelorum consecutum ...? » (ML. 2, 34) — *Cyprianus*: « Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi, quia tu es Petrus ... Super unum aedificat Ecclesiam ... » (ML. 3 Hartel, p. 212): — *Hilarius*: « O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fun-

damentum, dignaque aedificatione illius petra ... » (ML 9, 1010) — « Petrus cui claves regni caelorum dederat, super quem Ecclesiam aedificaturus erat ... » (ML. 9, 730). — *Ambrosius*: « Huic Petro propria auctoritate regnum dabat, hunc, quum Petram dicit, firmamentum Ecclesiae indicavit », (ML. 16, 628) — *Hieronymus*: « Super Petrum aedificatur Ecclesia propterea inter duodecim unus eligitur, ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio » (ML. 23, 247).

Hanc formulam recepit et toties promulgavit Ecclesiae magisterium iam inde a Concilio Ephesino (Denzinger, n. 112) usque ad Concilium Vaticanum (Denz. n. 1821) et Iuramentum antimodernisticum (Denz. n. 2145). Porro notum est, et ab omnibus incunctanter admissum, Ecclesiam fuisse a Domino super Petrum aedificatam non in Cruce, sed post suam gloriosam anastasim.

Nota bene: Dedimus tres formulas seu modos loquendi apud Patres circa Ecclesiam a Christo aedificatam. Porro hae tres formulae diversae quidem sunt, at non se mutuo elidunt, sed mutuo se complent atque illustrant. Cuius rei evidens argumentum illud est, quod unus idemque Pater nunc unam, nunc aliam formulam seligit ac premit pro diversitate argumenti, quod tractat. Accipe rei totius exemplum illustre ex S. Maximo Taurinensi. Qui ex una parte docet: « In ipso mundi nascentis exordio, cum mater illa omnium viventium Eva de dormientis Adae costa producta est, mater universorum credentium Ecclesia *ex latere Christi in cruce dormientis demonstratur nascitura* ». Serm. 34 (ML. 57, 692). Nihilominus idem Maximus incunctanter scribit: « Praefigurata est in protoplasto Adam Christi resurrectio; quia sicut ille post soporem surgens Evam de latere suo fabricatam agnovit, ita Christus *a mortuis resurgens ex vulnere lateris sui aedificavit Ecclesiam* » Serm. 30 (ML. 57, 526). Similiter *Hieronymus* ex una parte scribit: « Quomodo de Adam et uxore eius omne hominum nascitur genus, sic de Christo et Eccelsia omnis credentium multitudo generata est, quae unum Ecclesiae corpus effecta, rursum *in latere Christi ponitur* » In Ephes. 3 cap. 5, 31 (ML. 26, 568 (535). Nihilominus idem Hieronymus non cunctatur scribere: « Prudens lector inquirat, quomodo post tantam benedictionem nunc audit Petrus: Vade retro me, scandalum es mihi?

Sed si consideret qui haec quaerit, Petro ilam benedictionem et beatitudinem ac potestatem, et aedificationem super eum Ecclesiae, *in futuro promissam,* non in praesenti datam, intelliget... *Aedificabo,* inquit... Et *dabo tibi*... Omnia de futuro, quae si statim dedisset ei, numquam in eo pravae opinionis error invenisset locum » (ML. 26, 120). Vides Hieronymum loqui de Ecclesia a Christo super Petrum aedificanda in futuro. Porro tempus hoc futurum intelligit, non tempus passionis et mortis, sed tempus subsequens resurrectionem Salvatoris, id quod duplici ratione fit manifestum: primo, quia agitur de tempore *conferendae potestatis* primatialis; secundo, quia agitur de tempore designato per verbum « *dabo* tibi ». Atqui Christus non dedit Petro potestatem primatialem in cruce.

Conclusio fluens ex omnibus hactenus disputatis est: Ecclesiam secundum Patres nasci in Incarnatione remote et radicaliter — in Cruce proxime, virtualiter, meritorie — fluxu sanguinis et aquae ex latere Christi, symbolice — post resurrectionem Christi, formaliter et effective. Haec nostra conclusio vix differt ab ea quam proponit P Tromp. Qui, postquam protulit effata Patrum de Ecclesia orta ex latere Christi dormientis in Cruce instar novae Evae matris omnium viventium, opportune notat: « Quia vero Ecclesia mater baptismo filios procreat eosque alit Eucharistia, quibus sacramentis respective eidem Christo incorporantur eique arctius iunguntur, *consequenter* e latere Christi profluit Ecclesia fidelium. Non semper Patres duos considerandi modos clare distinguunt. Quare formula nota Augustini « e latere profluunt sacramenta, quibus Ecclesia formatur » sensu suo pleno sic intelligi debet: « E latere profluunt sacramenta, quibus Ecclesia constituitur mater, i. e. quibus inde a passione Christi ex virtute passionis legitimi ministri potestatem habent ubique terrarum Christo incorporandi membra ,eaque nutriendi per Eucharistiam, et ideo continuo formatur et vegetatur Ecclesia fidelium » (Textus et Documenta, series theologica, 26 pag. 84). Haec ut bene intelligantur, licebit adnotare: a) Ecclesiam fidelium nasci secundum Patres e latere Christi *consequenter* verum est, si fluxum illum sanguinis et aquae consideres per modum unius cum passione et morte Salvatoris. Quippe Ecclesia non est proprie ef-

fectus consequens causalitatem aliquam mysteriosam, nescio quam, illius fluxus e corpore Christi iam demortui; sed est fructus influxus meritorii et satisfactorii exerciti a morte Christi suma caritate suscepta et Patri oblata: b) E latere Christi profluere secundum Augustinum sacramenta, quibus Ecclesia formatur, debet sano sensu intelligi. Profecto non vult Sanctus Doctor dicere baptismum et Eucharistiam fuisse formata vel instituta in latere vel ex latere Christi (iam demortui!). Augustinus non ignorabat Eucharistiam fuisse a Christo institutam iam ante mortem crucis. Ad baptismum vero merito requirit S. Doctor aquam et verbum: « tolle verbum, non est sacramentum — accedit verbum, fit sacramentum ». Atqui ad aquam e latere Christi fluentem nullum accessit verbum. *Sensus ergo verus et plenus formulae Augustinianae est huiusmodi*: Corpus Christi seu Ecclesia fidelium constat Christo capite et fidelibus Christo incorporatis. Haec incorporatio fit baptismo et perficitur Eucharistia. Baptismus et Eucharistia hauriunt ex morte Christi vim istam incorporativam et vivificatricem. Sanguis et aqua fluens e latere secundi Adami symbolice repraesentant Baptismum et Eucharistiam. ***Ergo Ecclesia fidelium nascitur ex latere Christi symbolice et virtualiter seu meritorie***, ut egregie explicat Doctor Ecclesiae Bellarminus, necnon Doctor Eximius Suarezius.

Theologi

Ditissimus est locus iste quem ingredimur. Brevitatis sectatores, luxuriantem argumenti amplitudinem ad angustiores limites contrahere vel inviti cogimur. Multa penitus praetermittimus; alia breviter attingimus; non pauca coercemus et comprimimus, nulla fere integra exhibemus. Sint ergo pauca quaedam et selecta Doctorum nomina et testimonia.

Van Laak: « Quando Ecclesia a Christo instituta fuerit. Ecclesia ante resurrectionem quidem a Christo tum in genere tum in multis suis elementis praedicata atque promissa est. Praeterea eodem tempore saltem eucharistia iam instituta est; imo uti omnino videtur, etiam baptismus. Tandem iam tunc pusillus grex per baptisma (?) formatus esse generatim statuitur. At *perfecte*

Ecclesia instituta tantum tunc est, quando Dominus post resurrectionem suam, soluto iam pretio redemptionis, *potestates omnes tum ad sanctificandum, tum ad docendum atque regendum, apostolis actu dedit* Etenim per solam collationem potestatis omnis ad gubernandam societatem ordinatae aliqua societas perfecta existit ». Institutiones Theol. Fund., Repetitorium, Romae, 1911, p. 201 et sq.

Van Noort: « Christus non uno tempore omnia praestitit, quae ad fundationem Ecclesiae pertinent. Etenim postquam ab initio vitae publicae fundationem Ecclesiae ut mox futuram annuntiaverat, ante passionem eius institutionem ita proxime praeparavit, ut nonnisi ultimae formae impositio adhuc desideraretur. Tunc enim suam doctrinam praedicando, multitudinem quandam credentium sibi copulavit, principaliora sacramenta (baptismum et eucharistiam) instituit, futuros pastores erudivit, iisque sacram potestatem promissit. Nihilominus *nonnisi post resurrectionem ecclesiae aedificationem complevit,* regimen sacrum collegio apostolorum et Petro conferendo. Sane Ecclesia societas est; societas autem proprie instituta non est, nisi constituta auctoritate. Igitur *simpliciter loquendo ecclesia a Christo instituta est post resurrectionem. Promulgata* autem, sive in lucem publicam data est in die solemni Pentecostes, unde ex tunc obligatoria esse caepit ». De Ecclesia Christi (1913), edit. 3ª p. 7 sq.

Wilmers: « Si de ipso momento quaeritur, quo Christus Ecclesiam instituit, *recte censetur eius institutionem absolutam esse, quum pascendi munus commisit Petro* (Io. 21, 15-17) Ab ipsa institutione distinguendae sunt tum praeparatio, quae cum vita Christi his in terris acta sociatur, tum promulgatio facta die Pentecostes ». De Christi Ecclesia, 1897, p. 44.

Pesch Chr.: « Ergo quia Christus collegit coetum hominum stabilem ad doctrinam suam profitendam et praecepta sua sequenda; et quia instituit collegium apostolicum ad docendos et regendos fideles, dubium esse nequit, quin veram societatem instituerit. Attamen ante mortem Christi solummodo praeparabatur institutio huius societatis, sed *perfecte constituta non est societas nisi post resurrectionem,* quia tunc demum Christus Apostolis potestatem antea promissam contulit. Imo voluit ut Apostoli munus suum

publicum non aggrederentur nisi post adventum Spiritus Sancti. Idcirco *dies Pentecostes vero quodam sensu potest vocari dies nativitatis Ecclesiae* ». Compendium Theol. Dogm. Tom. I, 1913.

Lercher: « Institutionem, quam Iesus ante passionem incepit, *post resurrectionem perfecit,* multis modis apparens undecim et loquens per dies quadraginta de Regno Dei ». De Ecclesia Christi, 1927, p. 278.

Schultes describit seriem actionum quibus Christus Ecclesiam instituit. « 1° Christus Ecclesiam instituendam *praeparat* ... 2° Christus Ecclesiam instituit: a) conferendo Apostolis potestatem (Mt. 28, 18 sq.), b) instituendo Petrum ut caput Ecclesiae (Io. 21, 15 sq.), c) tradendo Apostolis regnum suum (Lc. 12, 23), d) sanctificando Ecclesiam per orationem ac denique per sacrificium crucis (Io. 17, 19), e) promittendo assistentiam suam usque ad finem mundi (Mt. 28, 20), f) mittendo Spiritum Sanctum promissum in die Pentecostes (Act. cap. 2). — *Proprie et definitive Ecclesia instituta fuit cum Christus Petrum pastorem ovium suarum instituit* et Apostolis potestatem suam delegavit et regnum suum tradidit; missio vero Spiritus Sancti est complementum quoddam ultimum Ecclesiae, quasi sigillum caelitus impressum ». De Ecclesia catholica, 1926, p. 50-51.

De San distinguit institutionem significatam — promissam — executioni mandatam ... In ipsa executione distinguit stadium executionis inchoatae — perfectae — completae. « *Perfecit vero Christus Ecclesiae institutionem, quando,* ut legere est apud Io. 21, 1-13, *iam* tertio *post suam resurrectionem* apostolis apparens, *Petro ceu supremo Pastori omnes oves suas pascendas commisit* ... *Omni vero ex parte institutionem ecclesiae complevit* Christus, quando in subsequente apparitione, quam narrat Matthaeus (28, 16-20) ita Apostolis allocutus est: Data est mihi omnis potestas ... » — De San distinguit Ecclesiae *aedificationem* ab eius *institutione,* docetque eam fuisse factam in die Pentecostes: « *Ecclesiam tamen complete sumptam ponunt communiter theologi non esse aedificatam nisi in die Pentecostes* post Christi ascensum in caelos ». De Ecclesia, 1906, p. 8.

Billot vestigia Franzeliniana arcte premit, et egregie describit triplex stadium in Ecclesiae aedificatione: stadium inquam

ecclesiae annuntiatae — proxime praeparatae — definitive constitutae. « Ergo, quando pergebat ad crucem Christus, iam erant instituta Sacrificium novae legis, et duo praecipua sacramenta, quae sunt baptismus et eucharistia; iam initiata societas regni caelorum in pusillo discipulorum grege; iam designata hominum universalitas e qua per totum orbem erat evocanda; iam denique praeparata eius hierarchia per promissiones factas duodecim apostolis et speciatim Petro. Quid ergo adhuc desiderabatur, nisi ut Apostoli actu acciperent suam missionem in mundum, ut actu investirentur potestate ad successores in perpetuum transiturae, ut externa media applicativa redemptionis aeternae fierent non tantum executoria, sed et obligatoria quoad omnes gentes, ac per hoc definitive sanciretur ordo coaptationis hominum sub capite Christo in regno Dei super terram? *Et hoc est quod ultimo factum est in diebus qui inter resurrectionem et ascensionem*, ut Leo Papa dicit, *non otioso transiere decursu* ... Cum enim Ecclesia sit corpus sive societas, cuius Christus est supremum caput, et regnum, cuius est rex, tunc profecto ultimo fundata est, quando fuit immobiliter institutus ordo, quo homines gubernationem Christi reciperent, eique tamquam subditi et membra adhaererent ». De Ecclesia Christi, 1927, p. 81-82.

De Guibert: « Ex dictis distingui possunt plures passus in institutione Ecclesiae a Christo: *praenuntiatio* in praedicatione regni; *praeparatio* et etiam quaedam *inchoatio* in electione Apostolorum eorumque missione temporaria ad praedicandum, simul cum promissionibus iisdem factis; *formalis tandem constitutio post resurrectionem*, collata eis potestate, et tandem *inauguratio* publica et sollemnis in die Pentecostes ». De Ecclesia Christi 1928, p. 32 sq.

Bainvel: « Quando et quomodo Christus Ecclesiam instituerit, satis patet ex dictis. Res est paullatim inchoata implicite, prae nuntiata, per varia Christi instituta formata. *Quum dicunt Patres prodiisse Ecclesiam de aperto Christi latere, symbolice dicunt. Post resurrectionem facta sunt pleraque. Sed die Pentecostes perfecte constituta est et simpliciter nata esse dicitur* (sic Tertullianus), effuso sc. Spiritu Sancto, qui est quasi anima Ecclesiae ». De Ecclesia Christi, 1925, p. 37.

Hurter: « Si quaeritur quando Ecclesiam (Christus instituerit, respondemus, dum visibilis in terris cum apostolis versabatur. Tunc enim consilium de condenda Ecclesia expressit, operarios conduxit, et ad consilium exequendum emisit, leges fundamentales promulgavit. Si vero sicut in homine distinguimus inter *conceptionis* et *nativitatis* tempus, illud tempus Ecclesiae conceptioni et praeparationi, *dies Pentecostes eiusdem nativitati assignare licebit* » De Ecclesia, 1909, p. 228. Cohaerenter ad haec paulo prius praemiserat: « Sicut enim Christus conceptus est ex intemerata Virgine, quam obumbravit Spiritus S.; ita *nata est Ecclesia die Pentecostes descendente eodem Spiritu de caelo, nasciturque quotidie in suis membris ex utero virginali fontis baptismalis et Spiritu Sancto* » ibid. p. 223.

Dieckmann: « Ex assertione quidem septima tractatus praecedentis iam constat morte demum Iesu Christi V[us] T[um] abrogatum, novumque Regnum substitutum esse. Quoniam autem Regnum Dei, a Christo fundatum, est ipsius Ecclesia, sequitur ipsam quoque Ecclesiam ortum suum ducere ex morte Christi. Quae conclusio est verissima, si spectetur fundamentum iuris, actus scilicet Christi redemptoris, quo, sublato Foedere Veteri promissivo, praefigurativo, praeparativo, regnum iam gratiae erigebatur, quod omnibus hominibus pateret. *Ipsa autem Ecclesia ut societas organizata secundum Christi voluntatem initium sumpsit atque formaliter constituebatur die demum Pentecostes,* quo videlicet Spiritus Sanctus organismum eius iam formatum animavit, suam cuique organo tribuens operationem totique corpori vitam et vigorem et incrementum continuum ». De Ecclesia Christi, v. I, 1925, p. 273.

De Groot: « Ecclesia (catholica) christiana non uno temporis puncto, sed paulatim a Christo instituta est. Ab exordio enim praedicationis suae Salvator coepit ecclesiae iacere fundamentum, eamque postremo *die Pentecostes definitive formavit.* 1° Dominus cum venisset in partes Cesareae Philippi, ecclesiam se esse aedificaturum declaravit ... 2° Deinde tradenda fidei doctrina, instituendis sacramentis, largiendo potestatem hierarchicam, prodeuntem Ecclesiam magis magisque ornavit. 3° De latere Christi, in cruce dormientis, fluxit sanguis et aqua, quo fluore Ecclesia con-

secrata est, quin imo « per sacramenta quae de latere Christi pendentis in cruce fluxerunt, dicitur esse fabricata Ecclesia » S. Thom. III, q. 64, art. 2 ad tertium. 4° Post resurrectionem Christus Petro, ter interrogato, finaliter commisit Ecclesiam ... 5° Tandem expleto Christi mandato, ut discipuli remanerent Hierosolymis, quoad usque induerentur virtute ex alto, repleti sunt omnes Spiritu Sancto. *Tunc Ecclesia complemento quodam extremo definitive formata,* eoque ipso die Pentecostes promulgata est ». Summa Apologetica de Ecclesia catholica, 1890, p. 54.

Egger: « Si quaeritur, quo praecise tempore instituta fuerit Ecclesia, respondemus iuxta dicta, non uno veluti momento sed paulatim hoc factum esse: a) Primo enim et statim ab initio vitae publicae Christus petram *fundamentalem* elegit et signavit (Io. 1, 42) b) Deinde clare et aperte pronuntiavit se super hoc fundamentum Ecclesiam fundaturum esse (Mt. 16, 18). c) Praeterea vitae suae publicae decursu varia media necessaria et opportuna, puta doctrinam, sacramenta, hierarchiam, sanctionem praemii vel poenae aliaque subsidia ei abunde providit. d) Tandem in cruce moriens Ecclesiam, quam prius velut conceperat, e latere suo *produxit* (Ephes. 5, 23 sq.), eamque in *die Pentecostes, Spiritu Sancto solemniter et publice de caelo misso, vivificavit ac velut in lucem edidit. Unde festum Pentecostes etiam dies natalis Ecclesiae dicitur* ». De Ecclesia Christi, 1932, p. 402. Complenda sunt haec et illustranda his quae prius praemiserat in argumento 2°: « Ex institutione Christi, qui reapse per se omnia elementa essentialia Ecclesiae partim in vita sua mortali, *partim post mortem* praeparavit et constituit » p. 399. Item « Videlicet Christus et Apostoli non solum ritus mosaicos observabant *ante adventum Spiritus Sancti,* quod mirum esse non debet, quum *Ecclesia nondum aedificata, sed aedificanda erat,* verum etiam post fundatam Ecclesiam Apostoli et Iudaeo-christiani legem mosaicam ex parte saltem aliquandiu servabant » (p. 401).

Crosta ad quaestionem de tempore institutionis Ecclesiae Christianae sic respondet: « Vix refert aliquid speciatim innuere, dummodo hoc certo certius retineatur, Christum nempe ipsum, dum in terris degeret, Ecclesiam fundasse. Hac de re quod ex SS. Scripturis colligi potest est: 1° *Coetum* divinitus vocatorum

in religionem christianam iam inde ab initio praedicationis Christi ipsius extitisse; prima enim discipulorum vocatio facta est mox post reditum Christi ex deserto ante primum Pascha. Verum 2° *proprie et rigorose loquendo Ecclesiae institutio perfecta est a Christo Dominio in suis post resurrectionem ad discipulos epiphaniis,* ac signanter in tertia apparitione (Io. 21) ad discipulos, in qua Petrus constitutus est caput regens hunc coetum ». Theologia Dogmatica, vol. I, (1900) De Ecclesia Christi, p. 156, n. 324.

D'Herbigny distinguit inter Ecclesiam prout est *religio,* et Ecclesiam prout est *societas nova;* item inter Ecclesiam (societatem) *conceptam et natam.* « Interroganti, quandonam Ecclesia inceperit, multi Patres respondent eam, prout est inchoata in terris Dei dominatio, ortam esse cum hominis creatione, aut saltem cum prima hominum societate, i. e. creata Haeva ... Prout vero est eiusdem religionis *societas nova* (i. e. quam Christus segregatam a Synagoga, liberavit a Legis Mosaicae iugo), Ecclesia incipit cum ipsa Christi capitis vita publica, dum ad se alios vocat homines, Patris Regnique mysterium eis revelaturus. Manifestatur autem distincta plenique suique iuris compos in Pentecoste: *unde saepe ad hunc diem origo eius refertur, quasi prius conceptae demum nascentis* ». De Ecclesia Christi vol. I, 1927, pag. 89, n. 54.

Muncunill: « Christus tempore praedicationis fundationem Ecclesiae praeparavit ac delineavit, tum eligendo duodecim ex discipulis, quos Apostolos nominavit, tum illis promittendo amplam potestatem ligandi et solvendi, tum desigando Petrum ut futurum primatem totius Ecclesiae, tum praedicando Regnum Dei seu Ecclesiam, veram doctrinam in ea profitendam ritusque aliquos in ea observandos, tum denique indicando baptismum et fidem ut conditiones, ut aliquis esset membrum Ecclesiae. *Verum nonnisi post eius mortem et resurrectionem* tribuit Petro et suis Apostolis promissam potestatem, ac expressius praecepit conditiones requisitas pro Ecclesiae membris; *atque ideo tum Ecclesiam proprie fundavit* ». De Ecclesia Christi 1914, p. 28.

Mendive: « Christus expresse sine ulla verborum ambiguitate promissit Petro se super eum tamquam firmissimam petram fundamentalem aedificaturum Ecclesiam suam, dicens (Dt. 16, 18) Ubi per duo illa verba « aedificabo » et « meam » manifeste signi-

ficavit, se propositum habere fundandi Ecclesiam suam sub vera et propria forma societatis per Petrum eiusque successores gubernandae. *Quod quidem propositum deinde post resurrectionem suam opere complevit* ». Institutiones dogmatico-scholasticae, I (1895), 127-8.

Murillo: « En la fundación de la Iglesia deben distinguirse dos períodos, el de incoación o preparación, y el de su establecimiento formal propiamente dicho. *Este último tuvo lugar después de la Ascensión,* mediante la promulgación solemne de la ley evangélica hecha el día de Pentecostés; el tiempo anterior correspondiente a la predicación de Jesús, podía tambien llamarse de la fundación de la Iglesia, pero solo por ser de preparación o incoación de la fundación o establecimiento formal. Hasta la promulgación solemne del Evangelio, mediante la cual quedó establecida la Iglesia, subsistía la Sinagoga como verdadera y legítima institución divina, y así pudo Jesús en ese tiempo hablar de los escribas y fariseos como jefes legítimos del pueblo en lo religioso. Antes de la muerte y resurrección de Jesucristo ni quedaba cerrada el Nuevo Pacto, que solo podía consumarse mediante la muerte del Señor, ni tampoco terminada y confirmada la missión de Jesucristo, que siempre se remitió a su resurrección como a la prueba decisiva de su dignidad y oficios. No podía per lo mismo establecerse la nueva economía sino consumados esos acontecimientos ». Jesucristo y la Iglesia Romana, parte segunda, tomo 1 (1902) p. 119-20.

Place Massil. in Concilio Vaticano ad 1um schema de constitutione Ecclesiae proponebat sequentem formulam (Mansi 51, 753-4): « Unigenitus Dei Filius, qui est in sinu Patris, cum esset natura invisibilis, assumptione humanae carnis visibilis, ut mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum operum, ut nempe Ecclesiam suam conderet ex omnibus gentibus in hereditatem et regnum eius. Porro Christus Dominus sua praedicatione *inchoavit* (Io. 10, 14 — Mt. 16, 18) Ecclesiae fundationem, passione ac morte *sanctificavit* (Io. 11, 52 — Ephes. 5, 25 — Mt. 20, 28), ac *resurrectione absolvit,* quando Apostolis suis generale dedit mandatum docendi omnes gentes ac baptizandi (Mt. 28, 18)

ita quidem ut non modo fides, sed etiam sacramentum baptismi necessarium esset ad salutem ».

Filograssi: « Non obtulit Christus in cruce proprie loquendo, tamquam caput Ecclesiae, quia *nondum plene constituta erat Ecclesia,* nec erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus ». De Christo Verbo Incarnato et Redemptore (1943), p. 175. Vides quam apte haec tria coniugantur, quae logico et ontologico nexu indivisibili cohaerent inter se: plena Ecclesiae constitutio — plena Spiritus datio — plena Christi capitis constitutio. Cave diligenter ne inconsulto confundas notionem capitis ratione Spiritus effusi, cum notione capitis ratione repraesentationis vicariae: sed de his sermo deinceps recurret.

Zubizarreta in re nostra duplici gressu procedit. Primo inquirit: « Utrum Christus immediate Ecclesiam Novi Testamenti instituerit ». Succedit quaestio: « Quando Christus Ecclesiam instituerit ». Praepositae quaestioni respondetur thesi sic enuntiata: « Christus 1) post inceptam praedicationem annuntiavit fundationem novae Ecclesiae, seu novam religionis oeconomiam; dein 2) ante mortem proxime preparavit et inchoavit eius institutionem; ac demum 3) *a mortuis redivivus perfecte eam instituit atque complevit* ». Sequitur accurata thesis demonstratio, cui finis demum imponitur hisce verbis: « Ecclesia igitur, quae in vita Iesu fuerat adumbrata et proxime praeparata, *post Christi gloriosam resurrectionem complementum accepit ac perfecte instituta est* ».

Straub: « Non statim Christus veterem Ecclesiam abolevit, verum prius auctoritatem propriam divinam argumentis variis demonstravit. Interim vero fundamentalia quaedam Ecclesiae suae elementa iacere coepit, quatenus iam ante passionem suam instituit sacramenta praecipua baptismi et eucharistiae cum sacrificio et sacerdotio; unde etiam regnum Dei, iam praesens scilicet et inchoatum, evangelizavit. Porro *post mortem demum et resurrectionem suam* ideoque post pretium Ecclesiae acquirendae persolutum *Dominus aedificium Ecclesiae inceptum, extremam velut manum imponendo, penitus absolvit,* institutis sacramentis reliquis, hierarchia novi eiusdem nobilioris ordinis perpetua, nominatim

autem supremo et visibili principio ac centro unitatis ». De Ecclesia Christi, I (1912), 224-5.

Ottiger : « Neque obstat, quod Christus usque ad mortem servavit ritus mosaicos. Hoc enim fecit prudentiae et caritatis causa, cum si iam ab initio voluisset abolere ritus, quibus Iudaei pertinaciter adhaerebant, magnum periculum ortum esset, ne illorum animi a Christi praedicatione ac fide statim penitus averterentur. *Ecclesiam autem suam proprie tantum post suam a mortuis resurrectionem instituit, cum* (Io. 21, 15-17) Petro oves suas pascendas traderet ». Theologia Fundamentalis, II (1911).

Palmieri : « Quae a Protestantibus proferuntur vel nihil concludunt, vel falsa sunt. Nihil concludunt quae de Christo, qui se a synagoga non separavit et de legalibus usurpatis aliquando ab Apostolis, quaeque dicuntur de similitudine inter regimen synagogarum et ecclesiarum. Nam Christus in his terris peregrinus adhuc non dixit se aedificasse Ecclesiam, sed aedificaturum, *quam reapse aedificavit cum Petro oves suas pascendas commisit* ». De Romano Pontifice (1891), p. 7

De la Taille : « Pro certo habendum est, regnum Dei, de quo prophetae tam multa, tamque grandia praenuntiavere, de quo ipse Christus per dies quadraginta apparens loquebatur Apostolis, *non esse in terris plene constitutum nisi die Pentecostes* ». Mysterium Fidei, p. 332.

Hocedez citat verba Billot : Christus in cruce fuit *solus offerens* : nam in ara crucis se ipsum obtulit, non ut caput Ecclesiae iam constitutae, sed potius in hunc finem ut Ecclesiam sibi acquireret ». Quae verba sic commentatur et explicat : « Et s'il n'est pas encore caput *ecclesiae constitutae,* il offre cependant comme caput *ecclesiae constituendae*, ou pour mieux dire de l'Église déjà existante d'une certaine manière. Car l'Église *était déjà commencée.* L'oblation du sacrifice de la croix est donc faite d'une façon particulière au nom de l'Église qui *va être bientôt pleinement constituée, mais qui déjà est en formation* ». Gregorianum, 1932, p. 401 in nota.

Goupil : « Quand l'Église a-t-elle commencée? — Le Christ a formé peu à peu son Église pendant toute sa vie publique, par la prédication de sa doctrine, l'institution des sacrements, le

choix du groupe apostolique et de son chef Simon-Pierre. Les Pères aiment à voir l'Églis esortant mystérieusement (sang et eau, symbole de l'Eucharistie et du Baptême) du côté du Christ sur la croix. Mais *ce n'est qu'après sa resurrection qu'il a complété l'institution* de cette société en conférant l'autorité suprême a Pierre. Enfin c'est *au jour de la Pentecôte par l'effusion du Saint-Esprit que l'oeuvre a été achevée* et la mission de l'Église promulguée ». L'Église, edit. 2ª, 1929, p. 12.

Holzmeister: « Saepe dicitur Ecclesia esse eo die (Pentecostes) fundata. Haec tamen assertio admitti nequit. Verba enim Christi a mortuis suscitati, quibus Petro potestatem clavium dedit contulit (Io. 21, 16 sq.), iam omnia essentialia Ecclesiae in fidelibus effecerunt. Omnes enim asseclae Christi tunc iam iuridice Petro sunt subiecti; *ita iam tunc ex subditis et vicario Christi perfecte constituebatur* illud unum morale, quod dicitur societas ». Verbum Domini, 1927, p. 164. Distinguas in hoc testimonio duplicem affirmationem: unam, qua asseritur Ecclesiae institutionem esse completam post Christi resurrectionem, et haec vera est; aliam, qua negatur veritas sententiae de Ecclesia orta et plene constituta in die Pentecostes; quam ultimam assertionem falsam esse putamus.

Suárez: « Ecclesia prout nunc est, fuit a Christo Domino instituta; est certa de fide, Mt. decimo sexto: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; eademque veritas invenietur passim apud Patres... Consentiunt item omnes Scholastici, ac patet ex proprietatibus, quae huic Ecclesiae tribuuntur, praecipue ex illa quae dicitur *Apostolica,* scilicet fundata super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ad Ephes. 2; item quia sacramenta, sacrificium, et totus ordo ecclesiasticus, ex quo quasi unum Ecclesiae corpus consurgit, a Christo Domino inceperant, ut suis locis ostenditur. Quaeres *quo tempore* post natum Christum inceperit Ecclesia. Respondeo: a principio suae praedicationis Christum *coepisse* ipsius iacere fundamenta; *non tamen omnino absolvisse aedificium usque ad tempus fere Ascensionis,* cum dixit Petro (Io. 21): Pasce oves meas ». De fide theologica, disp. IX, sect. II, n. 2.

Bellarminus disputat cum Reformatoribus circa verba Do-

mini: Tu es Petrus, et super hanc petram ... Obiiciente Calvino petram super quam Christus aedificat Ecclesiam esse non Simonem Petrum, sed ipsum Christum, Bellarminus scite respondet scribens: « Denique si ad Christum referretur, non diceret Dominus *aedificabo*, sed aedifico Ecclesiam meam: nam in se iam aedificaverat Apostolos et discipulos multos. Dicit autem *aedificabo*, quia nondum constituerat Petrum fundamentum, sed *post resurrectionem suam id facturus erat* ». De Romano Pontifice, cap. 10. Evidens ergo est Ecclesiae aedificationem ad mentem et doctrinam Bellarmini non consummari ante resurrectionem Salvatoris. His gemina sunt quae scribit in Concione XXXV de Ascensione Domini: « At quando et quo ordine ascendit? Post dies quadraginta a sua resurrectione ascendit. Cur tanto tempore expectavit? Ut praeberet seipsum vivum post passionem suam in multis argumentis, *ut christianam rempublicam constitueret*, ut Apostolo Petro Ecclesiae clavum et gubernacula traderet, ut paenitentiae sacramentum, et alia, si quae supererant, institueret, ut Apostolos informaret atque ad Spiritus Sancti adventum praepararet ». Vides rursum planam apertamque Bellarmini doctrinam: plenam constitutionem reipublicae christianae, quae nulla est praeter Ecclesiam catholicam, esse opus Christi non tantum pendentis in cruce, sed redivivi quoque et clarificati.

Hic gradum tandem sistimus in allegandis testimoniis Theologorum. His similia possent addi quamplurima; sed ea ipsa, quae protuli, vereor ne iure videri possint longiora. Ex allegatis porro testimoniis quaedam consectaria colliguntur, quae distinctim notasse haud abs re erit:

1° Primo quidem apparet unanimis *Theologorum consensus* in tradenda doctrina de Ecclesiae aedificatione non plene et absolute consummata ante gloriosam Salvatoris resurrectionem.

2° Apparet non minus clare *dissensus Theologorum* in determinando momento seu tempore ortus Ecclesiae. Quamplurimi premunt et extollunt aspectum iuridicum Ecclesiae, ideoque vident societatis ecclesiasticae aedificationem tunc plene absolutam, quum Christus suas oves Petro, suo in terris vicario, pascendas regendasque tradit. Sed alii vigilantius notant Ecclesiae momen-

tum iuridicum simul et pneumaticum, ideoque diem Pentecostes iure assignant tamquam verum Ecclesiae natalem.

3° Apparet tertio loco genuinus *progressus dogmaticus*. Generalibus et indeterminatis formulis Patrum de Ecclesiae et corporis mystici ortu, aedificatione, creatione ... succedunt limpidae et perpolitae notiones societatis, Ecclesiae A. T., Ecclesiae N. T., institutionis, sive inchoatae, sive continuatae et consummatae. Hanc progressus dogmatici legem et naturam si iugiter prae oculis habueris nullam profecto reperies difficultatem in conciliánda Patrum, Pontificum, Theologorum doctrina, eaque in harmonicam synthesim redigenda.

Ratio Theologica

Vidimus in superioribus doctrinam, verbo Dei scripto et tradito clare propositam de Ecclesiae aedificatione seu institutione non plene consummata ante resurrectionem Salvatoris. Hanc porro doctrinam ratio theologica multifariam multisque modis confirmat atque illustrat.

1° Ecclesia est corpus Christi mysticum a Spiritu Sancto instar animae vivificatum, ut merito docet Encyclica « Mystici Corporis ». Nequit ergo dici consummata aedificatio huius corporis ecclesiastici, antequam sit eidem insitum hoc sanctum et animicum vitae principium. Atqui Spiritus Sanctus non fuit corpori ecclesiastico et hierarchico communicatus nisi post Christi resurrectionem, ut suo loco longe lateque ostendemus. Interea accipias hoc breve sed apodicticum Ioannis evangelistae assertum (Io. 7, 39): « Nondum Spiritus erat datus, quia Iesus nondum erat glorificatus ». Quid sit Iesum glorificari, videas apud ipsum evangelistam 12. 16. Quibus addas divini magistri incorruptibile testimonium: « Expedit vobis ut ego vadam, quia si non abiero, Spiritus non veniet ad vos; si autem abiero, mittam eum ad vos ». (Io. 16, 7).

2° Nequit dici *consummata* Ecclesiae aedificatio, antequam sint instituta omnia et singula novae Legis sacramenta. Atqui non omnia sacramenta sunt a Christo instituta ante resurrectionem. Missis aliis, Concilium Tridentinum definivit Sacramentum pae-

nitentiae fuisse institutum a Christo glorificato et redivivo (Io. 20, 21). Cf. Denzinger, n. 894.

3° Nequit dici *consummata* aedificatio societatis ecclesiasticae antequam sit plene instituta et collata potestas tum hierarchica Collegii Apostolici, tum vel maxime primatialis Petri. Atqui potestas magisterialis et regalis sive Petri sive Collegii Apostolici non fuit plene instituta et communicata ante resurrectionem Salvatoris. Nonnemo argumento obviare satagit adinventa subtili distinctione inter *institutionem* primatus, quae in Caesarea Philippi ante mortem Christi facta fuerit, et *investituram* Petri primatis, quae ad tempus resurrectionem consequens amandanda sit. — At haec distinctio, missa singulari ipsius novitate, vana est. Etenim si mera potestatis primatialis *promissio,* et mera sui in terris vicarii indicatio ex parte Christi est, et recensetur in Encyclica (n. 26) ut actus *aedificationis* Ecclesiae, quanto magis ipsa potestatis primatialis *collatio* inter veros aedificationis ecclesiasticae actus recenseatur oportet. Accedit quod haec sic dicta investitura, appellatur in Encyclica (n. 32) Vicarii Christi « in excelso suo munere *sollemnis constitutio* ». Videtur ergo esse aliquatenus difficilis positio illorum Doctorum catholicorum, qui asserunt omnia elementa *essentialia* Ecclesiae iam in Cruce seu morte Christi esse posita. Hi omnes logice constringuntur admittere primatum iuridicum (collatum) Petri, necnon aliqua saltem sacramenta, quin imo ipsam communicationem Spiritus Sancti corpori ecclesiastico recensenda esse inter elementa *accidentalia.*

Sententia media crisi subiicitur

Status quaestionis. Vidimus in superioribus Ecclesiae aedificationem non fuisse plene consummatam ante resurrectionem Salvatoris. Hanc porro doctrinam hausimus ex verbo Dei tum scripto, tum tradito, quale prostat et manifestatur in Documentis Ecclesiae, in Patribus, in Theologis, et ab ipsa ratione theologica multifariam illustratur. Inde manifesto ostenditur *difficultas primae sententiae,* qualis videlicet proponitur a DD. Grivec et Teixeira-Penido.

Remanet consideranda et examinanda sententia media et conciliatrix, qualis recentissime proponitur in opere s. citato. Ubi duplex est Ecclesiae consideratio: Una prout est *Christi vicaria* et manifestatur post Ascensionem Christi; hic est conceptus Theologiae Fundamentalis. Altera in qua Ecclesia consideratur absolute, prout est in se; et hic est conceptus Theologiae Dogmaticae (?). Aedificatio porro Ecclesiae consideratae sub priori respectu, recte dicitur consummata post resurrectionem Salvatoris. At si Ecclesia consideratur sub altero respectu, i. e. absolute, plena ipsius aedificatio potest et debet dici consummata in Cruce, i. e. in ipso momento mortis Christi.

Princeps huius conceptionis fundamentum videtur esse Patristicum. Patres quippe loquuntur bifariam de Ecclesiae ortu et aedificatione. Etenim aliquando exhibent Ecclesiam fundatam *super Petrum*; et tunc intelligendi sunt loqui de Ecclesia, prout est Christi vicaria, ideoque aedificata post resurrectionem Christi. Sed alias loquuntur de Ecclesia aedificata *super Christum*, idque bifariam: aliquando dicunt Ecclesiam esse natam iam in sinu virginis vi Incarnationis; alias et multo frequentius asserunt Ecclesiam esse natam in Cruce e latere secundi Adae. « Quod si duos (hos) conceptus inter se comparemus — scribit Tromp (o. c. p. 115), partim conveniunt, partim discrepant. Conveniunt in eo, quod in utroque continetur unio Capitis et membrorum ratione eiusdem naturae et communis originis ex eodem plasmate, scilicet ex sanguine Adae; quam quidem unionem Patres quidem secundum placita sua philosophica multo arctiorem existimabant, quam ii qui Aristotelem sequuntur Discrepant vero conceptus duplici ex titulo, scilicet ratione iuridica et ratione vitae supernaturalis. Ubi enim agitur de Corpore Mystico concepto in alvo Virginis, membra in Capite inesse censentur ratione repraesentationis vicariae; ubi quaestio est de Corpore Mystico nato in Cruce (cf. Io. 17, 4 et 17, 18), iam supponitur missio Capitis iuridice in missione Corporis continuata. Quod vero ad vitam supernaturalem spectat, vi Incarnationis vita Corporis et membrorum in Capite inest ut in archetypo eminenti et in fonte adhuc clauso; vi Crucis vita illa communicatur ratione Spiritus Christi, qui numero idem habitat illimitate et superabundanter in Christo, cum operationi-

bus autem limitatis secundum mensuram donationis Christi in Corpore et in membris, et quidem ita ut actu Corpus cum membris suis Capiti assimilet et conformet ». « Corpus Christi quod est Ecclesia », Romae, 1946, p. 115.

Exinde datur intelligere quid sibi velit Ecclesia *absolute* considerata, nata in Cruce, prout opponitur Ecclesiae, consideratae prout est *vicaria Christi* et manifestatur post Ascensionem Salvatoris. Est nempe Ecclesia in qua praesupponitur missio Capitis iuridica in missione Corporis continuata, necnon vita Capitis seu Spiritus Christi actu iam Corpori et membris communicatus.

Quod si quaeratur quid sit sentiendum de hac nova sententia media, sic intellecta et proposita, putamus, salvo meliori iudicio, eam posse dici minus verisimilem. Licebit varias considerationes et rationes gradatim et distincte proponere, easque examini et iudicio lectoris subiicere.

1° Conceptus Ecclesiae aedificatae super Petrum, ideoque consideratae prout est Christi vicaria, non est conceptus Theologiae tantum Fundamentalis, sed etiam Dogmaticae. Siquidem agitur de re divinitus revelata, quam ut talem proponit magisterium ecclesiasticum sive in Concilio Vaticano, sive in Iureiurando Antimodernistico. Ubi legitur: « Firma pariter fide credo Ecclesiam, verbi revelati custodem et magistram, per ipsum verum atque historicum Christum, cum apud nos degeret, proxime ac directe institutam, eandemque *super Petrum,* apostolicae hierarchiae principem, eiusque in aevum successores *aedificatam* » Denzinger, n. 2145.

2° Vix intelligi potest conceptus Ecclesiae absolute consideratae, prout opponitur Ecclesiae consideratae ut est Christi vicaria. *Essentialis* quippe finis Ecclesiae est, ut docet Vaticanum, opus Christi reddere perenne. Porro opus Christi perenne redditur ministerio eorum, quos *operis sui vicarios* ipse dedit praeesse pastores, magistros, sacerdotes. Porro ubi Ecclesia consideratur ut ministrata his Christi publicis ministris, eo ipso concipitur ut essentialiter Christi vicaria.

3° Ipse h. s. auctor, dum explcat quomodo discrepant inter se duo illi conceptus Ecclesiae superius commemorati, i. e. Ecclesiae natae in Incarnatione, et Ecclesiae natae in Cruce, scribit:

« ubi quaestio est de Corpore Mystico nato in Cruce, *iam supponitur missio Capitis iuridice in missione Corporis continuata* » o. c. p. 115. Subsumo et dico: Atqui ubi supponitur missio Capitis iuridice continuata in missione Corporis ecclesiastici, iam necessario supponitur Ecclesia ut Christi vicaria; neque enim aliter Ecclesia fit et constituitur Christi vicaria, nisi per acceptam et continuatam missionem Christi.

4° Fundamentum ultimum huius novae conceptionis videtur esse positum in doctrina Patrum de Ecclesia aedificata, fabricata, constructa, creata, nata in cruce. Sed Patres sic loquentes, ut superius ostendimus, non cogitant Ecclesiam absolute consideratam, prout oppositam Ecclesiae consideratae ut est Christi vicaria, sed agunt de Ecclesia nata in cruce e latere Christi symbolice, meritorie, virtualiter. Vide testimonia superius a nobis allata, Etiam Bellarminus loquitur fidenter de Ecclesiae aedificio *consummato in Cruce;* sed hanc consummationem intelligit non formalem et effectivam, sed totam quantam reponit in linea meriti et satisfactionis, quatenus « pretium nostrae salutis consummatum est ». Non sufficit afferre et multiplicare testimonia in quibus Patres vel etiam Pontifices asserunt « Christum in Cruce Ecclesiam suam peperisse, construxisse, aedificasse, formasse, fundasse, consecrasse ». Oportet, et vehementer oportet, semel et iterum considerare et explorare quid ipsi intelligant nomine seu voce partus, constructionis, aedificationis, fundationis, consecrationis; qualiter intelligant ipsam vocem *Ecclesiae*; num loquantur de Ecclesia sensu generalissimo, an de Ecclesia tantum Novi Testamenti; utrum premant aspectum iuridicum, an tantum mysticum etc. Ex neglectis his variis distinctionibus posset hac in re aliqualis confusio oriri.

5° Difficultas facile princeps, qua laborat haec nova conceptio, merito petitur ex falso supposito, cui tota quanta inmititur. Supponitur videlicet et passim asseritur opulentam illam effusionem Spiritus, N. Testamenti propriam, factam esse in ipsa hora mortis Christi in Cruce. Haec porro suppositio vix videtur posse componi cum doctrina, quam videtur proponere S. Scriptura, Ecclesia, Patres, Theologi et Exegetae consonanter omnes, ut suo loco abunde ostendetur. Tunc clarius et plenius manifestabitur difficul-

tas huius sententiae, quam examinamus. Interea sufficiat duo notasse:

a) Inter Patres asserentes Ecclesiam in cruce fundatam, de latere secundi Adae natam, eminet fere Augustinus. Augustinus porro clarissime docet et iterato repetit Spiritum Sanctum non esse corpori Ecclesiastico datum nisi post gloriosam Christi resurrectionem. Mitto alia; illud unum commemoro, quod legitur in Sermone 265 (ML. 38, 1222): « Duae sunt glorificationes secundum suscepti hominis formam: una, qua surrexit a morte tertia die; alia, qua ascendit in caelum ante oculos discipulorum suorum ... De Spiritu Sancto hoc erat dictum per Ioannem evangelistam: Spiritus Sanctus nondum fuerat datus, quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Quare non erat datus Spiritus? Quia Iesus nondum fuerat glorificatus. Expectabatur ergo, ut glorificato Iesu daretur Spiritus. Meritoque bis glorificatus, *resurgendo et ascendendo; bis dedit Spiritum.* Unum dedit, et unus dedit; unitati dedit, et tamen bis dedit. *Primo, postquam resurrexit,* discipulis suis: Accipite Spiritum Sanctum. Et insufflavit in facies eorum. *Habes semel.* Deinde promittit adhuc se missurum Spiritum Sanctum, et dicit: Accipietis virtutem Spiritus Sancti supervenientis in vos ... Postquam ascendit, decem diebus ibi factis, misit Spiritum Sanctum: ipse est solemnis futurus Pentecostes. Videte, fratres mei: Quaerat a me aliquis, quare bis dedit Spiritum Sanctum ... Si dicam me scire quare bis dederit Dominus Spiritum Sanctum, mentiar vobis ... ».

b) *Potissimum argumentum Patristicum* pro Spiritu Sancto Ecclesiae in Cruce dato sumitur in sententia contraria ex S. Gregorio M. et S. Caesario Arel.), Mor. 35, 8, 18 (ML. 76, 759). Hinc Auctor: « Specialiter in memoriam revoco allegoriam splendidam S. Caesarii Arel. et S. Gregorii, qui in Elisaeo septies adspiranti puero mortuo praefiguratum vident Christum in Cruce per septem dona Spiritus Sancti vivificantem Ecclesiam » (o. c. p. 116). Operae ergo pretium erit hoc testimonium propius considerare et accuratius examinare. Ergo praecedat ipsum Gregorianum testimonium, quod sic habet: « Quae nimirum universalis Ecclesia, ut plena septiformis gratiae Spiritu signaretur, Elisaeus super puerum mortuum septies inspirasse describitur

(IV Reg. IV, 34). Super extinctum quippe populum Dominus veniens quasi septies oscitat, quia ei dona Spiritus septiformis gratiae misericorditer tribuit ». ML. 76, 759. Iam perpendamus paulisper quid ad scopum intentum valeat praefatum testimonium.

Principio adverto quod Gregorius hoc loco minime asserit Dominum *in cruce,* et quidem *formaliter et effective,* septem dona Spiritus Sancti Ecclesiae tribuisse. Nequit ergo sensus verborum tuto determinari nisi habito prae oculis contextu cum proximo, tum remoto. Porro in contextu proximo agitur iam inde a n. 15 de explicando qualiter *numerus septenarius* perfectionem significet.

Porro de numero septenario paulo ante allegatum superius testimonium Gregorius praemiserat: « Propter hunc septenarium numerum temporalia, octonarium vero aeterna signantem, super centum viginti fideles *in caenaculo residentes Spiritus Sanctus effusus est* ». (76, 759). Nec sunt omittenda quae his praemiserat in eadem columna: « Per septenarium quippe numerum quod septem diebus agitur praesens tempus expressit; per octonarium vero vitam perpetuam designavit, quam *sua nobis Dominus resurrectione patefecit* ». Ibid.

Contextus remotus omne dubium tollet, et veram Gregorii mentem lucidissime manifestabit. En commentarium a Gregorio Magno editum ad verba Domini apud Ioannem 20, 22: Accipite Spiritum Sanctum ...: « Quaerendum nobis est, quid est quod Spiritum Sanctum Dominus Deus nobis et *semel dedit in terra consistens,* et semel coelo praesidens. Neque alio loco datus Spiritus aperte monstratur, nisi nunc, cum per insuflationem percipitur, et postmodum, cum de caelo veniens, in linguis variis demonstratur. Cur ergo prius in terra discipulis datur, postmodum de caelo mittitur, nisi quod duo sunt praecepta caritatis, dilectio videlicet Dei, et dilectio proximi? In terra datur Spiritus ut diligatur proximus; a caelo datur Spiritus ut diligatur Deus. Sicut ergo una est caritas, et duo praecepta, ita unus Spiritus, et *duo data.* Prius a consistente Domino in terra, postmodum e caelo, quia in proximi amore discitur qualiter perveniri debeat ad amorem Dei ... Et ante quidem discipulorum mentibus idem Sanctus Spiritus inerat ad fidem, sed tamen manifesta datione *nonnisi post resurrectio-*

nem datus est. Unde et scriptum est: Nondum erat Spiritus datus, quia Iesus nondum erat glorificatus (Io. 7, 39). Unde etiam per Moysen dicitur: « Suxerunt mel de petra, et oleum de firma petra (Deut. XXXII, 13). Neque enim quidquam tale iuxta historiam legitur, si tota Testamenti Veteris series recenseatur. Nusquam de petra mel, nusquam de petra oleum ille populus suxit. Sed quia iuxta Pauli vocem: Petra autem erat Christus (I Cor. 10, 4), mel de petra suxerunt, qui eiusdem Redemptoris nostri facta et miracula viderunt. Oleum vero de firma petra suxerunt, qui *effusione Sancti Spiritus post resurrectionem* ungi meruerunt. Quasi ergo infirma petra mel dedit, quando adhuc mortalis Dominus miraculorum suorum dulcedinem suis discipulis ostendit. Sed firma petra oleum fudit, quia *post resurrectionem suam iam factus impassibilis, per afflationem Spiritus donum* sancta unctionis emanavit ». (ML. 76, 1198-9).

Synthesis doctrinae potset quinque punctis exhiberi:

1° Duplex datio Spiritus distinguitur a Gregorio M.: una manifesta, alia non manifesta: haec ad fidem, illa ad caritatem.

2° Datio manifesta facta est bis: una a Domino consistente in terris, alia a Domino praesidente in caelis: prior die resurrectionis; altera in die Pentecostes.

3° Datio non manifesta facta est, non in Cruce, sed ante passionem, durante nempe vita publica Salvatoris, dum facta et miracula edebat.

4° In textu Ioanneo (7, 39) agitur de datione Spiritus manifesta utraque; glorificatio vero Iesus intelligitur facta, non in patibulo crucis, sed in resurrectione.

5° Gregorius distinguit inter Christum petram *infirmam* ac mortalem, et Christum petram *firmam immortalem.* Christus mortalis dat mel seu miraculorum dulcedinem; Christus immortalis et gloriosus effundit ipsum Spiritum cum suis sanctis et pretiosis donis. *Gregorius penitus ignorat effusionem Spiritus super corpus mysticum in Cruce factam.*

Quod dixi de Gregorio, id ipsum intellige de Caesario Areletensi. Cuius duplex testimonium invocatur: unum ex Serm. 40, 4 (ML. 39, 1825), alterum ex Serm. 42, 8 (ML. 39, 1830). Utrumque attentius consideremus. In priori legitur: « Elias inclinatur

in oratione, et vivificatur viduae filius; et Christus procumbit in passione, et suscitatur populus christianus ». Hic, ut vides, nihil dicitur de communicatione Spiritus; unde est impossibile determinare ex his verbis momentum effusi Spiritus super Ecclesiam. Paulo inferius (n. 5) asseritur: « Quod autem dixit Elias ad puerum suum: Vade, et considera septies; septiformis Sancti Spiritus gratiam, *quae danda erat Ecclesiae designabat* ». Hic utique agitur de datione Spiritus; sed non determinatur tempus huius communicationis. — Alterum testimonium (Serm. 42, 8) sic sonat: « Venit erbo beatus Elisaeus, et ascendit in caenaculum; quia venturus erat Christus, et ascensurus in crucis patibulum. Inclinavit se Elisaeus, ut puerum resuscitaret, humiliavit se Christus, ut mundum in peccatis iacentem erigeret. Misit Elisaeus oculos super oculos, manus super manus. Videte, fratres, quantum se vir ille perfectae aetatis contraxit, ut parvulo mortuo et iacenti congrueret. Quod enim Elisaeus in puero praefiguravit, hoc in toto genere humano Christus implevit Quod autem puer oscitavit septies, septiformis gratia Sancti Spiritus ostenditur, quae humano generi, ut resuscitetur, in adventu Christi tribuitur. De ipso Spiritu dicit Apostolus: si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius (Rom. 8, 9). *Ipsum etiam Spiritum Dominus dedit discipulis, quando insufflavit et dixit*: Accipite Spiritum Sanctum (Io. 20, 22). *Os enim quodam modo super os posuit, quando insufflando Spiritum dedit* ». Vides hic perfecte determinari tempus communicati Spiritus. Fit quippe haec communicatio, *non quum Christus ascendit crucis patibulum*; sed die ipso resurrectionis, quando Christus clarificatus insufflavit in Apostolos, et dixit: Accipite Spiritum Sanctum. Nova adhuc et illustrior huius rei de monstratio fit ex his quae leguntur in Serm. 28, 2 (ML. 39, 1822): « In quinquagenario, et gratia Spiritus Sancti intelligitur, et peccatorum remissio designatur. Nam *quinquagesimo die Spiritus Sanctus Apostolis mittitur*; et in Veteri Testamento quinquagesimus annus remissioni et indulgentiae consecratur. David quidem argentum illi dedit; noster vero David, cuius ille typum tenebat, pretiosum sanguinem fudit. Ergo ut aream pagani regis David emeret, siclos quinquaginta obtulit; et verus David Christus, ut in area gentium altare sibi constitueret, *quinquagesimo*

die gratiam Spiritus Sancti et peccatorum indulgentiam *dedit* ». Clariora sunt ista, quam ut ullo indigeant commentario. Ruit ergo argumentum Patristicum princeps, cui est innixa sententia contraria. Gregorius Magnus et Caesarius Arelatensis nequeunt invocari ut testes effusionis pneumaticae in Cruce peractae; sed debent aggregari magnifico ceterorum Patrum choro. Quorum omnium haec est vox et praedicatio: Nondum erat datus Spiritus, quia Iesus nondum erat glorificatus.

Conclusio: a) Sententia prima, prout defenditur a Salaverri et aliis, habet certam oppositionem cum evangelio et cum concilio vaticano; nequit ergo acceptari. b) Sententia media, prout proponitur a Tromp, videtur nobis minus probabilis. c) Remanet ergo tenenda ut verior et tutior sententia secundo loco proposita.

Obiectiones solvuntur

1. Corpus Christi conditur in Cruce. Ibi enim Salvator coniungit omnes homines, Iudaeos scilicet atque gentes in semetipso, id est in carne sua, in unum novum hominem, id est in unam novam personam mysticam, reconcilians eos in uno corpore, cf. Ephes. 2, 14-16. Sic coniuncti per Christum in uno Spiritu, scilicet in Spiritu Christi, habent accessum ad Patrem, cf. Ephes. 2, 17-18, et reconciliatur coelum et terra, cf. Col. 1, 20 et Rom. 7, 101-1. Unde in forma: Ecclesia est corpus Christi constans ex Iudaeis et Gentibus iam reconciliatis et in Christo unitis in unam novam personam mysticam. Atqui hoc corpus, teste Paulo, efformatum est in Cruce. Ergo plena Ecclesiae aedificatio seu institutio in Cruce consummata censeri debet.

Resp.: Concessa maiori, dist. min.: Corpus Christi... efformatum est in Cruce, *virtualiter et meritorie*, Conc.; *effective et formaliter*, Neg. Explico: Corpus Christi resultat ex iudaeis et gentibus unitis in Christo capite. Unde oportet considerare qualiter et quandonam facta est haec talis unio. Porro si agatur de unione quadam iuridica, virtuali et meritoria, asseri potest et debet hanc talem unionem fuisse consummatam in Cruce. Quod si sermo et de unione reali, formali et actuali, asseri omnino debet talem unonem non esse factam nisi post gloriosam Christi exaltationem et Ascensionem in coelos. Etenim:

1° Haec est clara et explicita ipsius Pauli doctrina multifariam proposita.

a) Cor. 12, 13: « Etenim in uno Spiritu omnes nos in unum corpus *baptizati sumus*, sive *Iudaei*, sive *Gentiles* ». Ubi unio Iudeorum et Gen-

tium in unum corpus Christi exhibetur ut effectus consequens baptismum « baptizati sumus ».

b) Eadem doctrina recurrit in epist. ad Ephes. 4, 4-5. « Unum corpus, et unus Spiritus ... Unus Dominus, una fides, *unum baptisma* ». Ubi, simul cum unitate Corporis et Spiritus, notatur et premitur unitas non Crucis, vel mortis, vel oblationis, sed unitas baptismi.

c) Id ipsum clarius adhuc effertur in epist. ad Gal. 3, 26-28: « Quicumque in Christo *baptizati estis*, Christum induistis. *Non est Iudaeus*, neque *Graecus* ... omnes enim vos *unus* estis in Christo Iesu ». Ubi unio absorbens omnes differentias inter iudaeum et gentilem, necnon unitas mystica omnium in Christo rursum exhibetur ut effectus consequens non mortem (tantum) Christi, sed baptismum in nomine Christi. Non dicit Paulus: Quicumque mortui estis in Christo, Christum induistis; sed dicit: Quicumque *baptizati estis* in Christo ... Verum quidem est hanc virtutem incorporativam et unitivam baptismi radicari et fundari in morte (simul et resurrectione) Christi. Ideo diximus illam unionem factam esse in Cruce radicaliter et virtualiter. Sed aliud est uniri radicaliter et virtualiter; aliud, formaliter et effective.

2° Eadem conclusio obtineri potest via indirecta. Siquidem in textu nostro (ad Ephes. 2) agitur de corpore uno, in quo iudaei et gentes *in uno Spiritu* habent accessum ad Patrem (2, 18): unde agitur evidenter de Corpore uno iam vivificato a *Spiritu Sancto*. Atqui Spiritus Sanctus non fuit communicatus formaliter corpori ecclesiastico in Cruce, sed post resurrectionem Salvatoris. Haec est clara doctrina evangelica et inspirata: « Nondum erat datus Spiritus, quia Iesus nondum erat glorificatus ἐδοξάσθη (Io. 7, 39). Quid sit « Iesum glorificari », et quandonam Iesus sit glorificatus disces facile ex ipso Ioanne (12, 16): Haec non cognoverunt discipuli eius primum, sed quando glorificatus ἐδοξάσθη est Iesus, tunc recordati sunt quia haec erant scripta de illo ». Evidens profecto est hanc discipulorum recordationem, et hanc Scripturarum intelligentiam non esse peractam in ipso momento mortis Christi, sed post gloriosam ipsius resurrectionem. — Haec est doctrina ipsius Christi discipulos alloquentis: « Expedit vobis ut ego vadam; si enim non abiero, Spiritus *non veniet* ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos » (Io. 16, 7). Haec demum est doctrina Petri, principis Apostolorum, clamantis in ipsa die Pentecostes coram conferta multitudine (Act. 2, 33): « Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione Spiritus accepta a Patre, effundit hunc, quem vos videtis et auditis ». Advertas hanc esse opulentam illam Spiritus effusionem, Novi Testamenti propriam, a propheta Ioel vaticinatam pro diebus novissimis seu messianis. Suo loco ostendemus hanc esse doctrinam quam docent et predicant Patres, Theologi et exegetae consonanter omnes.

2. Sed Paulus docet praesbyteros-episcopos Ephesinos « Christum Ecclesiam acquisivisse sanguine suo ». (Act. 20, 28). Ergo potest vero aliquo sensu dici Christum fundasse Ecclesiam supra seipsum in Cruce.

Resp. Dist. antec. ... Paulus docet Christum acquisivisse sanguine suo Ecclesiam socialiter *aedificandam,* Conc.; socialiter *aedificatam*: Subd.; inchoative, Conc.; perfective, Neg. Explico. Non est idem aquirere Ecclesiam, et fundare aedificare *instituere* Ecclesiam. Acquirere Ecclesiam *sanguine* est idem ac solvere pretium nostrae salutis; hinc emere lapides coaptandos in aedificium; instituere aedificare Ecclesiam significat emptos lapides in aptam aedifici formam coagmentare, seu aedificium ecclesiasticum de facto construere. At Ecclesia Christi est aedificium sociale, iuridicum, hierarchicum, monarchicum, vivum. Porro constructio huius talis aedificii non fit et consummatur mero actu effundendi sanguinem, quo lapides emuntur et fiunt ditionis Christi; sed requirit et implicat longam et successivam seriem actuum quibus multitudo convocatur et docetur; potestates sociales et iuridicae non mere promittuntur, sed vere conferuntur et creantur; structura hierarchica et monarchica determinantur; pretium nostrae salutis cruenta oblatione solvitur; et ira divina placatur; sacrificium eucharisticum iugiter celebrandum instituitur; sacramentales vitae divinae canales conduntur; Spiritus demum vivificans et unificans compagini sociali inseritur. Quid ferat formula Ecclesiae sanguine in Cruce acquisitae bene explicatur in Encyclica « Mystici Corporis ». Ubi n. 29 legitur: « In arbore Crucis denique sibi suam acquisivit Ecclesiam, hoc est omnia mystici sui Corporis membra, quippe quae per Baptismatis lavacrum mystico Corpori non coagmentarentur, nisi ex salutifera virtute Crucis, in qua quidem iam plenissime Christi ditionis facta essent ». Tria hic asseruntur et clare distinguuntur: 1° Fideles omnes iam in Cruce plenissime fieri ditionis Christi. 2° Fideles Christoincorporari, ideoque in ratione membri ecclesiastici constitui per Baptisma. 3° Incorporativam ac vivificatricem Baptismatis vim fundari seu radicari in salutifera Crucis virtute. Inde datur intelligi quatenus et qualiter sermo esse possit de Christo iam in Cruce Ecclesiam fundante supra se ipsum. Si nomine fundationis Ecclesiae supra Christum, intelligis positionem fundamenti meritorii et satisfactorii, ex quo ritus sacramentales trahunt vim incorporandi et formandi Ecclesiam, potest sine dubio asseri Christum in Cruce fundasse, aedificasse, creasse, plasmasse, fabricasse Ecclesiam. At si nomine fundationis Ecclesiae intelligas positionem actus, quo esse Ecclesiasticum iam plene determinatur et extra causas ponitur in suo momento iuridico et pneumatico, negari prorsus debet Christum iam in Cruce Ecclesiam suam fundasse. Vides quanti sit momenti in hoc negotio verba et voces accurate distinguere, vim terminorum presse definire, statum quaestionis apprime delimitare. Has porro distinctiones et delimitationes frustra apud Patres ut plurimum quaesieris. Hinc cautela, summa, inquam, cautela ac prudentia qua oportet procedere in volutandis, legendis atque interpretandis monumentis antiquitatis.

3. « Ecclesiam simul cum Novo Testamento in Cruce constitutam fuisse perspicuum est. Ecclesia enim ultimatim nihil aliud est, quam quod nomine

Novi Testamenti significamus ». Sic *Grivec* in suo Encyclicae « Mystici Corporis » commentario, p. 75.

Resp. Perspicuum est magnam hic fieri confusionem inter duos conceptus specie diversos. Alia est notio Testamenti, alia Ecclesiae. Ecclesia est veri nominis Societas; Testamentum non est societas. Hinc aliter conditur Testamentum, aliter societas. Ex argumento Grivec sequeretur in Cruce esse iam instituta omnia sacramenta novae Legis, quippe quae pertineant et ipsa ad Novum Testamentum. Concilium Vaticanum ad probandum institutionem Ecclesiae non appellat ad conditionem Novi Testamenti, sed ad alios actus, quibus Christus redivivus instituit Apostolatum, Episcopatum, Primatum perpetuo duraturum. In quaestione de institutione Ecclesiae per Christum non agitur de eo quod est *ultimatim* Ecclesia; sed de eo quod est Ecclesia *formaliter* in se sub duplici aspectu: iuridico et pneumatico. Ecclesia est quidem corpus Christi mysticum. At corpus Christi mysticum etiam secundum Encyclicam Pianam est et Corpus sociale, iuridicum simul et pneumaticum. Tale porro corpus non instituitur et fabricatur conditione Testamenti, sed, ut bene notat Tromp, duplici missione: iuridica nempe et pneumatica. Hinc mirum iure videri possit, quod Grivec accuset Theologos modernos in hac quaestione de non habita ratione sufficienti doctrinae de Corpore mystico, deque neglecta Patrum traditione.

4. *Replicabis.* Sed Novo Testamento condito et plene sancito, eo ipso stabilitur *infallibilis connexio* inter Testamentum et Ecclesiam. Ergo conditio Testamenti implicat conditionem Ecclesiae. *Grivec,* ibid.

Resp. Dist. antec.: Novo Testamento condito, stabilitur infallibilis connexio inter Testamentum et Ecclesiam (novis actibus) *instituendam,* Conc.; de facto iam *institutam,* Neg. Quod nimis probat, nihil probat. Ex argumentatione facta sequeretur Ecclesiam iam esse institutam ante Crucem seu mortem Christi. Posita quippe promissione Christi de Ecclesia aedificanda (Mt. 16, 18), stabilitur connexio infallibilis inter promissionem divinam et Ecclesiam. Quin imo sequeretur ulterius Ecclesiam Christi esse iam *ab aeterno* institutam. Posito quippe aeterno Dei decreto de Ecclesia aedificanda in tempore, eo ipso stabilitur connexio infallibilis inter hoc divinum decretum et Ecclesiam. Distinguas ergo inter institutionem Ecclesiae decretam, promissam, sancitam, et institutionem formalem, effectivam et executioni mandatam.

5. Ubi datur multitudo fidelium directa et gubernata ab aliqua auctoritate iuridica, ibi habetur vera quaedam societas iuridica plene instituta. Atqui ante diem Pentecostes, imo ante primatum Petro collatum, aderat iam multitudo fidelium ab ipso Christo edocta et gubernata. Ergo ante diem Pentecostes, imo ante resurrectionem Salvatoris aderat iam plene instituta societas ecclesiastica.

Resp. Quod nimis probat, nihil probat. Ex praefata argumentatione se-

queretur Ecclesiam iam esse plene institutam ante mortem Redemptoris, siquidem iam tunc aderat quaedam fidelium multitudo ab ipso Christo edocta et gubernata. Vivente in terris Christo mortali, adhuc obtinebat synagoga, cuius membra erant tum Christus, tum omnes Christi discipuli et sequaces. Mortuo in Cruce Christo, conditur Novum Testamentum et consummatur opus redemptionis obiectivae. At finis Ecclesiae non est complere redemptionem obiectivam, sed hoc opus Christi reddere perenne. Christo igitur excitato e sepulchro, et expleta missione iuridica Petri et Collegii apostolici, creatur instrumentum aptum ad applicandos fidelibus fructus redemptionis, sicque opus Christi redditur perenne. Nequit ergo sermo fieri de societate ecclesiastica plene instituta ante resurrectionem Salvatoris.

6. *Replicabis.* Sed oportet demum concedere, quod, Christo glorioso vivente et agente in terris, non erat necessarius primatus Petri. Ergo licet loqui de Ecclesia plene instituta ante primatum Petro collatum.

Resp. Negatur prorsus assertum. Vera Christi Ecclesia est *essentialiter* visibilis hierarchica, monarchica, perpetua ac indefectibilis. Talis profecto Ecclesia nequit dici plene instituta antequam creetur visibile et perenne unitatis et firmitatis ecclesiasticae principium. Istud porro unitatis firmitatisque visibile principium nullum est aliud praeter Collegium Apostolico-Petrinum perenniter continuandum in legitimis ipsius successoribus. Sed nequaquam in isto sunt omnia. Quandoquidem vera Christi Ecclesia est corpus Christi capitis mysticum et vivum ab ipso Christi Spiritu vivificatum et unificatum. Tale porro corpus nequit dici formaliter et plene institutum, antequam eidem inseratur animicum hoc vitae unitatisque principium. Superius ostendimus, et deinceps suo loco amplius ostendemus Spiritum Sanctum non fuisse corpori sociali et ecclesiastico communicatum ante gloriosam Salvatoris resurrectionem et triumphalem in caelos ascensionem.

7. Non desunt egregii Theologi, qui Ecclesiam in Cruce natam et vere fundatam esse docent. Sic Card. Mazzella in suo tractatu De Ecclesia, 1880, p. 354 scribit: « Si quis autem quaerat quandonam Christus fundavit Ecclesiam, respondere possumus tria tempora distinguendo. Primum ante Christi mortem, quo iam quasi *concepta* erat Ecclesia, siquidem sacramenta praecipua, baptismus scilicet, et eucharistia, sacrificium pariter sacerdotium iam erant instituta; item Apostoli electi, leges plurimae promulgatae: nondum tamen erat *nata,* quia sacramenta generatim non erant administranda, nec sacrificium celebrandum, nec Apostoli auctoritate regendi populum potiti, ideoque vigebat adhuc Synagoga. Alterum in morte Christi: tunc cum ipso expiravit Synagoga ... nondum tamen erat mortifera iuxta sententiam Augustini contra Hieronymum, sed plane mortua, Ecclesia vero proprie in lucem tunc edita est, seu vere fundata fuit. Tertium in die Pentecostes, quo Ecclesia, iam nata quidem sed nondum promulgata, nec iuris publici quodammodo facta, illud hoc die consecuta est, et legalis ac obligatoria

evasit ». Ergo frustra appellavimus superius ad unanimem Theologorum consensum.

Resp.: 1° Principio licebit notare unius alteriusve dissensum non posse frangere aut enervare unanimem ceterorum consensum, nisi auctor afferat novas et aptas rationes, quae aliis auctoribus incognitae fuerint. Tales porro rationes in nostro casu nullae sunt. 2° Notanda dein sunt quae Mazzella ibid. p: scribit occasione difficultatis inde motae, quod Christus ipse ritus Mosaicos observaverit, et se a Synagoga minime separavit. « Respondetur, ait, Christus Dominus promisit se *aedificaturum* Ecclesiam suam; *illam vero non aedificavit, nisi cum oves pascendas Petro commisit.* Quo posito et retento, oportebit concludere Ecclesiam *esse natam et vere fundatam, antequam fuisset aedificata* (! !). Quidquid sit de hac interna contradictione (?), vides Mazzella aperte docere Ecclesiam fuisse aedificatam post resurrectionem Salvatoris. 3° Ratio, quare secundum Cardinalem Mazzella Ecclesia non sit *nata* ante mortem Christi, est quia sacramenta generatim non erant administranda, nec sacrificium celebrandum, nec Apostoli auctoritate regendi populum erant adhuc potiti: subsumo: Atqui hae omnes rationes eodem modo valent pro tempore mortis Christi, et pro toto subsequenti triduo. Nequit ergo Ecclesia dici *nata* in morte Christi.

Notae bibliographicae

Ad ipsam thesim: Utiliter conferes, *De San,* de Ecclesia, 1905, p. 4 sq.; *Billot,* de Ecclesia Christi, 1927, Thesis I, p. 67 sq.; *Straub,* De Ecclesia Christi, 1912, I, p. 224 sq.; *G. de Broglie* recentissime splendidum articulum edidit in Nouvelle Revue Théologique, 1945, p. 3 sq. sub titulo « L'Eglise, nouvelle Eve née du Sacré Coeur ». Quattuor puncta dilucidantur ab Auctore. 1. En quel sens l'Eglise — cette Eglise terrestre — visible et militante dont nous entretient l'Encyclique « Mystici Corporis » peu elle-être designée comme la nouvelle Eve? 2. Que représente au juste l'idée géneral de *naissance,* quand on l'applique à l'Eglise? 3. En quel sens peut-on faire naître l'Eglise soit du côte du Christ, soit du Sacré-Coeur? 4. Quelles *precisions complementaires* la foi et la piété chretienne se plaisent elles à ajouter à ces formules, pour exprimer l'intimité sans pareille que cette naissance établit entre l'Eglise et son Epoux? Auctor iure merito notat et urget necessitatem presse definiendi vim et sensum vocis *nativitas* (naissance) in hac materia, nisi quod notio ab ipso prestabilita non videtur sufficienter premere momentum *iuridicum* et *hierarchicum* Ecclesiae. En praeclarum ipsius testimonium: « Il est sûr d'abord, que cette date ne saurait être à la Passion du Christ, puisque Saint Jean nous dit du temps qui la précéda: « Il n'y avait pass encore d'Esprit parce que Jésus n'avais pas encore été glorifié » (VII, 39). Une telle assertion ne signifie certainement pas que jamais avant la Passion l'Esprit Saint n'ait été repandu *en aucune*

âme individuelle (songeons plutôt à l'âme de Marie)! Le seul sens acceptable paraît donc être le suivant: l'Esprit n'était pas encore donné publiquement et officiellement au *genre humain,* puisque il ne résidait en aucune institution ***visible,*** comme en un temple où chacun pût venir s'eclairer à sa lumière, comme en une source à laquelle chacun pût venir s'abreuver.

C'est seulement quand le Christ eut souffert, que cette nouvelle habitation de l'Esprit parmi les hommes, cette donation de l'Esprit à l'humanité comme telle, se realisa par l'existence même de l'Eglise ...

En conclurons-nous que le premiere instant de la vie de l'Eglise ait dû coincider exactement avec celui de la mort du Seigneur? Tel ou tel texte patristique, pris isolément et à la letre, pourrait suggérer cette solution; mais elle aurait le sérieux inconvénient de reduire a un rôle salvifique secondaire et accessoire les mystères ultérieurs de la Resurrection, de l'Ascension, de la Pentecôte ... Elle ne s'imposerait d'ailleurs que si l'ouvrage de notre salut n'avait à être envisagé que d'un point de vue purement juridique, et devait, en conséquence, être censé terminé sous tous rapports au moment exacte où notre dette se trouva integralement acquité!

Comprenons mieux les chosses! Si fondé que soit cet aspect juridique de l'oeuvre rédemptrice du Christ, il n'est pas le seul que la théologie ait à envisager. C'est vainement, par exemple, qu'on chercherait dans le Mystère de la Resurrection une contribution juridique a notre rachat; et cependant il reste vrai que la Resurrection du Christ a été le moyen fondamental par lequel ieu a communiqué aux hommes les trésors de grâce que la Croix leur avait obtenus. « Sinon, comment Sait Paul, pourrait il nous présenter le Christ comme aussi veritablement » résuscité pour notre justification, qu'il a été « livre pour nos péches » (Rom. IV, 25)? — Aussi n'est-ce ni au Christ vivant sur terre, ni sortout au Christ enseveli dans la suprême humiliation de la mort, que l'Apôtre attribue les fonctions d'Epoux de l'Eglise et de Tête du Corps mystique: pour lui ces fonctions n'ont été actuellement exercées que par le Christ triomphant, Adam nouveau et desormais tout « celeste », que la Resurrection fit rentrer dans le monde comme un « esprit vivificateur » (I Cor. XV, 45-48).

Mais admetre cela, c'est admetre que la vie de l'Eglise, cette vie qui lui vient tout entière de son union à son Chef et à son Epoux, n'a pu se realiser avant la Resurrection du Christ, donc que la naissance de l'Eglise (au sens temporel de ce mot) n'a pu coincider avec l'instant précis où expira le Seigneur.

On peut même aller plus loin. Une solide tradition nous autorise a dater la naissance de l'Eglise du jour de la Pentecôte seulement ... C'est, semblet-il, en ce sens qua Tertullien présentait déjà la Pentecôte comme le jour natal de la société chrétienne, et que les meilleurs traités d'ecclésiologie contemporains, sans méconnaître en rien le rôle fondamental de la mort du Christ, font résolument dater de la Pentecôte la communication *formelle* de la vie divine a l'organisme ecclesiastique ».

De adversariis *M. Teixeira Leite Penido* proponit suam sententiam in opere « O corpo Mistico » 1944, p. 214: « Um dos mais preciosos ensinamentos da Encíclica é o concernente a fundação da Igreja. A êsse respeito vigoravam mesmo entre os teólogos, idéias inexatas e até mesmo errôneas. *E. Mura*, per esemplo, adiantava que a Igreja nasceu no Cenáculo, e por conseguinte, que a fundação de Igreja datam do dia de Pentecostes. Antes, faltava-lhe algo de essencial: a Vida, a Alma, que e o Espírito Santo. *H. Dieckmann* distingue no formação da Igreja três etapas ou fases: *a*) o estado inicial, de preparação; *b*) o estado de existência fundamental, quando no Calvário Jesus deu a Igreja um fundamento jurídico, pactuando a Nova Aliança; *c*) o estado de existência formal, quando da vinda do Espírito Santo, Alma da Igreja ... Vem agora a Encíclica con soberana autoridade, dissipar as confusoes a pôr em meridiono luz a verdade catolica. *A Igreja foi formalmente fundada e costituida no Calvário; nasceu do lado do Salvador, qual nova Eva mãe de todos os viventes.* O dia de Pentecostes assinalou, por sua vez, a promulgação e a manifestação *externas* da Igreja. Se e verdade que o Corpo Místico não pode existir formalmente sem estar animado por sua Alma, o Espírito Santo, e também verdade que ja no Calvário « foi a Igreja enriquecida daquela abundantíssima comunicação do Espírito que divinamente a ilustre desde que o Fihlo do Homen foi elevado e glorificado no seu doloroso patíbulo ». Teixeira-Leite Penido recenset p. 120 decem veritates a Pio XII *difinitas ex cathedra* in Encyclica « Mystici Corporis », inter quas tertium locum occupat haec doctrina de Ecclesiae fundatione in Cruce.

F. Grivec edidit a. 1944 Ljubljanij opus, cui titulus « Skrivnostno telo Jezusa Kristus-Okroznica papeza Pija XII ». Ubi doctrinam Encyclicae de fundatione Ecclesiae sic commentatur: « Hoc caput de conditione Ecclesiae valde accurate secundum regulas scientiae elaboratum est, ut denique tandem obscuritates et fluctuationes aliquorum doctorum finem inveniant. Qui nempe theologi hac in re non satis rationem habebant doctrinae de mystico corpore et traditionis Patrum ...Ecclesiam simul cum Novo Testamento in Cruce constitutam fuisse perspicuum est. Ecclesia enim ultimatim nihil aliud est, quam quod nomine Novi Testamenti significamus. Haec inseparabilis coniunctio Ecclesiae et Novi Testamenti magna affectivaque cum vivacitate et profunditate in nn. 28 ad 31 explicatur ... Quidem theologi affirmabant Ecclesiam adventu Spiritus Sancti in die Pentecostes institutam fuisse. *Quam sententiam Encyclica corrigit,* et valde eloquenter demonstrat Spiritum S. iam morte Christi in Cruce abundanter super Ecclesiam effusum esse una cum institutione Novi Testamenti, quamquam nondum signis et miraculis tam manifestis sicut in die Pentecostes », pag. 84.

Idem auctor scripserat paulo antea in Bogoslovni Vestnik (1942), pag. 33: « In historia conceptus Ecclesiae duae aetates discernendae sunt, ante ac post saeculum XVI. Ante hoc saeculum conceptus corporis mystici fere praevalebat quidem, sed tractatus de Ecclesia nondum systematice excultus

est. Illa aetate conceptus corporis mystici et Ecclesiae aequaliter vagus et parum determinatus erat. Conceptum corporis mystici eius aetatis cum conceptu Ecclesiae eiusdem temporis comparando, facile perspicitur, utrumque conceptum aequalem vel saltem eundem fuisse. Nec Ecclesiam Antiqui Testamenti ab Ecclesia Christi sat discernebant, nec ecclesiam triumphantem ac militantem, nec angelos ac homines; similiter etiam caput sensu mere metaphorico (morali) ac caput sensu magis proprio parum distinguebant. Hic vagus ac minus exactus modus loquendi apud optimos medii aevi theologos reperitur, e. gr. apud s. Thomam. Ideo in hac re ad theologos illius aetatis ac ad ipsum s. Thomam non sine debitis distinctionibus provocare licet. S. Thomas e. gr. etiam angelos membra Ecclesiae et corporis mystici dicebat. *Ecclesiologia non est ad illum statum deprimenda, quam saeculo XIII* occupabat ».

Notanda demum sunt, et alta mente reponenda, quae ibidem cl. Auctor scribit recensens meum librum « De Ecclesia Christi »: « Scholium tertium (pag. 82), de tempore institutionis Ecclesiae, non sat exactum esse mihi videtur. Triplex enim distinguitur stadium: 1) Ecclesiam inchoatam ante mortem Christi; 2) formaliter constitutam post resurrectionem; 3) vivificatam die Pentecostes. Stadium secundum potius est *fundamentalis (iuridica) Ecclesiae institutio morte Christi; ita ss. Patres, s. Thomas Aq. ac Concilium Viennense docent.* Quod accuratius exponendum. Redemptione in Cruce demum A. T. abrogatum est; inde patet, cur Christus antea Ecclesiam nondum instituerit nec fidem suam gentibus praedicaverit » (p. 192).

Tria hic notanda occurrunt: 1) Grivec ex una parte conqueritur de neglecta nimis a theologis modernis doctrina Patrum de corpore mystico; ex alia parte asserit hanc Patrum et S. Thomae doctrinam de corpore mystico esse vagam, parum determinatam et minus exactam, nec vult quod nostra hodierna Theologia deprimatur ad statum, quem illo tempore antiquiore tenebat.

2) Grivec affirmat Pium XII in Encyclica « Mystici Corporis » correxisse doctrinam hodiernam Theologorum, qui, ut Dieckmann aliique, docent Ecclesiam formaliter institutam in die Pentecostes. Hi porro theologi simul docent Ecclesiam fuisse morte Christi in Cruce *fundamentaliter* et *iuridice* institutam.

3) Grivec demum asserit Ecclesiam fuisse morte Christi institutam fundamentaliter seu iuridice, et merito contendit hanc esse Patrum, S. Thomae et Concilii Viennensis doctrinam. Inde concludendum videretur Pium XII condemnasse ss. Patres, s. Thomam, Concilium Viennense, ipsum denique Doctorem Grivec. Utrum haec tria asserta Grivec logice cohaereant inter se, an forsan sit admittenda aliqualis doctrinae evolutio in mente auctoris, prudentis lectoris iudicio decernendum relinquo.

Nota bene: P. Salaverri opinatur hanc thesim esse extra suum locum (está enteramente fuera de su lugar en la parte apologética). At eum multum animus fefellit. Tota haec quaestio disputatur inter auctores catholicos;

qui omnes admittunt praesupposita methodi dogmaticae. Nulla est ergo ratio praepediens usum huius methodi in hac controversia. Ex alia vero parte decet ac summopere prodest iam in hoc loco notare, examinare ac dissipare graves confusiones recenter inductas a S. de la Torre aliisque ecclesiologis.

THESIS VI.

Ecclesia ex ipsa Christi institutione est societas visibilis et perpetua

Tractatus apologeticus de Ecclesia eo ultimatim tendit, ut ostendat Ecclesiam a Christo socialiter institutam esse Romano-catholicam. At nequit haec conclusio certo stabiliri, nisi praevie ostendatur Ecclesiam, a Christo institutam, esse necessario visibilem et indefectibilem. Hinc tota ratio et finalitas huius thesis, quae duplici parte constat. Prior exponit ac vindicat formalem Ecclesiae visibilitatem; altera tuetur eiusdem perpetuitatem seu indefectibilitatem.

I.

De visibilitate Ecclesiae

Praenotanda

Visibile universim dicitur quidquid percipi seu cognosci potest sive sensibiliter, sive intelligibiliter; idque sive *immediate* seu in se ipso, sive *mediate* seu in alio in quo relucet vel ex quo legitme deducitur.

Societas dicitur visibilis materialiter vel formaliter. Erit *materialiter* visibilis, si videri possunt homines qui eam efformant. Erit *formaliter* visibilis, si videri ac dignosci possint homines etiam *quatenus sunt* membra societatis i. e. si sint visibilia ipsa vincula socialia quibus membra devinciuntur.

Ecclesia Christi est vera quaedam societas et quidem supernaturalis, quae duplici constat elemento: unum est externum et corporeum, quod est ipsa compago socialis organice conglutinata;

alterum est internum et spirituale, qui est Spiritus Christi totam compaginem organicam multiformiter vivificans. Non agitur in thesi de visibilitate unius aut alterius elementi, sed de visibilitate *compositi ecclesiastici* et socialis. Porro ut aliquod compositum qua tale dici possit visibile seu dignoscibile sufficit ut unum elementum sit in seipso visibile, et alterius elementi cum priore connexio ostendi possit. Haec autem connexio duplici modo manifestari potest: *vel* ex effectibus quos elementum internum in externo producit, et tunc compositum dicitur visibile *in sua veritate* (sic in composito humano); *vel* ex revelatione divina manifestante praesentiam elementi interni et supernaturalis in elemento externo certis quibusdam et determinatis characteribus ornato, et tunc compositum dicitur discernibile saltem *in sua credibilitate,* si historice ostendi possit tum existentia talis revelationis divinae, tum subiectum determinatum in quod cadit divina revelatio. Vides iam quaestionem in thesi agitari de visibilitate societatis ecclesiasticae non mere materiali, sed formali, eaque specifica, i. e. quaeritur num Ecclesia sufficienter dignosci possit non tantum ut est quaedam societas religiosa, sed *quatenus est vera Christi Ecclesia* inter varios aemulantes coetus christianos.

Duplex problema latet in quaestione de Ecclesiae visibilitate: unum generale de *ipso facto* discernibilitatis; alterum particulare de *variis notis* seu viis quibus vera Ecclesia dignoscitur. In hac thesi agitatur prima tantum *quaestio generalis.* Deinceps proponetur *triplex via* ad inveniendam veram Christi Ecclesiam.

Positio adversaria

Thesi nostrae adversantur *Protestantes* conservativi. Qui constricti sunt recurrere ad notionem Ecclesiae invisibilis *primo* quidem ut effugerent molestas catholicorum difficultates de *ortu recenti* suae ecclesiae ..., *deinde* vero invisibilitas Ecclesiae est logica sequela doctrinae protestanticae sive de libero examine et charactere individuali religionis christianae, sive de constitutione et membris Ecclesite. Quae secundum illos constat vel *solis iustis* (Lutherani), vel solis *praedestinatis* (Calvinistae). Atqui iusti et praedestinati *qua tales* sunt invisibiles. Ergo ... Accipe nonnulla

testimonia excerpta ex confessionibus sive Lutheranis sive Reformistis, quas collegerunt Müller-Kolde et Karl Müller.

Luther in Catechismo maiore ait: « Sanctam christianorum Ecclesiam communionem sanctorum fides nominat. Utrumque enim idem coniunctim significat ... hoc est eiusmodi communio in qua nonnisi sancti versantur Credo in terris esse quandam sanctorum congregatiunculam et communionem ex mere sanctis hominibus coactam, sub uno Christo capite, per Spiritum Sanctum convocatam ... Horum me quoque partem et membrum esse constanter credo » (M. K. p. 456-457).

Confessio Augustana Ecclesiam sic describit: « Est autem Ecclesia congregatio sanctorum, in qua evangelium recte docetur et recte administrantur sacramenta » (M. K. p. 40).

Calvinistica Ecclesiae conceptio apparet v. g. in Catech. Eccl-Genev. « Quid est Ecclesia? Corpus ac societas fidelium quos Deus ad vitam aeternam praedestinavit » (K.-M. p. 125).

Scotorum Confessio invisibilitatem Ecclesiae expressius adhuc effert: « Haec ecclesia invisibilis est, uni Deo cognita, qui solus novit quos elegerit » (K. M. p. 246).

Vides invisibilitatem implicari in ipso Ecclesiae conceptu protestantico sive Lutherano sive Calvinistico, eamque in nonnullis Confessionibus explicite efferri. Nihilominus Protestantes passim distinguunt duplicem Ecclesiam: unam invisibilem, quae constat solis iustis vel electis, hac illac per totam terram sparsis solique Deo notis; aliam visibilem quam constituunt singulae communitates locales, in quibus verbum Dei praedicatur, sacramenta administrantur et sic genuini christiani efformantur. Quaenam sit habitudo huius ecclesiae visibilis sive ad societatem civilem (christianam) eiusque auctoritatem, sive maxime ad ecclesiam invisibilem est problema arduum, molestum nimis, in cuius solutione nec cohaerent primipili Protestantes inter se, nec singuli auctores iidem semper sibi constant.

Luther

Luther saltem usque ad 1530 negat prorsus omnem Institutionem socialem ecclesiasticam, quae sit *iuris divini,* et fortiter

premit Ecclesiae invisibilitatem innixus duplici testimonio evangelico (Io. 18, 36 et Lc. 17, 20); accedit ratio theologica inde desumpta, quod Ecclesia est obiectum fidei, quod proin videri non potest: « denn, was man glaubt das ist nicht leiblich, sondern geistlich » (Werke, (Weimar). 6, 300). In opere quidem Von den Conciliis und Kirchen (1239) proponit septem notas quibus vera Ecclesia dignosci possit; nihilominus Ecclesia manet vere invisibilis: « Es ist ein hoch, tief, verborgen Ding die Kirche, dass sie niemand kennen noch *sehen* mag, sondern allein an der Taufe, Sakrament und wort fassen und *glauben muss* » (Werke, Erlangen, 507-508).

Mélanchthon

Mélanchthon exhibet miram evolutionem in suo conceptu de Ecclesia eiusque visibilitate. In confessione Augustana (1530) admittit quidem ecclesiam visibilem coetibus localibus constitutam; sed haec est « ecclesia large dictca ». Ecclesia stricte dicta constituitur ab his omnibus et solis qui veram fidem habent et actionem Christi et Spiritus subeunt. Haec ecclesia est invisibilis, eiusque membra nulli politiae seu civitati sunt alligata, sed sunt sparsa in toto mundo et soli Deo nota. Mélanchthon contendit hanc ecclesiam non esse quandam ideam platonicam, sed veram quandam realitatem hisce in terris existentem; de hac Ecclesia loquitur Paulus ad Ephes. 5, 25 sq. et I Tim. 3, 15. Eadem idea ecclesiae invisibilis videtur retineri adhuc in « Locis » (1535), quamvis admittatur vocem Ecclesiae in Scriptura nonnumquam applicari improprie ad designandos coetus christianorum locales visibiles. cf. Corpus Reformatorum, 21, 505-508.

Novus Ecclesiae conceptus apparet clare iam ab a. 1543. Reiecta idea ecclesiae invisibilis, quam nunc platonicam appellat, admittenda est ecclesia visibilis, quam assertam videt in Ephes. c. 4, Ps. 25, 8 et Ps. 83, 2. « Ecclesia visibilis — ait — est coetus visibilis hominum amplectentium incorruptam Evangeli doctrinam et recte utentium sacramentis, in quo coetu Filius Dei est efficax per ministerium Evangelii et multos regenerat ad vitam aeternam, quamquam sunt in eo coetu et alii multi non sancti, sed tamen

de doctrina et externa professione consentientes. *Haec est simplicissima definitio ecclesiae* » (C. R. 21, 1087). Nec somniandum est « alibi electos ullos esse... nisi in hoc coetu visibili. Nam neque invocari, neque agnosci Deus aliter vult, quam ut se patefecit, nec alibi se patefecit, nisi in ecclesia visibili, in qua sola sonat vox Evangelii. Nec aliam fingamus ecclesiam invisibilem » (C. R. 21, 826). Notae seu signa ecclesiae propria « simul haec tria sunt: consensus in doctrina Evangelii incorrupta, legitimus usus sacramentorum, obedientia ministro debita iuxta Evangelium » (C. R. 23, 37). « Haec signa auribus et oculis indicari possunt, quae quidem et necesse est considerari, ut sciamus, cui coetui nos adiungere debemus » (C. R. 22, 433). Demum proposita obiectione classica de Ecclesia-articulo seu obiecto fidei, hinc invisibili, respondet Mélanchthon ecclesiam esse obiectum fidei ratione originis divinae et finis supernaturalis, eandem vero esse visibilem quatenus est coetus hominibus constans: « Non igitur de ecclesia loquimur, ut de idea platonica, sed monstramus ecclesiam iuxta dictum: « Dic ecclesiae » (Mt. 18, 17). Hinc necesse est intelligi visibilem ecclesiam » (C. R. 23, 37). « Ita vult Deus Ecclesiam conspici oculis et visibilem esse, ut cogitemus, ubi doctrina ipsius quaerenda » (C. R. 23, 39).

Bucer

Bucer eminet inter ecclesiologos protestanticos. Fuit quidem discipulus Lutheri, eius tamen ecclesiologia notabiliter differt a tota conceptione sui magistri. Luther vehementer premit ecclesiam *invisibilem,* prae qua communitas visibilis (Haufen) habet momentum valde secundarium et accidentale. Bucer e contra maxime premit ecclesiam visibilem quippe quae debeat haberi non ut merus campus ubi seminatur verbum Dei, sed ut instrumentum visibile (Werkzeug) Christi invisibilis, imo ut verum Christi corpus efformatum ab hominibus, qui de mundo quidem colliguntur, attamen ita uniuntur in Christo ut unum corpus sint (also vereinbart in Christo, dass sie ein Leib sind). In hoc corpore nullum membrum sibi vivit, sed omnes tenentur collaborare pro bono totius corporis (emsigste Gemeinschaft, in der kein Glied müssig

ist). Hanc esse biblicam Ecclesiae notionem probare satagit Bucer allatis Ephes. 4, 1-6; I Cor. 12, 12-13; Rom. 12, 4-5; I Cor. 12, 18-27; Ephes. 4, 15-16; Act. 4, 32-35; II Cor. 8, 1-5, 13-15; 2 Thess. 3, 11-13.

In hac ecclesia visibili adsunt ministeria a Christo instituta. Principalia et permanentia sunt Pastoratus et Doctoratus (I Cor. 12, 28; Ephes. 4, 11-12 sq., Praesbyteratus (Act. 14, 21-23; 15, vv. 2, 22, 23), Diaconatus Act. 6, 1-6; I Tim. 3, 8-10) Ministri seliguntur a communitate, quae eligit eos in quibus aptum charisma videt. Habet ergo communitas christiana sibi commissam et per ministros exercendam veram curam animarum (Seelsorge) = docere, educare, exhortari, commonere, excommunicare, fovere mutuum membrorum iuvamen in ordine tum spirituali tum corporali. Hanc communitatem Bucer initio et sub influxu Zwingli volebat identificatam cum civitate christiana, at deinceps concipiebat et inducebat eam autonomam, independentem, civitate et Statu nobiliorem. Unicum fere actionis ecclesiasticae principium limitativum reponitur in *praedestinatione divina,* a qua tandem omnia pendent. Summatim: Ecclesia visibilis concipitur a Bucer ut realis Christi institutio, verum Christi corpus dynamicum, Ecclesiae invisibilis vera (licet imperfecta) incarnatio. Manet tamen discrimen essentiale inter ecclesiam visibilem et invisibilem. Haec sola est aeterna; illa (in fine mundi) cessabit, quum Deus erit omnia in omnibus.

Calvin

Calvin in synthesim fere redigit omnia elementa ecclesiologica sparsa in Luther, Zwingli, Mélanchthon et Bucer. Haec synthesis est fructus mirae evolutionis, qualis apparet in opere eius principe *Institutio relig. christ.* Prima huius operis editio exhibet imaginem ecclesiae sat Lutheranam. Ecclesia est ocetus electorum seu praedestinatorum, quos solus Deus novit; hinc vera Ecclesia est invisibilis. In singulis siquidem locis efformari possunt coetus particulares christiani, cuius notae seu insignia afferuntur pura Evangelii praedicatio ac auditio et recta sacramentorum administratio; sed hae notae hoc tantum ostendunt ibi esse *aliquam* ec-

clesiam i. e. *aliquos* veros credentes, quum verbum Dei ex Mt. 18, 20 non possit non esse efficax. — In altera Institutionis editione (1539) agnoscitur duplex notio biblica Ecclesiae: altera strictior secundum quam Ecclesia est coetus electorum sive qui fuerunt, sive qui nunc sunt sparsi per omnem terram; altera minus stricta designans singulos coetus locales. De hac ecclesia particulari et visibili loquitur Christus apud Mt. 18, 17, quum asserit: « Dic ecclesiae; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus ». — In commentario in epistulam ad Romanos admittit Calvin quatuor ministeria biblica a Christo instituta: — In editione Institutionum a. 1543 necnon in ultima et definitiva (1559) Ecclesia visibilis celebratur ut mater omnium quorum Deus est Pater, ut schola custos veritatis, ut templum seu domus Dei, ut civitas et Institutio Christi in qua adsunt divinitus constituti pastores, doctores, presbyteri et diaconi; huic ecclesiae competit cura animarum, hinc potestas docendi, excommunicandi, ordinandi politiam ecclesiasticam, curam pauperum; haec ecclesia est ordinarium medium salutis, ad quam proin pertinere oportet. « Quando non est alius in vitam ingressus, nisi nos ipsa (Ecclesia) concipiat in utero, nisi pariat, nisi nos alet suis uberibus, denique sub custodia et gubernatione sua nos tueatur, donec exuti carne mortali similes erimus Angelis...: extra cuius gremium nulla est speranda peccatorum remissio, nec ulla salus » (C. R. 30, 749). Vides Calvinum in sua ultima conceptione ecclesiologica proxime accedere ad Bucer, de quo ipse scribit: « Bucerum praesertim, sanctae memoriae virum et eximium ecclesiae doctorem sum imitatus, qui prae aliis non poenitendam hac in re operam meo iudicio navavit. Quemadmodum autem ipse veterum labore adiutus fuit, qui in hoc studio eum praecesserant, ita mihi sua industria et sedulitate non parum levationis attulit » (C. R. 73, 4).

R. Seerberg

R. Seerberg inter recentiores (Dogmatik, II, 1925), distinguit duplicem ecclesiam: aliam stricte dictam seu essentialem eamque invisibilem, quae est coetus electorum; aliam late dictam seu histo-

ricam eamque visibilem, quae est coetus vocatorum. Historica ecclesia est humana communitas in qua annuntiatur evangelium et ita membris eius fit possibilis communio cum Christo in fide et amore. Quando haec possibilitas fit realitas in quodam personarum numero efformatur ecclesia realis seu essentialis. Discrimen ergo inter ecclesiam veram et falsam intelligendum potissime videtur de ecclesia sensu historico. Ecclesia *vera* est illa quae, tendentiae christianae fundamentali respondens, apta est ad praeparandam viam Sanctorum Communioni.

Probatur thesis

Primum argumentum efformari potest ut merum thesis praecedentis corollarium. Sane Christus instituit Ecclesiam suam ut veram societatem humanam. Atqui omnis societas ex hominibus coacta est necessario formaliter visibilis seu discernibilis. Etenim nulla est veri nominis societas, ubi est impossibilis communis multorum conspiratio in finem socialem; porro haec communis conspiratio fit impossibilis in collectivitate formaliter invisibili; nequeunt enim multi *conspirare* in unum finem, ubi homines mutuo non se agnoscunt ut membra eiusdem societatis; secus erunt multi operantes at minime conspirantes, erit multorum *numerus,* sed non *coetus*: maxime vero oportet ut subiditi agnoscant rectorem societatis, et hic vicissim agnoscat suos subditos. Age iam, in societate formaliter invisibili membra societatis non se mutuo agnoscunt ut talia. Ergo in tali societate fit impossibilis omnis conspiratio socialis.

Alterum argumentum concinnari potest ex Scripturis A. Testamenti. Etenim Ecclesia promissionum est regnum messianicum a prophetis A. T. annuntiatum: « Lex et Prophetae usque ad Ioannem; ex eo Regnum Dei evangelizatur » (Lc. 16, 16; cfr. 1, 30-33). Porro hoc regnum messianicum annuntiatur ut formaliter visibile, sicut videre est apud Isaiam 2, 2-3: « Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes. Et ibunt populi multi et dicent: Venite et ascendamus in montem, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in se-

mitis eius; quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem »: Unde fit argumentum. Regnum de quo agitur in textu est regnum messianicum. Atqui hoc tale regnum exhibetur ut formaliter visibile. Ergo...

Prob. mai. Regnum de quo agitur in textu est: regnum erigendum *in novissimis diebus*: — regnum ad quod *fluent omnes gentes*: — regnum quod est *domus Dei Iacob* (cf. Genes. 49, 10, et Luc. 1, 32-33): — regnum in quo docebuntur gentes vias Domini: — regnum cuius diffusio debet inchoari in Ierusalem: *Brevi*: est regnum novissimum, universale, spirituale, rerum divinarum scientia conspicuum, inchoandum in Ierusalem. Porro hi omnes characteres simul sumpti, sicut egregie conveniunt regno messianico, sic nulli alii regno applicari ullatenus possunt. Ergo in textu agitur evidenter de regno messianico.

Prob. min. Regnum, de quo in textu, appellatur mons, eminens supra omnes colles, collocatus in vertice montium, ad quem confluunt omnes gentes. Atqui talis mons est visibilis, imo splendide visibilis, neque enim abscondi potest civitas supra montem posita (Mt. 5, 14). Ergo...

Tertium argumentum dabunt Novi Testamenti Scripturae. Vera Ecclesia promissionum non est alia, quam illa a Christo in Petro et sub Petro fundata (Mt. 16, 18). Atqui haec talis Ecclesia est essentialiter et formaliter visibilis. Ergo...

Prob. min. Eatenus Ecclesia Christi fundatur in Petro et sub Petro, quatenus omnes Christi cultores et fideles subiiciuntur Petro regendi, docendi, sanctificandi. At nequit Ecclesia sic in Petro fundari, si sit formaliter invisibilis; sane, nec Petrus potest regere, docere, sanctificare fideles occultos, invisibiles, soli Deo notos; nec hi vicissim possunt subiici Petro regendi, docendi et sanctificandi, si hunc qua verum suum rectorem et doctorem agnoscere non possunt.

Quartum argumentum vere classicum fit iterum ex Novo Testamento: « Quod si non audierit eos, dic ecclesiae. Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus » (Mt. 18, 17-18). Unde sic: Ecclesia ex ipsa Christi institutione est talis, in quam possit, imo debeat fieri denuntiatio fratris corripiendi. Atqui talis denuntiatio et recursus est impossibilis in ecclesia in-

visibili: quomodo enim possum fratrem rebellem rectoribus ecclesiasticis denuntiare, si scire absolute non possum ubinam sint tales rectores? Ad rem Mélanchthon: « Non igitur de ecclesia loquimur, ut de idea platonica, sed monstramus ecclesiam iuxta dictum: « Dic ecclesiae » (Mt. 18, 17). Hinc necesse est intelligi visibilem ecclesiam » (C. R. 23, 37). Zwingli quoque et Calvin aperte confitentur in hoc loco evangelico sermonem esse de ecclesia visibili.

Quintum argumentum suppeditabit ratio theologica. Ecclesia Christi est necessaria necessitate tum medii tum praecepti ad salutem aeternam obtinendam, ut suo loco ostendetur. Atqui nequit esse sic necessaria ex ipsa Christi institutione, si sit formaliter invisibilis. Ergo...

Prob. min. Nequit prudenter institui ut necessaria et obligatoria societas in quam aditus est impossibilis. Sed aditus in ecclesiam invisibilem est prorsus impossibilis. Ergo...

Nota: Facile advertes tot fieri posse argumenta pro visibilitate Ecclesiae, quot sunt rationes quibus demonstratur vera ipsius institutio a Christo in forma stricte sociali. Neque enim concipi potest socialis simul et invisibilis Ecclesiae constitutio. Ideo Protestantes logica necessitate constringuntur vel negare veram et socialem Ecclesiae a Christo institutionem, vel concedere demum formalem ipsius visibilitatem.

Obiectiones solvuntur

1. Ecclesia comparatur thesauro abscondito (Mt. 13, 44). Atqui quod est absconditum est invisibile. Ergo ...

Resp. Dist. maior. Ecclesia comparatur thesauro abscondito, qui quaeri et inveniri possit, imo debeat, C.: qui inveniri non possit et debeat, N. Ipse textus effert visibilitatem regni caelorum. Quippe quod comparatur thesauro abscondito in agro, *quem qui invenit homo* abscondit ... Regnum caelorum manet absconditum tum populo iudaico carnali, tum omnibus iis quibus « sollicitudo saeculi istius et fallacia divitiarum suffocat verbum ». At recte dispositis fulget instar margaritae pretiosae vivide splendentis.

2. Sed Ecclesia dicitur regnum quod non venit cum observatione (Lc. 17, 20). Atqui posset observari, si esset visibile. Ergo ...

Resp. Dist. maior. Regnum Dei non venit cum observatione illa, quam pharisaei expectabant pompa et apparatu externo insignem, C.: aliter, N. Iterum Christus ipse appellat ad visibilitatem Regni Dei dicens: « *Ecce* enim regnum Dei intra vos est ». Siquidem medius illorum stabat quem illi nesciebant quidem, at scire debebant. Faciem caeli diiudicare norunt pharisaei; *signa autem temporum* non possunt iudicare (!). Mt. 16, 1-4. Vere generatio mala et adultera. Quae edoceri non vult nec praedicatione Ioannis Baptistae (Mt. 3, 7-12), nec tot tantisque Christi portentis. Etenim si Christus eiiciebat daemones in Spiritu Dei, igitur pervenerat in eos Regnum Dei (Mt. 12, 28). Ceterum regnum Dei, quum sit simile grano synapis, poterat initio sui minus visibile videri, at, crescente in arborem magnam, exhibet iam omnibus volucribus caeli spectabilem ac vere splendidum quietis locum.

3. At nequit esse externe visibilis Ecclesia cuius omnis cultus est internus et invisibilis. Atqui talis est cultus proprius Ecclesiae, in qua veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu et veritate (Io. 4, 23). Ergo...

Resp. dist. min. Cultus Ecclesiae est *mere* internus, N.: Internus *simul et externus* ac socialis, C. Textus allatus solum excludit cultum externum carnalem et uni loco alligatum. Cuius loco promittitur cultus novus intensione et extensione perfectior...

4. Sed Ecclesia dicitur *domus spiritualis,* in qua *hostiae spirituales* offeruntur (I Pet. 2, 5). Ergo cultus proprius Ecclesiae est mere internus et spiritualis.

Resp. Dist. maior. Ecclesia dicitur domus *mere spiritualis,* N.: spiritualis *simul et corporalis,* C. Ecclesia constat corpore visibili et Spiritu vivificante. Dicitur spiritualis ratione donorum spiritualium, quae possidet; at haec ipsa dona spiritualia manifestantur et fiunt visibilia in corpore sociali saltem in ratione credibilis. Item, hostiae spirituales offeruntur in Ecclesia, quales sunt actus adorationis, fidei, spei et caritatis; at simul cum his offertur Numini divino oblatio munda et visibilis ab ortu solis usque ad occasum (Mal. 1, 11).

5. At Paulus scribit ab Hebr. 12, 18 sq.: « Non enim accessistis ad *tractabilem* montem... sed accessistis ad Sion montem et civitatem Dei viventis, Hierusalem *caelestem*... ». Unde sic: Hic opponitur Novum Testamentum (et Ecclesia) antiquo. Atqui hoc exhibetur instar montis tractabilis et visibilis. Ergo Ecclesia Novi Testamenti est caelestis et invisibilis.

Resp. Dist. maior. In textu opponitur Novum Testamentum Antiquo ratione invisibilitatis, N.; ratione diversi spiritus et perfectionis, C. Antiquum Testamentum exhibetur ut mons terribilis igne, turbine, caligine, procella, tubae sonitu... At Novum Testamentum melioribus repromissionibus sancitum est. Ad ipsum quippe pertinet Hierusalem caelestis, civitas Dei viventis, tot millium angelorum frequentia, spiritu iustorum et perfectorum, ipso N. T. mediatore Iesu decora et insignis.

6. Sed tessera et character proprius N. T. in hoc reponitur, quod Deus scribet legem suam *in visceribus et corde fidelium,* unde fiet ut vir non debeat amplius docere fratrem suum, siquidem omnes, a minimo eorum usque ad maximum, gratia et unctione interiori edocti cognoscent Deum (Ierem. 31, 31-34. Ergo visibilitas omnis ab Ecclesia excludi videtur.

Resp. Concesso antecedenti, negatur prorsus consequens. Nec in hoc textu opponitur N. T. Antiquo ratione maioris aut minoris visibilitatis, sed ratione insignioris perfectionis spiritualis: — Foedus antiquum irritum evasit duritia et infidelitate Israelitarum; at Foedus novum firmum consistet in collectivitate Ecclesiae: — Scriptio legis non erit iam in tabulis lapideis, sed in cordibus fidelium per abundantiorem gratiae effusionem: — Rerum divinarum cognitio erit amplior intensione, extensione universalior. Sed haec amplior effusio charismatica nullatenus excludit magisterium et reliquum ministerium externum, ut videre est in ipso Ieremia scribente: « Et dabo vobis pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina » (3, 15). Ipse Christus misit apostolos docere omnes gentes (Mt. 28, 19). « Ipse dedit quosdam quidem Apostolos... alios autem pastores et doctores... donec occurramus omnes in unitatem fidei » (Ephes. 4, 11 sq.). Unde intelligitur quod scribit Paulus ad Corinthios: « epistola estis Christi *ministrata a nobis* et scripta non atramento, sed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus » (2 Cor. 3, 3).

7. Membra Ecclesiae sunt iusti. Atqui hi, qua tales, sunt invisibiles. Ergo...

Resp. Dist. mai. Membra Ecclesiae sunt iusti *etiam,* C.; *tantum,* N.

8.Sed Ecclesia est corpus Christi mysticum. Atqui peccatores nequeunt dici membra huius talis corporis. Ergo membra Ecclesiae sunt soli iusti.

Resp. Dist. min. Peccatores (baptizati) nequeunt dici membra *perfecta* corporis Christi, C.; *imperfecta,* sed vera, N.

9. At anima huius corporis est Spiritus Sanctus. Atqui peccatores non habent Spiritum Sanctum. Ergo non sunt membra nec imperfecta.

Resp. Dist. min. Peccatores non habent Spiritum S. habitantem per caritatem, C.; Peccatores non habent alia dona Spiritus sancti, nec subiiciuntur multiplici influxui vitali eiusdem Spiritus sub hierarchia visibili, N.

10. Sed aggregatio ad Ecclesiam fit mediante baptismo *valido.* Atqui baptismus *qua validus* est invisibilis, quum pendeat ab intentione occulta ministrantis. Ergo membra Ecclesiae qua talia sunt invisibilia.

Resp. Dist. min. Baptismus qua validus, est invisibilis *in singulis* membris Ecclesiae, trans.; in *tota collettivitate,* N. Explico: potest absoluta certitudine constare de valide baptizatis hoc processu: — Vera Christi Ecclesia habet notas quasdam externe visibiles: — Hae notae solum reperiuntur in Ecclesia Romana: — Atqui vera Ecclesia constat ex membris valide bapti-

zatis: — Ergo in Ecclesia Romana saltem plerique sunt valide baptizati. Haec omnia clarescent magis, cum sermo instituatur de membris Ecclesiae; at etiam nunc advertas quaestionem in thesi esse non de visibilitate *singulorum membrorum*, sed de discernibilitate *coetus ecclesiastici* in quo Christus reposuit media salutis.

11. At vera Christi Ecclesia creditur seu est obiectum fidei. Atqui nequit idem esse obiectum fidei simul et visionis vel scientiae. Ergo vera Christi Ecclesia qua talis est invisibilis.

Resp. a) Sit imprimis responsio indirecta retorquendo argumentum: Verus Dei Messias seu Iesus Christus est obiectum fidei. Atque nequit idem esse obiectum fidei simul et visionis. Ergo verus Dei Messias qua talis discerni nequit (!). Mirum est quod Luther tantopere fidat difficultati, quum in uno eodemque symbolo confiteamur: « Credo in Ecclesiam — Credo in Iesum Christum ». Si verus Messias ita est obiectum fidei ut certo discerni possit a Ioanne Baptista, a Ieremia, vel ab uno quolibet ex Prophetis, sic etiam vera Christi Ecclesia poterit ita esse obiectum fidei, ut clare discerni possit a secta Lutheri, vel Calvini, vel cuiuslibet ex Reformatoribus.

a) Accedat responsio directa: quam ut plenius intelligas, recole quae superius praenotavimus de visibilitate propria compositi sive physici sive socialis. Ut aliquod obiectum compositum sit visibile seu discernibile, sufficit ut unum ex elementis sit immediate visibile, et alterius seu interni elementi cum priori connexio possit ostendi. Si haec connexio demonstratur mero lumine rationis, habes compositum discernibile *in sua veritate*; si illa connexio manifestatur per revelationem, habetur compositum discernibile *in sua saltem credibilitate*, si et possit probari factum talis revelationis, et possit certo determinari subiectum cui praefata revelatio debeat applicari. Sit iam applicatio doctrinae ad nostrum casum de visibilitate Ecclesiae Christi. Supponimus imprimis ex alio Tractatu sufficienter demonstratam tum liborum sacrorum (maxime Evangeliorum) historicam auctoritatem, tum divinam Iesu missionem; quo posito, en totum rei processum: *Demonstramus* historice existentiam divinae revelationis (propheticae et Christianae) in qua annuntiatur Ecclesia a Christo fundata et praedita characteribus, quorum alii sunt interni, supernaturales et invisibiles, alii externi et visibiles, puta unitatem, catholicitatem, figuram socialem hierarchicam, monarchicam etc.: — *Credimus* hanc talem Ecclesiam *alicubi* existere: — *Demonstramus* historice praedictos characteres *externos* reperiri unice in coetu romano-catholico. Porro quum ibi sint dona illa interna et supernaturalia ubi sunt praediti characteres externi (propter necessariam connexionem ex revelatione notam), *clare discernimus* subiectum seu coetum christianum ad quem certo applicatur divinitus facta revelatio de *vera* Christi Ecclesia. Ergo veram Christi Ecclesiam qua talem a falsis certo discernimus. Res tota illustrari egregie potest exemplo Christi. Cuius individuam et concretam humanitatem Apostoli *videbant*; divinitatis vero *credibilitatem* quidem *demonstrabant* ex miraculis, *veritatem* autem *credebant* propter testimonium Dei in miraculis implicatum.

c) De ipsa propositione minore in obiecta difficultate disputari posset. Non enim apparet quare unum idemque obiectum non possit et credi propter auctoritatem Dei revelantis, et sciri propter apte confectam demonstrationem. Cuius rei aptum exemplum videtur suppeditari ab ipso symbolo. Ubi confitemur in unum Deum factorem caeli et terrae. At nonne vera mundi creatio in sana Philosophia sufficienter demonstrari consuevit? Sed haec ad aliam provinciam spectant...

12. *Instabis*: Apostoli videbant in Christo non tantum humanitatem, sed etiam divinitatem quippe quam recte colligebant ex tot miraculis ab eo patratis. Ergo allatum exemplum rei nostrae explicandae nullatenus inservit.

Resp. Negatur antec.: Apostoli non poterant colligere ex miraculis Christi *intrinsecam* divinitatis veritatem, sed certam eiusdem credibilitatem. Siquidem miraculum non est aliquid e cuius analysi detegatur *interna* veritas rei pro qua fit; sed est sigillatio divinitus apposita affirmationi qua legatus sibi divinam sive missionem sive naturam attribuit.

13. *Replicabis*: Sed haec sigillatio divinitus apposita est verum testimonium divinum in favorem affirmationis factae a suo legato. Atqui id quod a Deo affirmatur, apparet menti non tantum ut credibile, sed ut *verum*. Ergo e testimonio divino recte ostenditur non tantum rei credibilitas, sed ipsa quoque veritas.

Resp. Dist. min.: Obiectum testimonii divini apparet ut verum *credendum* propter auctoritatem Dei, C.; ut verum *visum* vel asserendum propter internas rationes rite perspectas, N.: Non videtur esse difficultas in eo quod obiectum divinae revelationis accipiatur non tantum fide libera et obsequiosa imperata per voluntatem, sed etiam fide sic dicta scientifica, quia est fructus cuiusdam legitimi syllogismi. Si haec tibi probatur, admittas oportet ostendi a nobis posse verae Christi Ecclesiae non tantum credibilitatem, id quod plene sufficit in controversia protestantica, sed etiam veritatem.

14. *Urgebis*: At nonne ex transsaeculari Ecclesiae immota consistentia necnon ex mira ipsius activitate ac multiformi fecunditate recte concluditur existentia principii interni ac supernaturalis, quo illa subsistit ac fovetur? Ergo rursus non recte dicitur Ecclesiae Christi supernaturalitatem demonstrari quidem in sua credibilitate, at non in sua veritate.

Resp. Dist. antec.: Ex mira Ecclesiae stabilitate ac foecunditate recte concluditur existentia *alicuius generatim principii* supernaturalis, C.; *illorum praecise donorum* quae nobis credenda proponuntur, Subd.; adiecta affirmatione Ecclesiae romanae asserentis se esse veram Christi Ecclesiam, C.; sine hac adiecta affirmatione, N. In primo casu incidimus in viam sic dictam empiricam seu transcendentiae, de qua inferius sermo recurret.

Scholion dogmaticum.

a) *Sacra Scriptura* clare docet visibilitatem Ecclesiae. Hinc thesis nostra dici potest de *fide divina.*

b) *Concilium Constantiense* damnavit errorem Hussitarum de Ecclesia composita ex solis praedestinatis, hinc invisibili. DB. 627.

c) *Concilium Vaticanum* in constitutione dogmatica de fide catholica docet: « Ut autem officio veram fidem amplectendi in eaque constanter perseverandi satisfacere possemus, Deus per Filium suum unigenitum Ecclesiam instituit, suaeque institutionis *manifestis notis instruxit,* ut ea tamquam custos et magistra veri revelati ab omnibus *agnosci posset...* quin imo Ecclesia per se ipsa ... perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile ». DB. 1793 sq. In Constitutione dogmatica de Ecclesia Christi definitur doctrina de Petro totius ecclesiae militantis *visibili capite.* DB. 1823.

d) *In schemate* eiusdem Constitutionis proponebatur canon: « Si quis dixerit divinarum promissionum Ecclesiam non esse societatem *externam ac conspicuam,* sed totam internam ac invisibilem, A. S. » Cf. C. Lac. VII, 577. Unde thesis est de *fide catholica proxime definibili.*

II.

De perpetuitate Ecclesiae

Praenotanda

1. *Perpetuitas* in thesi idem idem sonat ac indefectibilitas. Est autem indefectibilitas ea Ecclesiae proprietas vi cuius in primaevo suo statu ad finem usque mundi sine ulla interruptione necessario duratura est. Hinc perpetuitas seu indefectibilitas implicat:

a) *Factum durationis* perseverantis usque ad consummationem saeculi.

b) *Impossibilitatem defectionis* in sua immutata primaeva essentia et existentia.

c) *Immutabilitatem substantialem* Ecclesiae in hac sua duratione. Siquidem durare debet in sua primaeva institutione et constitutione.

2. *Immutabilitas* ergo intelligitur *substantialis,* talis nempe quae *excludat* omnem mutationem in re substantiali, *admittat* vero tum mutationem in rebus accidentalibus, tum *progressum* in rebus substantialibus. Quaenam in concreto dicenda sint substantialia in Ecclesia, quaenam habenda ut accidentalia, nondum determinamus, patebit vero sufficienter ex decursu totius tractatus. In genere dici possunt substantialia ea omnia a Christo instituta sine quibus finis Ecclesiae convenienter obtineri non potest. Huc spectant maxime potestas ordinis, magisterii infallibilis et regiminis; hinc eorumdem sacramentorum constans administratio, sacrificii eucharistici iugis celebratio, sacri depositi revelationis illibata custodia, hierarchica et monarchica Ecclesiae constitutio, et si quid aliud.

3. *Admittitur ergo*: *a*) *mutatio in accidentalibus* seu in iis omnibus quae sunt institutionis mere ecclesiasticae, v. g. patriarchatus, cardinalatus, leges variae de festis, ieiuniis etc.; *b*) *progressus in substantialibus.* Est enim Ecclesia instar organismi vivi compacta. Lex vero organica admittit, imo postulat progressum organorum primitivorum. Res tota patet in homine, qui apud omnes *idem* perseverare censetur in omni stadio vitae suae sive primae et puerilis, sive crescentis et adultae, sive decrepitae et senescentis. Ecclesia quoque progredi in substantialibus potest sive *extensive* continua gentium aggregatione, sive *intensive* clariori rerum divinarum cognitione, penitiori ipsarum expositione etc.

4. *Sensus theseos* patet iam ex praenotatis. Asserimus nempe Ecclesiam ex ipsa Christi institutione esse non tantum perpetuam de facto seu perennem, sed indefectibilem in sua immutata et immutabili essentia: — Per se patet hanc talem indefectibilitatem attribui Ecclesiae *visibili et universali.* Ecclesiae quippe particulares perire possunt, imo non paucae periere: — Ceterum haec indefectibilitas intelligitur competere Ecclesiae non tam ex interna sua structura et constitutione, quam ex subsidiis divinae providentiae. Quae, opportuna gratiarum distributione, iteratos daemonis insultus et nativam hominum signitiem infrustrabiliter

superabit: — Ecclesia dicitur permansura usque ad consummationem huius saeculi. Qua obveniente, Ecclesia hierarchica cessabit, et Christus Regnum Deo et Patri tradet, ut sit Deus omnia in omnibus.

Adversarii

a) *Mutabilitatem in peius*, imo mutationem et corruptionem Ecclesiae visibilis docent *Protestantes*, apud quos promissiones perennitatis a Christo factae referuntur ad Ecclesiam invisibilem. Ecclesia visibilis corrumpi potest et de facto turpiter corrupta est sub Papatu romano: — *Sociniani* contendebant promissiones perennitatis Ecclesiae divinitus factas esse conditionatas et sub humana libertate defectibiles: — Accedunt *Iansenistae* asserentes « postremis hisce saeculis sparsam esse generalem obscurationem super veritates gravioris momenti, spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Iesu Christi ». DB. 1501: — Praecesserant *Fraticelli* qui contendebant evanlium Christi in se solis suo tempore esse completum, quod obtectum fuerat, imo prorsus extinctum. Cf. DB. 484-490.

b) *Mutationem in melius* admittunt omnis generis *Illuministae*, qui novam Ecclesiam seu novam oeconomiam effusione charismatica abundantiorem futuram expectabant, vel suo iam tempore inceptam iactabant. Sic olim iam *Montanistae*, quibus dein accessere Beguardi et Beguinae, Quakeri, Irvingiani, Mormones. Nec desunt qui post Ecclesiam *petrinam* (catholicam) et *paulinam* (protestanticam), novam exspectant *ioanneam* in qua instauretur regnum caritatis. Sic Fichte, Schelling, Döllinger et non pauci inter dissidentes Orientales.

c) *Perpetuam Ecclesiae evolutionem* et mutationem defendunt *Modernistae*, secundum quos « *constitutio organica* Ecclesiae non est immutabilis; sed societas christiana perpetuae evolutioni aeque ac societas humana obnoxia est » (DB. n. 2053). — *Doctrina* quoque christiana continuas mutationes patitur. Siquidem fuit in suis exordiis iudaica, quae dein per successivas evolutiones facta est primum paulina, tum ioannica, demum hellenica et universalis (DB. n. 2060).

Probatur thesis

Thesis probari potest triplici ocnvergenti ac concurrenti testimonio: prophetico, evangelico ac apostolico.

Testimonium propheticum

Isaias laetabundus canit Messiam, Principem pacis, eiusque regnum sempiternum. « Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est principatus super humerum eius; et vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus fortis, Pater futuri saeculi, Princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis; super solium David et super regnum eius sedebit, ut confirmet illud et corroboret in iudicio et in iustitia, a modo et usque sempiternum » (9, 6-7). Verbis prophetae pulchre resonat angelicus sermo nuntians Mariae: « Hic erit magnus, et Filius Altissimi vocabitur, et dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius: et regnabit in domo Iacob in aeternum; et regni eius non erit finis » (Lc. 1, 32-33).

Ieremias (31, 31 sq) describit *novum foedus* quod Deus paciscetur cum novo Israel: « Ecce dies veniunt dicit Dominus et feriam domui Israel et domui Iuda foedus novum. Non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum ... pactum quod irritum fecerunt, et ego dominatus sum eorum, dicit Dominus. Sed hoc erit pactum quod feriam cum domo Israel post dies illos: dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam; et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum ... ». Unde: — Foedus novum non erit sicut vetus. Hoc fuit irritum culpa hominum et punitione divina; illud ergo erit firmum et stabile: — Porro ratio immotae ac immobilis stabilitatis pro novo Foedere designatur abundantior effusio charismatica. Lex quippe scribetur non in tabulis lapideis, sed in corde hominum: — Irrevocabilitas demum decreti divini multifariam exprimitur: « Haec dicit Dominus qui dat solem in lumine diei, ordinem lunae et stellarum in lumine noctis Si defecerint leges istae coram me, tunc et semen Israel deficiet » ibid. 35-36.

Daniel vidit stantem superbiam regni mundani et antichri-

stiani, repraesentatam in statua grandi et sublimi, regno caelesti et messiano demum conterendam: « Videbas ita donec abscissus est lapis de monte sine manibus; et percussit statuam in pedibus eius ferreis et fictilibus, et comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, testa, aes, argentum et aurum, et redacta quasi in favillam aestivae aereae quae rapta sunt vento; nullusque locus inventus est eis; lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus et implevit universam terram » (2, 34-31). Lapide crescente in montem magnum repraesentari regnum messianum caelitus suscitandum planum est et subito explicatur: « In diebus regnorum illorum suscitabit Deus caeli regnum quod *in aeternum non dissipabitur*, et regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna haec; et *ipsum stabit in aeternum*. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus ... » (ibid. 44-45). Id iterum fit manifestum in cap. 7°. Ubi describitur tum Messiae inthronizatio, tum regnum messianum quod suscipient sancti: « Aspiciebam ergo in visione noctis, et ecce cum nubibus caeli quasi *Filius hominis* veniebat, et usque ad Antiquum dierum pervenit, et in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem et honorem et regnum; et omnes populi, tribus, et linguae ipsi servient; potestas eius potestas aeterna, quae non auferetur, et *regnum eius quod non corrumpetur* suscipient autem regnum sancti Dei altissimi, et obtinebunt regnum *usque in saeculum et in saeculum saeculorum* » (ibid. 1v-12 et 18). Ex his facile contruitur *argumentum in forma*: Etenim vera Christi Ecclesia est Regnum messianum a Prophetis vaticinatum. Atqui Prophetae exhibent hoc regnum ut perpetuum ac immobile. Ergo ...

Testimonium evangelicum

Testimonii evangelici seu Christi sint iterum formae tres. *Parabolae* in primis perennitatem Regni messiani et ecclesiastici clare efferunt. Seminatur quippe hoc Regnum in agro huius mundi in quo, agente diabolo, seminantur et zizaniae; quorum utraque sinuntur crescere usque ad messem (Mt. 13, 30). Tempus vero messis est *consummatio saeculi* (13, 39). — Iterum Regnum

caelorum simile pronuntiatur sagenae missae in mare et omne genus piscium colligenti ... « Sic erit *in consummatione saeculi*, exibunt angeli et separabunt malos de medio iustorum » (13, 49).

Locus vero classicus et facile princeps continetur in solemnibus Christi verbis promissoriis: « Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam » (Mt. 16, 18).

Portae inferi (πύλαι ᾅδου) quid significent controvertitur.

Harnack (in Actis Academiae Borussicae, 1918, n. XXXII p. 637-654) contendit his verbis significari *mortem* seu imperium mortis. (Totenreich); etenim vox ᾅδης est synonima mortis, vox vero πύλαι mere pleonastice adhibetur absque ulla propria significatione. Eandem opinionem tuentur aliqui doctores catholici ut Bisping, Fillion, Schegg, Schanz, alii.

Schepens (in Rech. d. Sc. Relig. t. X, 1920, p. 269 sq.) sententiae Harnack eatenus adstipulatur, quatenus admittit portas inferi *directe et immediate* significare imperium mortis, at simul docet his verbis *mediate et implicite* exprimi *potentiam diabolicam* Regni Dei inimicam. « Le texte: πύλαι ᾅδου... signifie donc bien simplement que la mort ne triomphera point de l'Eglise. Si cette traduction ne fait pas apparaître immediatement les puissances de l'enfer, elle est loin de les supprimer totalement, car elle prédit implicitement la inutilité de leurs efforts pour détruire l'Eglise du Christ ... La traduction proposée laisse donc subsister l'interpretation per *les puissances de l'enfer*, non comme le sens propre et immediat de l'expression πύλαι ᾅδου mais comme son inéluctable conséquence » (l. c. 274-75).

P. M. Lagrange (in Evangile selon Saint Matthieu, 1923, p. 325-326) impugnat tum Harnack, tum Schepens, docetque portas inferi significare directe *potentiam* inferni seu diaboli. Haec ultima sententia praeferenda videtur, quae ceteroquin communior est inter auctores catholicos. Rationes praeferentiae dabimus in Scholio ubi sermo de portis inferi recurret.

Non praevalebunt (οὐ κατισχύσουσιν) sumi potest vel passive seu intransitive, vel active: In priori casu sensus est: Imperium mortis, cui omnia demum succumbunt, non erit fortius Ecclesia, quae proin numquam morietur. In altero casu sensus est: Potesta-

tes infernales seu diabolicae Ecclesiam impetu hostili aggredientes numquam eam superabunt.

Adversus eam (αὐτῆς) potest referri vel ad Ecclesiam, vel ad petram. Prima hypothesis est longe probabilior; quia Ecclesia est subiectum proximius pronomini demonstrativo, contextus vero nedum obstet huic hypothesi, eidem potius favere videtur. Hisce praenotatis:

Argumentum pro thesi in qualibet hypothesi subsistit. Etenim: *a*) Si portae inferi significant mortem, habes thesim expressam in verbis Christi. Imperium mortis mundana omnia dissolvens non erit fortius Ecclesia Christi. Ergo haec vivet usque ad consummationem saeculi; *b*) Si portae inferi significant potestates diabolicas et infernales, argumentum eodem modo procedit; quia si mors utcumque praevaleret contra Ecclesiam, eo ipso praevaleret et diabolus, quippe qui *tenet mortis imperium* (Hebr. 2, 14). Hypothesis, in qua actio diabolica et antichristiana cessare fingatur, Ecclesia vero perimi propriae debilitati et infirmitati succumbens, foret gratuita, insolens, contraria verbis Christi, qui in parabola de zizaniis antichristianam filiorum nequam actionem exhibet ut continuam ac perseverantem usque ad consummationem saeculi (Mt. 13, 30 et 39).

Tertio loco commemoranda veniunt magnifica Christi verba post resurrectionem in constituto Galileae monte: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi » (Mt. 28, 1820). Ex quibus fluit argumentum obvium: Christus promittit se futurum auxilio efficaci cum apostolis sanctificantibus, docentibus et regentibus usque ad consummationem saeculi. Erit ergo in Ecclesia perenne sacerdotium, magisterium et imperium visibile. Porro iugis permanentia triplicis huius ministerii implicat necessario perennitatem Ecclesiae cum suo immutato atque immutabili sacrificio, sacramentis, doctrina atque hierarchica structura. Ceterum perennis usque ad parousiam existentia sacrifici eucharistici, hinc et sacerdotii, expresse docetur a Christo apud Lc. 22, 19 comparato cum I Cor. 11, 24.

Testimonium apostolicum

Paulus multifariam docet perennem Regni ecclesiastici existentiam atque novi Foederis immobilem stabilitatem.

Primo quidem in II Cor. 3, 6 sq.: « sufficientia nostra ex Deo est: qui et idoneos nos fecit ministros novi testamenti: non littera, sed Spiritu (οὐ γράμματος ἀλλὰ πνεύματος): littera enim occidit, Spiritus autem vivificat. Quodsi ministratio mortis litteris deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita ut non possent filii Israel intendere in faciem Moysi propter gloriam vultus eius, quae evacuatur: quomodo non magis ministratio Spiritus non erit in gloria?... Nam nec glorificatum est, quod claruit in hac parte, propter excellentem gloriam. Si enim *quod evacuatur,* per gloriam est, multo magis *quod manet,* in gloria est ». Ubi ministerium Legis mosaicae comparatur cum ministerio novae Legis evangelicae: illud exhibetur ut imperfectum gloria et duratione; hoc tamquam perfectum tum gloria, tum *perpetua immobilitate.*

Rursus Paulus (Hebr. 10, 1 sq.) distinguit tria tempora seu stadia: legem-novum Testamentum-gloriam caelestem « Umbram habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum ». Lex tenet *umbram* futurorum bonorum. Novum Testamentum tenet ipsam *substantiam* seu corpus bonorum messianorum. At nondum possidet *gloriam caelestem,* sed ipsius germen et promissionem certissimam: Ideo oportet patienter sustinere et fiducialiter operari: « Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quae magnam habet remunerationem. Patientia enim vobis necessaria est; ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem. Adhuc enim modicum aliquantulum, qui venturus est, veniet » (35-36). Ergo sicut Novum Testamentum immediate successit Antiquo, sic Ecclesiae militanti proxime succedet Regnum caeleste. Ecclesia ergo hierarchica perseverabit usque ad consummationem saeculi.

Tertio Paulus in capite XII eiusdem epistulae premit et exaltat *immobilitatem Novi Testamenti* prae Foederis antiqui mobilitate. « Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur: multo magis nos, qui de caelis loquentem nobis avertimus; cuius vox movit terram

tunc: nunc autem repromittit dicens: Adhuc semel, et ego movebo non solum terram, sed caelum. Quod autem, adhuc semel, dicit: declarat *mobilium translationem* tamquam factorum, *ut maneant ea quae sunt immobilia.* Itaque *regnum immobile* suscipientes, habemus gratiam » (Hebr. 12, 25-28).

Quarto Ecclesia hierarchica pro Paulo est Regnum militans Christi regnantis in caelis. Ergo tandiu perseverabit in terris, quandiu durabit exercitium regale et dominatio victrix Christi in caelis. Atqui Christus exercebit potestatem regalem et debellatricem in caelis usque ad consummationem saeculorum. Etenim « sicut in Adam omnes moriuntur, sic in Christo omnes vivificabuntur. Unusquisque autem in suo ordine: primitiae Christus, deinde ii qui sunt Christi. Deinde finis: cum tradiderit regnum Deo et Patri, cum evacuaverit omnem principatum, et potestatem, et virtutem. *Oportet autem illum regnare donec* ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Novissima autem inimica destruetur mors cum autem subiecta fuerint illi omnia, tunc et ipse Filius subiectus erit ei, qui subiecit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus » (I Cor. 15, 22-28). Ergo Regno Christi militanti in terris immediate succedet caeleste Regnum Patris cuncta beatificantis.

Demum Ecclesia secundum Paulum est Sponsa quam Christus sibi vinculo *insolubili* devinxit, quamque amore perpetuo diligit ut carnem suam. (Ephes. 5 25-32). — Item est corpus Christi, quod perenni opere hierarchico et charismatico aedificari continuabitur donec *omnes* recurramus in unitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi. Porro aetas plenitudinis Christi non attingetur, quandiu sint homines in terris, qui debeant vivificari influxu capitali Christi, qui in caelos ascendit ut *imperet omnia* (Ephes. 4, 10 sq.).

Ratio theologica accedit cumulum addens argumentis haustis e fontibus revelationis. Tandiu quippe debet durare Ecclesia, quandiu durat finis propter quem est instituta. Atqui hic finis durabit usque ad consummationem huius mundi. Sane finis propter quem Christus instituit Ecclesiam suam, est ut homines in ea et per eam sanctificentur et salutem aeternam consequantur. Sed homines sanctificandi et salvandi erunt usque ad consummationem saeculi. Ergo

Obiectiones solvuntur

1. Quod nimis probat, nihil probat. Atqui argumentum desumptum ex testimonio *prophetico* nimis probat. Prophetae namque annuntiant Regnum divinum et messianicum quod in aeternum non dissipabitur, cuius finis non erit ... Atqui Ecclesiae hierarchicae finis certe erit. Ergo argumentum primum nimis probat.

Resp. Negatur assertum: Prophetae annuntiant utique Regnum messianum, quod in aeternum subsistet. At inde non sequitur quod Regnum Dei debeat perseverare semper sub forma hierarchica et militanti, sed quod Ecclesiae militanti succedet *immediate* Ecclesia triumphans. Sane si Ecclesia hierarchica et militans in terris destrueretur ante inchoatum stadium caeleste, dici non posset quod Regni Christi *nullus erit finis.* Distinctio huius duplicis stadii multo clarius, fateor, exhibetur in allatis locis Novi Testamenti. Inde utiliter docearis convenientiam argumentandi non tam ex uno, quam ex multiplici convergenti ac concurrenti testimonio. Ceterum praefata distinctio sat clare insinuari videtur vel in ipsis effatis propheticis A. T. Consideres v. g. verba Psalmi CIX: « Dixit Dominus Domino meo: Sede a dextris meis *donec* ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion: *Dominare in medio inimicorum tuorum* ». Particula *donec* insinuare videtur dari quoddam exercitium regalis dominationis Christi positum in debellandis inimicis, quod cessabit quum ultima inimica devincietur mors, id quod clarius efferet Paulus (I Cor. 15, 24 sq.).

2. Sed praecipuum argumentum desumptum ex testimonio *etiam evangelico* (Mt. 16, 18) non videtur efficax. Siquidem inde solum probatur indefectibilitas Ecclesiae *externa,* non vero interna. Textu non excluditur « *Deum* aliquando substituturum esse novum regnum Dei ». Sic Dieckmann, o. c. n. 380. Qui addit: « Solo quidem isto textu inspecto quaestio fortasse non penitus solvitur, cum verba Christi explicite non agunt nisi de repellenda potestate creata » ibid.

Resp. a) Si « portae mortis » significant imperium mortis, ut multis videtur, utraque defectibilitas, interna et externa, sufficienter excluditur verbis Christi. — *b)* Si « portae mortis » significant potestatem omnem diabolicam et antichristianam, etiamnum argumentum subsistere videtur. Triumphus quippe mortis supra Ecclesiam implicaret triumphum ipsius diaboli, qui « tenet mortis imperium ». Christus vult evidenter sollemniter efferre firmitatem Ecclesiae fundatae non super arenam, sed super petram. Quod si Ecclesia debeat propriae ac nativae infirmitati demum succumbere, nonne insipiens videatur sic premere et exaltare ipsius firmitatem contra fortissimum omnium inimicum? Quod verba Christi *explicite* non agant nisi de repellenda potestate creata (?) non tollit quod Christus implicite et vere agat de omni potestate inferente mortem suae Ecclesiae.

3. *Replicabis*: Verba « adversus eam » (αὐτῆς) probabiliter referuntur ad petram, non ad Ecclesiam. Atqui tunc ex verbis Christi nonnisi petrae indefectibilitas deduci potest. Ergo Ecclesiae indefectibilitas demum non probatur.

Resp. transmissa maiori, negatur prorsus minor propositio. Dato et non concesso verba « adversus eam » referri ad petram, Ecclesiae ipsius indefectibilitas invicte etiamnum concluditur. Perseverante quippe petra *qua tali* i. e. in munere sustentandi, aedificium ecclesiasticum eo ipso perseverare intelligitur. Hypothesis de petra quidem perseverante, Ecclesia vero corruente, est vere impertinens. Quorsum vellet Christus constitutam petram usque ad consummationem saeculi immotam *sine aedificio* (!)?

4. Sed textus etiam reliqui, imo omnia argumenta allata solum videntur probare *factum* durationis perpetuae, at minime ostendunt *impossibilitatem defectionis*. Ergo manet difficultas.

Resp. Negatur prorsus antecedens. Si Deus absolute promisit perennem Ecclesiae durationem, repugnat omnino ut Ecclesia possit deficere. Unde datur vera impossibilitas defectionis, non certe antecedens, sed utique consequens divinas promissiones.

5. *Instabis* adhuc: Etenim solum videtur excludi impossibilitas mutationis *in peius*, sed non evolutionis *in melius*. Ergo ...

Resp. Dist. Antec. Non excluditur possibilitas mutationis *substantialis* in melius N.; mutationis *accidentalis*, C. Sane si Ecclesia *substantialiter* mutaretur etiam in melius, tandem destrueretur seu desineret esse illa Ecclesia Christi, cui Deus promisit indefectibilitatem.

6. At promissiones perpetuitatis etiam factae sunt veteri synagogae (Psal. 104, 10; Isaias 49, 15), regno Davidico (2 Reg. 7, 13-16; Ps. 88, 4 et 47) et sacerdotio Aaronico (1 Reg. 2, 30). Atqui tamen haec omnia perierunt. Ergo ...

Resp. Dist. mai.: Haec promissiones factae sunt synagogae veteri, regno David et sacerdotio e familia Aaronis, quatenus erant typus novae Ecclesiae, novi regni et novi sacerdotii, C.; aliter, N.

7. Sed permanentia Ecclesiae necessario pendet a libera hominum voluntate. Atqui omnes et singuli homines possunt non ingredi in Ecclesiam,

Resp. Dist. mai.: Permanentia Ecclesiae pendet ab humana libertate divinae et efficaci providentiae subiecta, C.; huic providentiae subducta, N. Deus ab aeterno praevidit (et providit) quid homines reapse facturi essent in tempore, et nonnisi sub hac praescientia praedixit perennem Ecclesiae consistentiam.

8. At promissiones divinae videntur esse non absolutae, sed conditionatae. Etenim Paulus docet (ad. Rom. 11, 21-22) gentes insertas olivae iudaicae exscindi demum posse, nisi in fide et bonitate permanserint. Ergo ...

Resp. Dist. mai.: Promissiones divinae sunt conditionatae *respectu singulorum* fidelium, C.; respectu Ecclesiae universae, N. Paulus in loco allegato non loquitur de ecclesia universali, sed de singulis fidelibus, quorum extollentiam et confidentiam nimiam vult cohibere, ut patet ex toto contextu: cf. vv. 17-22. Quin imo Paulus in hoc eodem capite praedicit futurum esse, ut plenitudo gentium intret in Ecclesiam, et omnis Israel tandem salvus fiat. Tunc veniet consummatio (11, 23-26).

9. Saltem tempore Antichisti deficiet fides christianorum; siquidem parousiae Domini debet praecedere discessio seu apostasia generalis, II Thess. 2, 3 sq. Consonat Lc. scribens: « Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra? » (18, 8). Atqui vera fides est essentialis proprietas Ecclesiae. Ergo ..

Resp. Dist. mai.: Tempore Antichristi deficiet fides omnium fidelium, N.; deficiet (vel frigescet) fides in multis, C. Ex ipsis Christi verbis constat quod dies illi breviantur propter electos (Mt. 24, 22).

10. *Instabis*: Ex concessis illud consequi videtur, Ecclesiam ultimis illis temporibus non amplius permansuram catholicam et universalem. Atqui catholicitas facti, saltem moralis, est essentialis Ecclesiae proprietas. Ergo ex concessis Ecclesia substantialiter mutari, hinc corrumpi potest.

Resp. Transmissa maiori, dist. min.: Essentialis est Ecclesiae catholicitas illa, quae a Christo est praedicta et promissa, C.; alia, N. Si Christus ipse praedixit, ut vult adversarius, futuram esse in fine temporum quandam sat generalem discessionem seu defectionem, eo ipso constat non aliam catholicitatem competere Ecclesiae pro illa tali epocha, quam aliquam sat constrictam et relativam. Ceterum nec natura nec amplitudo illius apostasiae possunt sufficienter definiri ex verbis Christi. Tandem iuvat advertere magnam illam qualemcumque defectionem coincidere cum fine mundi. Unde nihil obstat quominus Ecclesia dicatur ad finem usque mundi permansura catholica.

Scholion I *De infallibilitate Ecclesiae*

Hoc primo scholio colligimus magni momenti consectarium, ex thesi proxime derivatum quod est Ecclesiae infallibilitas; secus enim non esset vere indefectibilis, ut scite notat de Guibert (de Ecclesia Christi, 1928, n. 92). Sane indefectibilitas Ecclesiae implicat impossibilitatem defectionis, hinc et corruptionis in rebus substantialibus. Atqui vera fides et doctrina pertinent ad substantialia religionis christianae quum fides sit radix et fundamentum totius vitae christianae. Ergo si Ecclesia universa posset

corrumpere evangelium Christi in rebus religiosis et fundamentalibus, eo ipso desineret esse vera Christi Ecclesia. Accedit quod allatum pro thesi argumentum ex verbis Christi (Mt. 28, 18 sq.) directe ostendit praedictam Ecclesiae praerogativam; ibi enim Christus sollemniter promittit se futurum cum Ecclesia sanctificante, docente et regente usque ad consummationem saeculi. Ergo sicut inde recte colligitur fieri numquam posse, ut in Ecclesia desint vera sacramenta, verum sacrificium, vera Christi praecepta ..., eodem modo colligatur oportet numquam fieri posse ut sana Evangelii doctrina substantialiter corrumpatur vel oblivioni tradatur. — Ceterum quaestio de magisterio ecclesiastico infallibili a Christo instituto alibi ex professo instituetur et via etiam criticohistorica solvetur. At haec infallibilitas ideo hic notatur, ut appareat logica rerum connexio, neve processus apologeticus necessario complemento carere videatur.

Scholion II - *De portis inferi*

Superius dedimus varias huius formulae interpretaiones. De singulari exegesi Doctoris Harnack agemus in thesi VIII. Hic examinanda venit sententia P. Schepens aliorumque, secundum quam: *a*) portae (πύλαι) nullam propriam significationem continent, sed mere pleonastice adhibentur; *b*) inferus (ᾅδης) significat simpliciter mortem; *c*) praevalebunt (κατισχύσουσιν) sumitur sensu intransitivo seu passivo; unde verba Christi directe continent promissionem immortalitatis Ecclesiae factam, non vero victoriam contra diabolicas aggressiones. Tota haec positio, licet scopo nostrae theseos apprime faveat, minus tamen probanda videtur. En rationes:

Πύλαι

a) Usus mere pleonasticus vocis πύλαι supponitur quidem a P. Schepens sicuti ab Harnack, sed non sufficienter probatur. Unicum fere argumentum petitur ex Tob. 13, 2 = « deducis ad inferos (εἰς πύλας ᾅδου) et reducis », collato cum Sap. 16, 13 =

« deducis ad portas mortis ». At huius argumenti inefficaciam bene ostendit Funck scribens: « ut ex contextu apparet, sensus est Deum magnis tribulationibus hominem etiam in extremum vitae periculum adducere posse et tamen ipsum salvare; ideo in cantico Tobiae immediate ante verba citata legimus: « *quoniam tu flagellas et salvas* » (Tob. 13, 2). Id poëtice quidem dici potest deducere « *ad inferos* »et reducere. Sed cum Auctor libri Sapientiae eundem sensum magis accurate exprimit per verba « *ad portas mortis* » deducere et reducere, sicut etiam Ezechias ex gravissimo morbo per miraculum sanatus (Is. 38, 10), ac similiter [ex apocryphis] Ps. Sal. 16, 2, et auctor libri tertii Machabaeorum (5, 51), ex hoc minime sequitur vocem « *portas* » mere pleonastice ad « *inferos* » addi. Nam graves morbi et tribulationes, de quibus in hisce textibus agitur, non in ipsam mortem seu in regnum mortis hominem adducunt, sed *ad* mortem, in eius viciniam adeoque « ad portas mortis » (Biblica, I, 1920, p. 242-243). Similem locutionem habes in Ps. XVII, 6: « Dolores (funes) inferni circumdederunt me; preoccupaverunt me laquei mortis »; ubi funes mortis et inferni significant extrema vitae pericula in quae adductus est David, quasi mors et orcus iam extenderint funes suos ad illum illaqueandum et capiendum.

b) *Portas* metonymice designare saepe totam civitatem vel domum planum videtur et ab omnibus generatim admittitur. *Portis* implicari etiam notionem *potentiae* et fortitudinis ostendere videtur ipsa ratio usus metonymici de qua recte scribit Lagrange: « Il faut tenir compte de la raison qui a suggéré ces metonymies. Les portes des palais et des forteresses sont, et tant que portes, des parties faibles; elles étaient devenues la partie forte, étant ordinairement surmontées des tours et des travaux de défense » (l. c. p. 325). Quid iam mirum si in portis contineri censeatur urbis munimen et praesidium? Ibi quippe adest miles speculator annuntians periculum imminens; ibi sedes iudicum, et exercendae iurisdictionis locus designatus; ibi et turres et muri et valvae et serae et vectes et reliquus munitionis apparatus. Ex quibus facile intelliges plenum sensum latentem sub his locutionibus biblicis: « possidebit semen tuum *portas inimicorum* tuorum » (Gen. 22, 17); « Nova bella elegit Dominus, et *portas hostium ipse subver-*

tit (Iudic. 5, 8); Ego ante te ibo; et gloriosos terrae humiliabo; *portas aereas conteram, et vectes ferreos confringam* » (Is. 44, 2) etc. Ipsa quoque urbs sancta Ierusalem in tuto collocata censetur eo quod Dominus *confortavit seras portarum* suarum (Ps. 147, 13). Nonne sat clarum videatur his portis aereis, ferreis subvertendis, conterendis, confrigendis, significari non meram et nudam civitatem, sed totam eius *potentiam et fortitudinem*?

Ἅιδης

Ἅιδης (scheol, infernus) in libris A. T. ut plurimum significat domicilium mortuorum instar carceris cuiusdam immensi ac subterranei suis portis communiti. Nova significatio clare effertur in N. T., ubi ᾅδης denotat *sedem damnatorum,* ut videre est in praetermisso a Schepens loco (Lc. 16, 22-23). Ubi infernus est *locus tormentorum,* praeparatus diabolo et angelis eius, a sinu Abrahae magno quodam hiatu separatus (ibid. v. 26).

Tetro huic damnatorum ac mortuorum domicilio principatur daemon, quippe qui peccatum induxit in hunc mundum, mortemque provocavit (Rom. 5, 12). Ideo diabolus dicitur habere *mortis imperium* (κράτος) Hebr. 2, 14; vocatur princeps huius mundi maligni (Io. 12, 31), eiusque potentia nuncupatur *potestas tenebrarum* (Lc. 22, 53).

Quod si voci πύλαι (portae) annexa est significatio potentiae, vox autem ᾅδης (infernus) denotat locum ubi principatur diabolus, vides formulam « *portas inferni* » aptissimam esse ad designandam omnem potentiam infernalem ac diabolicam Regni Dei et Christi inimicam. Hanc talem potentiam *reapse designari* in nostra pericope Matthaei 16, 18: « Et portae inferi non praevalebunt adversus eam » vehementer suadetur sequentibus indiciis:

Primo quidem hostilitas ac pugna inter regnum Christi et diaboli fortiter premitur iam in Antiquo Testamento (cf. Gen. 3, 15); Ps. 2° toto; Dan. 2, 44-45; 7, 18 sq. etc.); Eadem hostilitas et oppositio non minus clare effertur in Novo Testamento sive ab ipso Christo (Mt. 13, 24 sq. collato cum vv. 36 sq.), sive a principe apostolorum (I Petr. 5, 8), sive a Paulo (Ephes. 5, 11-13).

— Ipsa *dein* fraternitas christiana, id quod maxime notandum est, praecise per Petrum *contra aggressiones diabolicas* firmanda a Christo exhibetur in noto evangelii loco (Lc. 22, 31-32). — *Accedit* quod metaphora *clavium*, quibus promissa Petro potestas significatur, insinuare videtur quod portae portis, claves clavibus opponuntur. — *Quarto* notanda venit vox οὐ κατισχύσουσιν (non praevalebunt), quae ad aggressionem hostilem designandam aptissima est (cf. Act. 19, 16; Apoc. 12, 7-8; Ier. 15, 18; Sap. 7, 30 et 19, 19). — Patrum *demum* sententia atque interpretatio huic nostrae exegesi non parum roboris adiicit, illorum praecipue qui in omni graecitate sunt apprime versati.

Patres Graeci imprimis audiantur: *Origenes* portas inferni maxime intelligit « falsas haereticorum doctrinas », quales fuere Marcionis, Basilidis, Valentini (MG. 13, 1008); *Epiphanius*: « portas inferi divinus sermo impiorum hominum coetus atque haeresum blasphemias intelligit » (MG. 78, 329); eadem est sententia *Maximi* (MG. 91, 140); *Theodoretus Stud.* asserit quod non praevalebunt usque ad consummationem saeculi portae inferi « ora scilicet haereticorum » (MG. 99, 1282); *Theophilactus* eodem fere modo: « Et haeretici quoque portae sunt ad infernum ducentes » (MG. 129, 320); *Euthymius* vult portas inferi intelligi « blasphemias quae a gentibus ac haereticis proferuntur » (MG. 129, 468); *Bessarion* portas inferi vocat « haereticorum novitates » (MG. 161, 468).

Patres Latini in eadem sententia abundant. Possunt conferri *Ambrosius* (ML. 16, 827), *Leo M.* (ML. 54, 14), *Gregorius M.* (ML. 79, 626), *Gregorius VII* (ML. 148, 340), *Nicolaus I* (Mansi 16, 59 B).

Scholion III *Dogmaticum*

Thesis tota de indefectibilitate Ecclesiae sat clare continetur in libris inspiratis utriusque Testamenti, unde dici potest *de fide divina*. Quin imo ex magisterio ordinario Ecclesiae teneri potest ut doctrina *de fide catholica*. Nec desunt documenta explicita:

a) Pius VI damnavit doctrinam Synodi Pistoriensis asserentem « postremis hisce saeculis sparsam esse generalem *obscu-*

rationem super veritates gravioris momenti spectantes ad religionem, et quae sunt basis fidei et moralis doctrinae Iesu Christi » (DB. n. 1501).

b) *Concilium Vaticanum* definiens perpetuitatem primatus Petro a Domino concessi, eo ipso implicite definit perpetuitatem ipsius Ecclesiae (DB. n. 1825). Definitio expressa praeparata erat in Schemate eiusdem Concilii: « Declaramus insuper Christi Ecclesiam, sive existentia sive constitutio exspectetur, societatem esse penennem atque indefectibilem, nullam post illam neque pleniorem neque perfectiorem salutis oeconomiam exspectandam esse ». Cf. Lac. VII, 569 et 577; item canones 2, 7 et 8.

c) *Decretum* « *Lamentabili* » proscribit propositionem 53 antimodernisticam: « Constitutio organica Ecclesiae non est immutabilis, sed societas christiana perpetuae evolutioni aeque ac societas humana est obnoxia » DB. n. 2053.

Ergo thesis dici debet de fide catholica (implicite definita — et de fide explicita proxime definibili).

Notae bibliographicae

Ad ipsam thesim: Utiliter conferes *D'Herbigny,* o. c., n. 59-67; *Franzelin,* De Ecclesia Christi, 1887, p. 346-377; *Palmieri,* De romano Pontifice, 1891, p. 27-39; *De San,* o. c., n. 59-77; *Wilmers,* o. c., n. 35-40; *Mazzella,* o. c., n. 446-470; *Billot,* o. c., p. 102-117; *Lercher,* De vera religione, De Ecclesia Christi, 1927, n. 400-404.

De adversariis: Varias Confessiones Protestantium afferunt *Karl-Müller:* Die Bekenntnisschriften der reformierten Kirche, 1903! *Müller-Kolde*: Symbolische Bücher der lutheranischen Kirche, 1912. — Doctrinam Lutheri eiusque evolutionem circa visibilitatem Ecclesiae exhibet *Dieckmann,* o. c., n. 548 sq. — Doctrinam Melanchthon et Calvin eorumque evolutionem refert *H. Strohl* in Revue d'Histoire et de Philosophie religieuses, 1936, p. 265 sq. — Protestantes fuisse constrictos recurrere ad notionem Ecclesiae invisibilis propter difficultatem derivatam ex ortu *recenti* suae Ecclesiae candide fatetur Iurieu: « Ce qui a porté quelques docteurs réformés à se jeter dans *l'embaras* où il se sont engagés en niant que la visibilité de l'Eglise fût perpétuelle, c'est qu'ils ont cru qu'en avouant que l'Eglise est toujours visible, ils auraient en peine à répondre à la question que l'Eglise romaine nous fait si souvent: où était notre Eglise il y a cinquante ans. Si l'Eglise est toujours

visible, votre Eglise calvinienne et luthérienne n'est pas la veritable Eglise, car elle n'était pas visible» apud Bossuet in Hist. d. variations l. XV, n. 17. Quam sit profundum istud *embarras* perspicue videbis si legas *Harnack* in Das Wesen des Christentums (1913), p. 170.

Ad difficultatem praecipuam: Difficultas moveri solita contra visibilitatem Ecclesiae, ex eo quod vera promissionum Ecclesia sit obiectum fidei, longe lateque examinatur a *G. Huarte* in «Gregorianum», vol. III, 1922, p. 75-98: «Quomodo Ecclesia Christi, quae visibilis est, possit esse obiectum fidei».

De portis inferi: Possunt conferri *Harnack* in Abhandl. der Akad. der Wiss., 1918, n. XXXXII, p. 637 sq. — *Schepens* in Rech. des Sc. Relig., t. X, 1920, p. 269 sq. — *Lagrange* in Evangile selon saint Matthieu, 1923, p. 325-326. — *Ottiger*, Theologia Fundamentalis II, 1911, p. 319 sq. — Item probati commentatores biblici in Mt. 16, 18 passim.

THESIS VII

Christus Ecclesiam suam hierarchice constituit instituendo sacrum imperium in Collegio Apostolorum. Divinae huic institutioni apprime respondet prima ecclesiarum historica constitutio; quae nuspiam apparet democratica aut charismatica, sed ab initio hierarchica.

Praenotanda

1. Novimus Ecclesiam a Christo institutam in forma sociali, perenni, eaque visibili seu discernibili. Porro primum verae Ecclesiae discerniculum suppeditat ipsa eiusdem *socialis figura* seu structura hierarchico-monarchica. Qua recte constabilita ac demonstrata, eo ipso manent eliminatae a vero censu Ecclesiae omnes coetus christiani, qui regimine utuntur sive democratico, ut Lutherani, Reformatores et omnis generis Congregationalistae, sive mere episcopali ut Anglicani, Episcopaliani Americani, et Orientales separati. In hac thesi VII statuitur et vindicatur hierarchica Ecclesiae constitutio.

2. *Hierarchia* vi vocis idem est ac sacer principatus seu sacrum imperium. Si *abstracte* sumitur, significat ipsam potestatem

sacram; si *concrete* accipitur, denotat personam seu coetum personarum, quae sacram illam potestatem detinent ac exercent. Potestas porro Ecclesiae vocatur *sacra* sive ratione *fontis* e quo dimanat, qui est Christus; sive ratione *finis* ad quem destinatur, qui est et Dei glorificatio et animarum sanctificatio; accedit ratio *personarum* in quas exercetur, qui sunt homines baptizati ideoque consecrati et divino cultui mancipati.

3. Triplex datur in Ecclesia potestas sacra seu hierarchica:

a) *Potestas ordinis,* quae tota ordinatur ad Dei cultum et hominum sanctificationem. Hinc primo potestas *sacrificalis* seu ad offerendum sacrificium eucharisticum; dein potestas *sacramentalis* ad sacramentorum confectionem et administrationem. Haec potestas confertur Ordinis sacramento, innititur characteri, ideoque semel recepta manet indelebilis, habet dynamismum sibi proprium quem ex opere operato appellant, quatenus effectum suum producit vi propria signo sacramentali divinitus insita, ideoque independenti a meritis personae ministrantis et recipientis. Tres sunt in hac potestate gradus divinitus constituti episcopi, presbyteri, ministri: quibus alii minores iure ecclesiastico additi sunt.

b) *Potestas magisterii* illa est quae pro obiecto habet sacrum revelationis depositum custodire, explicare, tueri idque non mere doctrinaliter more magistri humani, sed authentice seu auctoritative vi missionis divinae. Vi huius potestatis dirigitur activitas *intellectiva* in finem socialem.

c) *Potestas iurisdictionis* est idem ac auctoritas competens societati perfectae. Definitur vero potestas moralis obligandi membra societatis ut ad bonum commune suis actibus conspirent. Solet vero in ea distingui functio triplex: *legislativa* ad quam spectat leges ferre in conscientia obligantes, quibus socialis conspiratio ordinetur ac inducatur; *iudicialis,* cuius est iudicare authentice tum de genuino sensu legis, tum de conformitate aut difformitate quarundam actionum cum ipsa lege et sic demum exortas circa legem controversias auctoritative dirimere; *coactiva,* cuius ope morosi et inviti coguntur, rebelles ac contumaces coercentur. — Potestas legislativa duplex distinguitur: alia *absoluta,* si nempe extenditur ad ipsa *constitutiva societatis,* eaque potuerit ab initio condere et

deinceps abrogare aut mutare; alia relativa, si constitutionem socialem ita debet revereri, ut eam possit solum interpretari et applicare, non vero immutare. Ope potestatis iurisdictionalis dirigitur in finem socialem *activitas affectiva* seu voluntatis et, hac mediante, ipsarum quoque facultatum executivarum. — Potestas iurisdictionis confertur per *missionem* sive Christi sive Ecclesiae, habetque in Ecclesia iure divino duplicem gradum, episcopatum nempe et papatum. — Descripta hactenus iurisdictio spectat ad *forum externum,* et directe ordinatur ad bonum communitatis; praeter quam datur quoque iurisdictio *in foro interno* ad bonum singulorum directe ordinata, quae potest exerceri sive sacramentaliter (in s. poenitentiae), sive extrasacramentaliter v. gr. cum solvitur vinculum contractum ex iuramento, voto, etc.

Status quaestionis delimitatur

a) Quaestio de hierarchica Ecclesiae constitutione nequit adaequate resolvi, nisi probetur Christum instituisse sacrum imperium, sacrum ministerium seu sacerdotium et authenticum magisterium. Attamen quaestio de potestate *ordinis* iure a nobis praetermittitur, habet enim sedem propriam in theologia sacramentaria. Quaestio vero de potestate *magisterii* ad alium locum huius tractatus merito reservatur. Remanet ergo agitanda praeprimis quaestio de potestate iurisdictionis (in foro externo), a qua tamen nequit penitus divelli potestas magisterii.

b) Porro intentum thesis est ostendere Ecclesiam fuisse a Christo constitutam *non democratice, sed hierarchice* i. e. potestatem regiminis fuisse a Christo directe et immediate traditam non toti fidelium multitudini, sed determinato cuidam coetui personarum seu Collegio apostolorum. — *Apostoli* intelliguntur sensu stricto i. e. illi duodecim qui in evangeliis apparent clare distincti ab omnibus reliquis fidelibus et discipulis qui Christum plus minus arcte sequebantur, suntque ab ipso Christo immediate electi, educati et missi ad continuandam suam divinam missionem. — Apostoli porro considerantur *collegialiter,* efformantes nempe aliquod collegium, non eo sensu quod omnis iurisdictio sit collegialiter exercenda, sed eo potius quod Apostolis confertur iurisdictio

qua membris huius collegii. — De Mathia et Paulo in thesi directe non agitur, quia non sunt constituti in apostolatu a Christo vivente in terris; hinc verba evangelica ad ipsos non spectant.

c) Agitur, ut planum est, de potestate iurisdictionis non absoluta, sed *relativa,* et quidem sensu quodam generali, non speciatim de triplici functione legislativa, iudiciaria et coactiva, de quibus singillatim et distinctim agi solet in Institutionibus Iuris Canonici. Vides Ecclesiam dici hierarchicam non tantum ratione *potestatis* quae sacra est, sed etiam ratione *ipsius constitutionis* socialis, quae rursus sacra est, quatenus ipse Iesus Christus directe designavit subiectum huius potestatis, non totam fidelium multitudinem, sed determinatum personarum coetum seu collegium apostolicum; hinc est quod Ecclesia necessario dicatur et sit *societas inaequalium;* porro inaequalitas haec duplex est; primo quidem distinctio inter clerum et laicos ratione potestatis ordinis; dein distinctio intra ipsum clerum ratione potestatis iurisdictionis.

Positio adversaria

Thesi nostrae adversatur duplex error. Primus eorum qui democraticam Ecclesiae constitutionem tuentur; dein eorum qui primitivam Ecclesiae constitutionem charismaticam fuisse contendunt, quae demum in hierarchicam deformata sit.

Marsilius Patavinus merito habetur ut auctor ac praeformator systematis democratici ecclesiastici in opere « Defensor Pacis » (1324). Totum hoc opus eo tendit, ut potestatem Status ac imperatoris exaltet, ecclesiasticam vero et maxime papalem minuat ac deprimat. Praemittitur theoria Status, ad quem spectat pacem publicam civium fovere, ac felicitatem eorum procurare praeprimis temporalem ac dein etiam aeternam et spiritualem. Tria elementa eo concurrunt: exercitus, sacerdotium, magistratus. Potestas oritur a Deo, at in Novo Testamento immediate radicatur in populo, qui tradit eam Imperatori, ubi habetur quaedam populi quasi incarnatio ac repraesentatio. — Sequitur theoria de Ecclesia, quae sic habet: Christus est auctor Ecclesiae; hinc nulla in ea potestas, nisi illa quam Christus eidem commisit. Porro Christus instituit sacerdotium cum potestate ordinis (et iurisdictionis in foro in-

terno sacramentali) at nullam instituit potestatem iurisdictionis coactivam. Sacerdotes possunt plebem instruere, monere, hortari, terrere, minari... at « tota Ecclesia simul iuncta nullum hominem punire potest punitione coactiva nisi concedat hoc imperator » (DB. n. 499). Quin imo nec ipse Christus voluit habere in terris ullam potestatem coactivam, quippe qui venerit non dominari, sed ministrare. Probant hoc ipsius Christi sive dicta sive facta. In primis asseruit ipse regnum suum non esse de hoc mundo (Io. 8, 36), negavit se esse constitutum iudicem super alios (Lc. 12, 14). Deinde substraxit se ab eis qui volebant eum regem facere, tributum solvit Caesari non liberaliter, sed vera necessitate coactus (Mt. 17, 24-27), nec voluit apostolos suos dominari ut reges (Lc. 22, 25), quorum est vis coactiva. Christus certe habebat dominium supra cunctos homines, at vis coactiva exercetur non in hac vita, ubi semper est paenitentiae locus, sed in alia, ubi est futurum iudicium. — Potestas ergo iurisdictionis tota residet in populo vel « valentiori parte civium », hinc transit ad imperatorem, inde ad episcopos caeterosque praepositos ecclesiasticos. Hinc sequitur quod spectato iure divino nullum fuit discrimen iurisdictionis inter Petrum et reliquos apostolos, nullum inter episcopos et presbyteros. Imperator potest disponere de bonis Ecclesiae, potest Papam instituere, corrigere, deponere. Imperatoris est concilium universale convocare, ad quod ceteroquin evocandi sunt non tantum clerici, ritus instituere, leges dogmaticas et disciplinares edere, dispensationes concedere, caelibatum clericorum moderari, sanctos canonizare, obscuriora Scripturae loca authentice interpretari. Vides in hoc systemate vere revolutionario totam Ecclesiae constitutionem susque deque verti, potestatem pontificiam totaliter enervari, imperatoriam vero fere divinizari. Marsilii errorem magnam partem renovarunt Richeriani, Febroniani, synodus Pistoriensis et omnis generis Regalistae.

Luther in suis praelectionibus de epistula ad Romanos (1515) agnoscit hierarchiam ecclesiasticam, eamque celebrat ut fortissimum contra haereticos telum. At paulatim ad totalem eius destructionem devenit. Ansam praebebant quum depressio psychologica, tum doctrina de iustificatione ex sola fide sine operibus, quam in

scriptis Pauli se invenisse ratus est. Hanc doctrinam quum optime nosset Ecclesiae dogmatibus esse contrariam, nec sperare liceret fore ut Ecclesia a suis placitis recederet, ab ea se separare decrebit. Hinc, detrectata primum obedientia Cardinali Cayetano, pessumdata dein omni potestate papali et conciliari, auctoritatem omnem reponebat in Scripturis, quas singulis fidelibus sub interna Spiritus illuminatione interpretandas permittebat. Eo ipso viam sibi praecludebat ad aedificandam novam Ecclesiam, quam Romanae opponeret. At practica necessitate coactus cogitare demum debuit de organizandis communitatibus christianis, quas voluit praedicatione verbi efformatas, spiritu evangelico imbutas, inter se independentes, quae superiores suos ad normam Scripturae seligerent modo democratico. Tandem Luther omnem auctoritatem ecclesiasticam concessit *principi saeculari*, qui tamquam membrum principale ecclesiae iurisdictionem in ea exerceret primo quidem per *superintendentes* a se nominatos, deinde per *consistoria* quibus ipse auctoritatem conferebat.

Calvin in sua Institutione religionis christianae (edit. 1543) admittit ministerium ecclesiasticum divinitus constitutum, quod ait esse verum nervum Ecclesiae, eique adeo necessarium ut sol, lux et aer vitae necessaria esse possint. Quinque ministeria recenset ex Paulo ad Ephes. 4, 11 sq.: Apostolos, Prophetas, Evangelistas, doctores et pastores. Tria priora sunt extraordinaria et temporanea pro prima Ecclesiae fundatione necessaria vel etiam aliquando pro ipsius reparatione seu reformatione. Functio doctoratus est praedicare verbum Dei ex Scripturis. Ad pastores spectat praedicare, administrare sacramenta, praeesse disciplinae. Ex epistula ad Rom. eruitur aliud duplex officium ordinarium = gubernatio et opitulatio; gubernatio pertinet ad pastores opitulatio ad ministros. Horum duae classes: alii ad distributionem eleemosynarum, alii ad curam pauperum. Unde ministri ecclesiastici demum sunt: doctores, pastores, presbyteri, diaconi. Omnes hi ministri eliguntur a populo et deputantur ad ministerium per cheirotoniam. — Tota potestas ecclesiastica revocatur ad praedicationem verbi, ad sacramentorum administrationem, ad disciplinae externae moderamen. *Iurisdictionem* quod attinet, adest in Eccle-

sia potestas *excommunicandi* (ex Mt. 18, 17), arcendi nempe aliquod membrum indignum a coena et communitate locali: haec potestas pertinet ad ipsam communitatem, exercetur vero per consistorium seu coetum praesbyterorum, quos communitas eligit. Potestas legislativa proprie dicta non datur. Pastores possunt hortari *plebem* ad jejunia, ad praeces publicas, ad poenitentiam publicam, non vero obligare, multoque minus cogere. Quoad regimen *cleri* admittitur in ecclesia potestas imponendi eis quasdam obligationes *iure ecclesiastico* inducta. — Huius theoriae affinitatem cum ecclesiologia *Bucer* thesi superiori notavimus.

Recentiores rationalistae et Protestantes liberales hierarchiam ecclesiasticam divinitus institutam admittere non possunt, quum negent ipsam Ecclesiae institutionem a Christo factam. Regimen hierarchicum pro his est fructus evolutionis transformantis et deformantis primaevam et charismaticam ecclesiarum constitutionem. De ordine hierarchico et charismatico in ecclesia primitiva agemus in Scholio.

Probatur thesis

Thesis probari potest ex verbis evangelicis sive promissionis sive collationis. At argumentum *integrale* satius construitur ex triplici elemento mire in unum confluenti. Apostoli primo recipiunt hierarchicae potestatis promissionem, dein collationem, demum eam exercent, populo minime refragante, Deo vero contestante signis et portentis. Sit ergo in primis

Stadium promissionis

Textus: Argumentum maxime petitur ex Mt. 18, 18: « Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis (δήσητε) super terram, erunt ligata et in caelo: et quaecumque solveritis (λύσητε) super terram, erunt soluta et in caelo ».

Contextus. Caput 18um Mt. continet *instructionem pastoralem*, qua docentur Apostoli, futuri pastores in Regno Dei, de modo agendi sive cum singulis (1-15), sive cum societate ecclesiastica (15-18). Instructio videlicet provocabatur contentione discipulo-

rum disputantium quis eorum maior videretur in regno caelorum (v. 1). Christus pragmatice docet quinam sint habendi maiores in hoc regno (2-3). Parvuli (sive aetate sint tales sive etiam conditione sociali) sunt maxime a Deo aestimati; hinc praeservandi quam maxime a scandalo, minime contemnendi, sed sollicite quaerendi et protegendi cura vere pastorali (4-14). Porro si quem *fratrem* peccare contingat (in te?), non statim dure castigandus, sed benigne corripiendus primo quidem correptione secreta, dein magis publica, demum, nisi resipiscat, a tota ecclesia, cuius sententia definitiva certe efficax erit coram Deo (15-17). Sequuntur verba promissionis sollemnia: Amen dico vobis ... superius allegata.

Authentia horum verborum sive litteraria sive historica supponitur demonstrata in Introductione: hic breviter solvendae allatae obiectiones. Opponuntur rationes vel mere internae vel mere negativae. Priores innituntur sive falso supposito de annuntiato a Christo Regno Dei mere eschatologico, aut mere interno ..., sive apparenti oppositioni horum verborum cum aliis soli Petri a Christo directis (Mt. 16, 19). At oppositio reapse nulla est. Ibi quippe potestas suprema soli Petro promittitur; hic eidem Petro cum reliquo coetu apostolico sibi subordinato. — *Ratio negativa* desumitur e silentio huius pericopes in locis parallelis. Tamquam loca parallela allegantur: *a*) ex epist. Pauli ad Titum 3, 9: « Haereticum hominem post unam et secundam correptionem devita ... ». — At hic textus non est nostro parallelus. Hic agitur de *haeretico homine* corripiendo; ibi de simplici fratre qui nihil contra fidem peccavit; *b*) ex Mc. 9, 33 sq.: Hic locus certe est parallelus; at ratio omissae pericopes in promptu est. Verba promissionis apud Mt. dicta sunt occasione correptionis fraternae. Sed Marcus omittit *totam* pericopen de correptione fraterna; *c*) ex Lc. 9, 46 sq. Hic etiam locus est parallelus, at ratio omissionis eadem est. Quod attinet Lc. 17, 3-4, etiam hic omittitur varius correptionis gradus qui praecise ansam dabat verbis Christi apud Mt. Ceterum constat argumentum e mero silentio non valere contra authentiam textus, cui testimonium perhibent fontes positivi. Advertas strictam connexionem v. 18 (apud Mt.) cum v. 17: « si Ecclesiam non audierit, sit tibi *sicut ethnicus et publicanus* ». Totam hanc pericopen

omitti in evangelio Mc. et Lc. *ad gentes* destinato, facile intelligitur.

Argumentum iam sic construitur: Verba promissionis diriguntur ad solos apostolos. Atqui in his verbis continetur promissio verae potestatis iurisdictionis. Ergo

Maior probatur: *a*) ex indole vocis qua designantur = discipuli, οἱ μαθηταί, quae vox in tota hac sectione Matthaei constanter designat solos apostolos: cf. Mt. 16, 5, 13, 20, 21; 17, 6, 10; 13, 15, 18; 19, 13 etc. Unica forte exceptio recurrit in Mt. 16, 24, quae tamen penitus dissipatur ex parallelo Mc. 8, 34: « Et convocata *turba* cum *discipulis* ... »; *b*) e natura rei de qua agitur. Christus alloquitur eos qui disputabant inter se, quis eorum videretur maior esse in regno caelorum; at haec disputatio propria erat apostolorum, quos hac de re solitos fuisse contendere aliunde constat; *c*) omne demum dubium tollitur e loco parallelo apud Mc. 9, 33 sq.; « Et residens (Iesus) vocavit *duodecim*, et ait illis ... ». Quem locum nostro esse parallelum constat ex identitate totius scaenae narratae. Agitur enim apud utrumque evangelistam de discipulis contendentibus circa primatum. Agitur de Christo collocante puerum in medio discipulorum, eisque commendante humilitatem, parvulos recipiendos in nomine Christi, scandalum vitandum. Accedit identitas temporis et loci (Capharnaum).

Minor ostenditur: *a*) Verba ligare δέειν et solvere λύειν sensu obvio significant aliquod vinculum seu ligamen imponere aut tollere. Cum vero sermo sit de entibus liberis ligandis aut solvendis, patet hoc vinculum esse morale i. e. obligationem in conscientia. — Sensus *biblicus* vocis confirmat: cf. Mt. 5, 11; 16, 19; Lc. 13, 13 et 16; Act. 20, 22: 1 Cor. 7, 27 et 39: Rom. 7, 2 sq. Ubi semper agitur de vero ligamine (physico aut morali) imponendo aut tollendo. Maxime vero notandus locus Mt. 16, 19 ubi ligare et solvere implicant exercitium clavium de quibus sermo deinceps recurret; *b*) Certe haec verba (solvere et ligare), ex qua parte respiciunt sententiam in caelis pronuntiatam, non significant meram declarationem liciti aut illiciti, sed veram impositionem aut dissolutionem vinculi moralis. Ergo eodem modo debent intelligi, quum agitur de prima parte verborum Christi; *c*) Talis est vis potestatis hic promissae, ut lex terrae eo ipso fiat lex caeli i. e. a Deo

sancita. Ergo inducit veram obligationem in conscientia; *d)* Hoc ipsum constat ex effectu quem haec vincula inducunt, eiicere nempe incorrigibilem et scandalosum e coetu christiano seu *excommunicare,* in quo apparet exercitium potestatis iudiciariae et executivae in foro externo. Sic optime intelligitur quomodo cohaereat versiculus 17us cum 18°. Nam in hoc ultimo versu ratio affertur quare frater denuntiatus habendus iam sit tamquam ethnicus et publicanus, quia fuit vere excommunicatus a potestate ecclesiastica iuxta verba Christi: quacumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo.

Stadium institutionis

Textus in quibus agitur de sollemni et definitiva apostolorum missione sunt:

Io. 17, 18: « Sicut tu me misisti in mundum, et ego misi eos in mundum. Io. 20, 21: Sicut misit me Pater, et ego mitto vos: Haec quum dixisset, insufflavit et dixit eis: Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt ».

Mt. 28, 18-20: « Et accedens Iesus locutus est eis dicens: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis ». Cf. Mc. 16, 15-16.

Habes hic sollemnem discipulorum *missionem* universalem, et collatam per eam veram *potestatem* hierarchicam. De authentia horum textuum alibi agitur.

Forma argumenti eadem esto: Haec verba diriguntur ad solos apostolos. Sed in verbis continetur vera hierarchicae potestatis collatio. Ergo ...

Subiectum missionis constitui solis apostolis patet sive ex Io. 17, 18, ubi Iesus alloquitur apostolos congregatos in ultima coena (cf. Mt. 26, 20; Mc. 14, 17; Lc. 22, 14 et 30), sive ex Mt. 28, 18 collato cum v. 16: « *Undecim autem discipuli* abierunt in Galilaeam in montem ubi constituerat *illis* Iesu ... Et accedens Iesus locutus est eis ... ».

Obiectum missionis constitui vera potestate hierarchica apostolis collata ostenditur tum ex Ioanne tum vel maxime ex Matthaeo. Ioannes (20, 21-23) explicite quidem loquitur de sola potestate remittendi et retinendi peccata, hinc de potestate sacramentali et iurisdictionali in foro interno; at in collata hic missione universali, simili missioni ipsius Christi, implicari potestatem quoque imperii et magisterii indubium videtur, ut late ostendit *Franzelin,* de Ecclesia Christi (1887), thes. 9, pag. 112 sq. — Ipse Ioannes in oratione sacerdotali (17, 18 et 20) exhibet potestatem magisterii authentici inclusam in missione discipulorum. Sed tota amplitudo potestatis hierarchicae clarius manifestatur in Mt. 28, 18 sq.: Ubi: *a*) ipse Christus appellat ad amplissimam potestatem sacerdotalem, magisterialem et regalem sibi a Deo collatam in caelo et in terra. Porro *huius* potestatis participes reddit suos apostolos missos in universum mundum ad continuandum opus redemptionis: « euntes *ergo* discipulos facite omnes gentes ... »; *b*) Christus hic tradit discipulis veram potestatem magisterii authentici; etenim qui non crediderit, condemnabitur (Mc. 16, 16). Atqui in magisterio authentico implicatur vera iurisdictio; *c*) Apostoli debent docere fideles baptizatos servare quaecumque Christus mandavit. Atqui ipse Christus iussit fratrem incorregibilem duci ad tribunal apostolorum *vere ligandum* ab ipsis eorumque successoribus. Ergo promissa olim potestas publica ligandi et solvendi hic confertur; *d*) Demum evidens est hic Apostolis a Christo concedi simul cum sollemni missione *omnem potestatem* necessariam ad implantandas, organizandas et regendas communitates christianas in toto mundo. Atqui ad hoc opus necessario requiritur vera et ampla potestas iurisdictionis qua res liturgica et sacramentaria ordinetur, haeretici iudicentur, perversi ac scandalosi christiani excommunicentur, ministri ecclesiarum constituantur, alumni et candidati ad sacerdotium efformentur, leges publicae ad bonum communitatis ferantur etc. etc. Ergo.

Stadium executionis

Ostendimus hierarchicam Ecclesiae constitutionem ex verbis Christi sive promissoriis sive collatoriis. Porro divinae huic insti-

tutioni apprime correspondet historica communitatum christianarum constitutio prima; quae nuspiam apparet democratica aut charismatica, sed ab initio hierarchica. Consideremus primo ecclesias in Iudaea, dein apud gentes.

Ecclesiae iu Iudaea

1. *Petrus* in primis docet cum imperio complendum esse numerum duodenarium collegii apostolici proditione Iudae imminutum: « Oportet impleri Scripturam, quam praedixit Spiritus sancatus per os David de Iuda qui ... connumeratus erat in nobis, et sortitus erat sortem ministerii huius ... Oportet ergo ex his viris qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus ... Et statuerunt (ἔστησαν) duos, Ioseph ... et Mathiam. Et orantes dixerunt: Tu Domine qui corda nosti omnium, ostende quem *elegeris* ex his duobus unum accipere locum ministerii huius et apostolatus ... Et dederunt sortes eis, et cecidit sors super Mathiam, et annumeratus est (συγκατεψηφίσθη) cum undecim apostolis » (Act. 1, 16-26). Ubi distinguantur actus tres: *praesentatio* candidatorum — *electio* praesentatorum — electi *confirmatio* seu *investitura* apostolatus. Porro apparet clare quaenam sint in toto hoc negotio partes Petri, communitatis, Dei. *a*) *Petrus* totam rei initiativam sumit, interpretatur Scripturas, annuntiat necessitatem executionis, designat conditiones candidati; *b*) *Communitas* praesentat candidatos; *c*) Electio committitur facienda non populo aut apostolis, sed *ipsi Deo* (ostende *quem elegeris*) manifestanti voluntatem suam per sortes (cf. Prov. 16, 33). Investitura apostolatus a fortiori Deo reservatur; quippe cooptatio in Collegium apostolicum, hinc participatio potestatis hierarchicae immediate electionem subsequitur absque ullo interventu ecclesiastico. Verbo: *praesentatio* fit (democratice) ab ipsa communitate. Rei *initiativa et directio* fit (hierarchice) a Petro. *Electio et investitura,* sicut decebat dignitatem Apostoli, fit ab ipso Deo. Hinc fluit maximi momenti corollarium: dignitas nempe et auctoritas apostoli venit non a delegatione populi, sed ab ipsa Dei

electione et missione: rectores ergo communitatis sunt non mandatarii plebis, sed ministri Dei.

2. *Petrus cum apostolis praeest primae communitatis efformationi.* Effusio charismatica in die Pentecostes provocavit magnam admirationem in populo: « Stupebant autem omnes et mirabantur ad invicem dicentes: Quidnam vult hoc esse? Alii autem irridentes dicebant: quia musto pleni sunt isti » (Act. 2, 12-13). *Stans autem Petrus cum undecim* levat vocem suam, vindicat collegas ab obiecto vitio ebrietatis, annuntiat venisse iam tempora vaticinata a propheta Ioel, obiicit Israelitis crimen interfecti Messiae, promulgat omni domui Israel Christum e mortuis redivivum constitutum a Deo esse Dominum in caelis (Act. 2, 4 sq.). Compuncti corde Iudaei accurrunt ad Petrum et apostolos, quaeruntque conditiones salutis. Petrus iuxta mandata Christi imponit eis ritum baptismalem pro aggregatione ad novum populum (Act. 2, 37-42).

3. *Apostoli praesunt novae communitati*: « Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis (graece: καὶ τῇ κοινωνίᾳ, τῇ κλάσει τοῦ ἄρτου) et orationibus ... multa quoque prodigia et signa per Apostolos in Ierusalem fiebant (Act. 2, 42-43). Ubi communitas apparet constituta sub Apostolis praedicatoribus, liturgis, taumaturgis.

Ipsa res oeconomica Apostolis administranda traditur: « Quotquot enim possessores agrorum aut domodum erunt vendentes afferebant pretia eorum quae vendebant, et ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat » (Act. 4, 34-35). Porro Petrus apparet ut instrumentum Dei ad intimandam iram divinam contra fraudantes de pretio (Act. 5, 1-11).

5. *Diaconi constituuntur ab Apostolis*: Crescente numero discipulorum fit murmur Hellenistarum contra Hebraeos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum, id quod ansam praebet primae diaconorum constitutioni (cf. Act. 6, 1-6). Ubi apprime distinguuntur partes populi et Apostolorum. *Electio* candidatorum fit a populo. *Confirmatio* seu *constitutio* diacono-

rum fit ab Apostolis, qui decernunt necessitatem electionis, designant numerum et conditionem candidatorum, et orantes imponunt manus novis ministris.

6. *Communitatis Samaritanae hierarchica efformatio*: Fervida Stephani praedicatio movet iras Hellenistarum et oritur prima contra Ecclesiam persecutio. Porro persecutio provocat dispersionem praeconum evangelicorum. Philippus diaconus evangelizat civitatem Samariae. Apostoli mittunt Petrum et Ioannem, qui manus imponunt novellis christianis et praedicant in multis regionibus Samariae (Act. 8, 2-25). Vides regionem Samaritanam evangelizari novamque communitatem efformari sub Petro, Ioanne et Philippo in diaconia hierarchice constituto.

7. *Prima ecclesiarum visitatio sub Petro*: « Ecclesia quidem per totam Iudaeam, Galilaeam et Samariam habebat pacem, et aedificabatur ambulans in timore Domini ... factum est autem ut Petrus dum *pertransiret universos,* devenit et ad sanctos qui habitant Lyddae » (Act. 9, 31-32).

8. *Prima gentilium in Ecclesiam admissio*. Christus dederat Apostolis non solum mandatum missionarium, sed ordinem quoque tenendum in executione operis missionarii (Act. 1, 8). Finito stadio evangelizationis Ierosolymitano et Samaritano, oportebat aggredi missionem gentilium. Opus sane mysteriosum ac practice arduum, quod non aliter solvitur quam mirabili interventu Petri. Qui caelitus illustratus prior promulgat legem de gentibus recipiendis sine circumcisione, iubetque baptizari primum gentilem Cornelium cum cognatis suis et necessariis amicis (Act. 10, 1-48).

9. *Ecclesiae Antiochenae efformatio*. Missionarii Hellenistae Cyprii et Cyrenaei annuntiant primi Dominum Iesum in Antiochia; et erat manus Domini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dominum. Ecclesia Ierosolymitana laeto nuntio recreata mittit ad eos Barnabam. Qui, apposita Domino turba multa et accersito illuc Paulo, suscipit regendam primam gentilium ecclesiam (Act. 11, 20-26). Vides Antiochenam quoque communitatem constitui opere hierarchico tum Barnabae ab Apostolis missi, tum Pauli divinitus vocati.

10. *Primum decretum conciliare*: Notae sunt querelae iudaizantium contra opus Pauli missionarium: « Nisi circumcidamini secundum morem Moysis, non potestis salvari ». Porro delata ab Antiochenis accusatione ad Concilium Ierosolymitanum, Apostoli cum subiectis sibi presbyteris peremptorie solvunt quaestionem contra iudaizantes, eduntque quadriforme decretum, quod Barsabas et Silas a Concilio delegati ferunt ad Antiochenos. Ergo prima quoque legislatio publica et conciliaris prae se fert signa evidentia hierarchicae constitutionis.

Ecclesiae Paulinae

Forma hierarchica non minus splendet in ecclesiis a Paulo fundatis.

1. Paulus in primis *exhibet se ut Apostolum* non ab hominibus nec per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem (Gal. 1, 1), vultque ut talis agnoscatur ab aliis: « Sic nos existimet homo ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei » (I Cor. 4, 1). Hinc eius fidelitas in explendo ministerio erit iudicanda non a populo, sed a Deo (ibid.).

2. *Potestate ergo divinitus accepta constituit ubique ecclesias.* Sic iam in primo itinere apostolico cum Barnaba annuntiat verbum Dei, fundat communitates christianas in Iconio, Listris et Derbe, constituit per civitates presbyteros: « Et cum constituissent χειροτονήσαντες illis per singulas ecclesias presbyteros, et orassent cum ieiunationibus, commendaverunt eos Domino » (Act. 14, 13).

3. Nec solum fundat ipse ecclesias, sed *legatos quoque suos ad eas mittit,* quos regimini communitatum localium praeponit. Sic Titum Ecclesiae Cretensi praeficit: « Reliqui te Cretae, ut ea quae desunt, corrigas et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi » (Tit. 1, 5). Sic etiam Timotheum ordinat episcopum, constituit superiorem ecclesiae Ephesinae, dat ei normas pro candidatis ad sacerdotium, tribuit eidem amplam potestatem iudicandi etiam presbyteros (I et II ad Tim.).

4. *Potestatem legislativam exercet* in ecclesiis a se fundatis tradendo varia praecepta: circa esum idolothytorum in domibus privatis (I Cor. 10, 23-32), circa mulieres in conventu ecclesiastico velandas (ibid. 11, 1-17), circa modum tenendum in agapis celebrandis (ibid. 11, 18-34), circa rectum usum charismatum (ibid. 14, 26-40). Ubi notetur Paulum clare distinguere praecepta Christi, quae ipse promulgat, a praeceptis quorum ipse est auctor. Sic compara I Cor. 7, 10: « His autem qui sunt iuncti matrimonio praecipio non ego, sed Dominus » cum 7, 12: « Ceteris autem ego dico, non Dominus » (privilegium Paulinum); hinc est quod fideles Corinthi laudat eo quod servent praecepta *sua* (ibid. 11, 2).

5. *Potestatem quoque coactivam et vindicativam sibi attribuit*: « Nam arma militiae nostrae non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem se extollentem adversus scientiam Dei, et in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi, et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit vestra obedientia » (II Cor. 9, 4-6). Item ad eosdem Corinthios: « Ideo haec absens scribo, ut non praesens durius agam secundum potestatem quam Dominus dedit mihi in aedificationem et non in destructionem » (ibid. 13, 2). Quibus similia sunt quae scribit (in I Cor. 4, 21): « Quid vultis? in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis? ».

6. *Hac potestate coercitiva utitur*, ut videre est in casu incestuosi Corinthiaci. Cuius culpabilitas in primis fortiter denuntiatur et paena excommunicationis imponitur: « Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicavi eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi ... Expurgate vetus fermentum ... Quid mihi de iis, qui foris sunt, iudicare? Nonne de iis qui intus sunt vos iudicatis? nam eos, qui foris sunt, Deus iudicabit. Auferte malum (τὸν πονηρόν) ex vobis ipsis » (I Cor. 5, 3 sq.). Expleta dein partialiter paena, quod reliquum est condonandum suadetur. « Sufficit ei, qui eiusmodi est, obiurgatio haec quae a pluribus fit; ita ut e contrario magis donetis et consolemini, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, qui eiusmodi est » (II Cor. 2, 6).

Conclusio

Argumento historico breviter exhibito, luce clarius apparet regimen ecclesiarum primaevum non fuisse democraticum, sed penitus hierarchicum. Apostoli Mathiae electio et investitura, diaconorum institutio, constitutio presbyterorum, prima communitatum localium efformatio et organizatio, prima legislatio publica et conciliaris, verbo: ordinatio ecclesiastica tota peragitur sub Apostolis, qui rem publicam regunt et moderantur in ordine liturgico, doctrinali, administrativo et disciplinari. Vides iam quam pulchre ac harmonice cohaereant inter se et facta prius Apostolis promissio, et collata deinceps iurisdictio, et exercita demum ab ipsis Apostolis publica potestas, populo quidem nullatenus mirante aut refragante, Deo vero confirmante sequentibus signis. Ex triplici hoc concurrenti ac confluenti elemento surgit argumentum indeclinabile pro divina ac hierarchica Ecclesiae constitutione.

Obiectiones solvuntur

1. Apud Mt. 18, 15 sq. agitur de correptione fraterna. Ergo argumentum inde deductum pro iurisdictione, Apostolis concessa, est invalidum.

Resp. Dist. antec. In textu agitur de correptione fraterna *etiam*, C.; *tantum*, N.

2. Sed in textu agitur de vinculo aliquo quod potuit solvi a quolibet simplici fideli. Siquidem quaestio ibi est de fratre rebelli, qui ideo defertur ad tribunal ecclesiasticum, quia noluit audire fratrem corripientem. Ergo ex textu nequit concludi ulla specialis potestas solis Apostolis promissa aut concessa.

Resp. Negatur antec. cum eius probatione. In textu stabilitur ordo tenendus in correptione fraterna. Porro frustrato primo et secundo gradu ac tentamine privato, recursus iam fit ad tribunal ecclesiasticum, cui soli datur potestas iudicialis et executiva pro excommunicatione.

3. At haec potestas videtur tribui toti Ecclesiae, ut ostendunt verba Christi: Dic Ecclesiae. Atqui vox Ecclesia designat non solos Apostolos, sed totam fidelium multitudinem. Erg...

Resp. Dist. mai. Haec potestas tribuitur Ecclesiae *hierarchice constitutae*, C.; democratice organizatae, N. Quid nomine Ecclesiae veniat, decla-

rant verba sequentia. Amen dico *vobis,* quaecumque alligaveritis ... quae verba solis Apostolis diriguntur, ut ostendimus in argumento.

4. Sed verba versus 19: « Iterum dico *vobis,* quia si duo ex vobis ... » referuntur etiam ad solos apostolos. Atqui tamen res, de qua agitur, aequo modo pertinet ad omnes fideles, et non ad solos Apostolos. Ergo quamvis verba praecedentia dirigantur ad solos Apostolos, inde non probatur his solis concedi ullam potestatem.

Resp. Dist. maior. Verba allata referuntur ad apostolos, *qua rectores ecclesiasticos, N.*; qua christianos fideles, C. In vv. 19 et 20 agitur de oratione efficaci, quae natura sua et Christi voluntate aequo modo pertinet ad omnes christianos. Sed vv. 17 et 18 sermo est de potestate legislativa, iudiciali et coactiva, quae nec natura sua nec Christi voluntate pertinet ad totam Ecclesiam. Ex capite 16, 18-19 constat summam potestatem fuisse soli Petro a Christo promissam. Ergo constat Christum noluisse hanc potestatem toti populo concedere. Aliunde discipuli ad regimen synedriticum assueti et informati ne suspicari quidem poterant in nova Ecclesia instituti tribunal supremum forma democratica, nisi praevie et specialiter hac de re fuissent moniti. Cf. Deut. c. 17, vv. 6-10.

5. Sed verba ligare et solvere apud rabbinos solum significant *declarare* aliquid licitum vel illicitum, non vero legem ferre aut tollere. Ergo vis tota argumenti tandem non subsistit.

Resp. Dist. antec. Haec verba significant apud rabbinos meram declarationem liciti aut illiciti *aliquando.* Trans.; *semper,* N. Quidquid sit de usu rabbinico, constat clarissime haec verba usu biblico N. T. admittere sensum vere ligandi et solvendi in conscientia. Sic haec ipsa verba apud Mt. 16, 19 significant idem ac exercere *claves regni caelorum.* Atqui huiusmodi claves implicant veram potestatem legiferam. Cfr. Mt. 5, 17, necnon alia loca allegata in thesi. Ceterum ipsa declaratio liciti, *authentice* facta, implicat exercitium iurisdictionis.

6. Saltem verba Christi apud Io. 20, 21: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » videntur directa non ad solos apostolos, sed ad alios quoque discipulos. Sane eadem est apparitio hic narrata a Ioanne cum apparitione descripta a Luca, 24, 36 sq., in qua aderant praesentes alii quoque discipuli praeter Apostolos, ut clare infertur ex verbis Lc. 24, 23: « Et surgentes eadem hora regressi sunt in Ierusalem: et invenerunt congregatos undecim, *et eos qui cum illis erant,* dicentes: Quod surrexit Dominus vere ... ». Ergo ...

Resp.: *a*) *Subiectum missionis* sollemnis clare determinavimus ex Io. 17, 18 comparato cum vv. 6 sq. necnon ex Mt. 28, 18 comparato cum v. 16, item ex Mc. 16, 15 comparato cum v. 14 in quibus omnibus aperte agitur de solis apostolis. *b*) Quod attinet Ioannem (20, 21) non quaeritur quinam fuerint utcumque praesentes in caenaculo, sed quinam fuerint illi ad quos sermo

Christi de missione dirigebatur. Hos fuisse solos Apostolos ipse Ioannes insinuare videtur scribens: « Thomas autem *unus ex duodecim*, qui dicitur Didymus, non erat *cum eis quando venit Iesus* » (ibid. 20, 24). *c*) Eandem conclusionem suggerit Lucas comparata narratione evangelica 24, 36-49, cum narratione in Act. 1, 1-5: « Primum quidem sermonem feci ... usque in diem qua praecipiens *Apostolis* ... quibus et praebuit seipsum vivum ... Et convescens praecepit *eis* ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris ... ». Ceterum, dato, et non concesso, quod aliqui discipuli praeter Apostolos fuissent subiectum *huius* promissionis, immerito inde ad democraticam Ecclesiae constitutionem concluderes.

7. At Petrus docet: « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta » ... I Petr. 2, 9. Ergo omnes fideles habent potestatem sacerdotalem et regalem.

Resp. dist. conseq. Omnes fideles habent potestatem sacerdotalem *late dictam*, C.; stricte talem, N. Duplex est sacerdotium: aliud proprie dictum ad offerendum Deo *verum sacrificium eucharisticum*, et hoc fuit concessum solis apostolis eorumque successoribus, quibus dictum est: « Hoc facite in meam commemoratione » Lc. 22, 19; aliud improprie tale ad offerendas *hostias spirituales* (I Petr. 2, 5), et hoc competit omnibus christianis, qui per characterem in baptismate receptum incorporantur et configurantur Christo regi et sacerdoti, ut in regno veritatis et sanctitatis seu Ecclesia, sub Christo capite, Deum colant.

8. Teste Paulo I Cor. 3, 22: « Omnia vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas ». Ergo omnis potestas ecclesiastica est penes populum christianum, nec apostoli sunt aliud, quam ipsius mandatarii.

Resp. Dist. conseq. Ergo omnis potestas est in populo christiano tanquam in subiecto *utilitatis*, C.; tamquam in subiecto *inhaesionis*, N.

9. Propter quod unumquodque tale, et illud magis. Atqui omnis potestas ecclesiastica est propter populum christianum. Ergo hic multo magis pollet auctoritate, quam quaelibet eius pars.

Resp. Dist. maior. Propter quod unumquodque *finaliter* est tale, et illud magis, N.; propter quod unumquodque *efficienter* est tale, et illud magis, subd. si agitur de attributo quod causae formaliter inesse possit, Trans.; secus, N. — Ad min.: Omnis potestas eccl. est propter populum christianum finaliter, C.; efficienter, N.

10. At Christus instituit Ecclesiam suam ad modum verae societatis. Atqui ipsa natura societatis postulat ut auctoritas per prius sit in ipsa multitudine, quam in aliqua determinata persona. Ergo ...

Resp. Dist. min. Si sermo sit de societate *legali et positivae* institutionis, N.; si sermo sit de societate naturali, sub.; si ipsa natura non providet

de subiecto auctoritatis, C.; si natura ipsa de hoc subiecto sufficienter provideat, ut videre est in familia, N.

11. Sed Christus ait apud Lc. 22, 25-26: « Reges gentium dominantur eorum; et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic ». Atqui possent reapse Apostoli et deberent dominari, si haberent potestatem regiminis. Ergo ...

Resp. Dist. maior. Apostoli non debent dominari seu regere spiritu superbiae et tyrannidis, C.; non debent dominari spiritu mansuetudinis et humilitatis, N. Eadem esto responsio ad obiectionem ex verbis Petri *vetantis seniores dominari in cleris,* I Petr. 5, 3.

12. Decretum concilii Hierosolymitani videtur fuisse latum non ab Apostolis tantum sed ab universa multitudine: etenim aliqui codices sic habent: Οἱ ἀπόστολοι καὶ οἱ πρεσβύτεροι καὶ οἱ ἀδελφοί Unde legendum esset non sicut habet Vulgata: seniores fratres, sed seniores *et fratres.* Ergo iterum constat potestatem legislativam residere in toto populo christiano.

Resp. Lectio nostrae Vulgatae est multo probabilior, eamque habent plerique codices. Decretum fuisse latum ab apostolis et senioribus constat tum ex v. 41 ubi legitur: « Perambulabat autem (Paulus) Syriam et Ciliciam, confirmans Ecclesias, praecipiens custodire *praecepta Apostolorum et seniorum* », tum vel maxime ex 16, 4; et 15, 2.

13. *Instabis*: Saltem debet concedi non apostolos solos sed presbyteros quoque fuisse legislatores. Ergo non recte dicitur potestatem omnem solis Apostolis fuisse concessam.

Resp. Dist. antec. Et hi presbyteri condiderunt legem potestate aliqua ab apostolica independenti et huic non subiecta, N.; potestate aliqua ab Apostolis accepta eisque subiecta, C.

14. Saltem ecclesiae Paulinae videntur habuisse regimen democraticum aut charismaticum. Nam sententia excommunicationis contra incestuosum corinthiacum fertur a Paulo et tota ecclesia: « Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, iam iudicavi ut praesens eum, qui sic operatus est, in nomine Domini nostri Iesu Christi, *congregatis vobis* et meo spiritu, cum virtute Domini nostri Iesu, tradere huiusmodi Satanae ... ». I Cor. 5, 3 sq. Ergo ...

Resp. Negatur assertum. Ad probationem additam dico non esse hunc sensum textus obiecti. Ecclesia ipsa corinthiaca seu multitudo fidelium nullas habet partes in ferenda sententia excommunicationis. Paulus fingit spiritu se, constitutum in tribunali, adesse praesentem coram congregata multitudine ad sententiam proferendam. Ceterum sententia haec fertur, vel ferri fingitur, ab ipso Paulo in nomine Domini et cum virtute a Christo accepta.

In v. 7 Paulus praecipit ut fideles corinthiaci eiiciant illum hominem e communitate christiana.

15. *Urgebis*: Nam Paulus (II Corinth. 2, 7-8) rogat fideles Corinthi ut velint condonare paenam peccatori illi impositam. Ergo excommunicatio fuit lata et imposita ab ipsa communitate christiana.

Resp. Dist. antec.: Paulus eos hortatur ut incestuoso, iam poenitenti, condonent reliquum poenae ab ipso Paulo impositae, C.; ab ipso coetu inflictae et decretae, N. Excommunicationem fuisse a Paulo impositam constat ex v. 9: « Ideo enim et scripsi, ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus *obedientes sitis* ».

16. *Replicabis adhuc*: Paulus I Cor. 5, 12 asserit: « Quid enim mihi de iis qui foris sunt iudicare? Nonne de iis qui intus sunt *vos iudicatis?* ». Ergo agnoscit potestatem iudicialem in coetu ipso residentem.

Resp. Dist. conseq. Agnoscit in coetu ipso, vel potius in praepositis communitatis potestatem iudicialem a se ipso communicatam *sibique subiectam,* C.; aliter, N.

Scholion I. — *Ordo hierarchicus et charismaticus in ecclesia primitiva.*

1. Apud hodiernos rationalistas et protestantes liberales passim evulgatur theoria de primaeva Ecclesiae constitutione charismatica, quae paulatim in hierarchiam deformata sit. Fingunt initio rei christianae quandam sui generis democratiam, quae pneumatica appellari potest. Tota quippe Ecclesia gubernatur Spiritu Dei, cuius varia ac multiformia charismata pertinent ad totam communitatem. Inter haec dona principem sibi locum vindicant charismata *doctrinalia,* quae competunt *apostolis, prophetis et doctoribus.* Hi sunt praedicatores verbi insigniorem in ecclesia locum occupantes. Qui tamen nullum prae ceteris verum *ius* habent nec ullum proprie dictum *munus* exercent, sed a Deo vocati eiusque Spiritu excitati divinum mandatum exequuntur. — Adsunt praeterea *presbyteri* seu seniores sic dicti sive ob aetatem provectiorem, sive propter vocationis christianae prioritatem sive demum propter insigne aliquod beneficium quo de Ecclesia benemeriti sunt. Neque hi ullum ius aut munus proprie dictum exercent,

quaedam tamen honoris praecellentia et auctoritas moralis personalis eisdem competit ex quadam aequitate naturali orta, cuius ope ordinem moralem et disciplinarem moderantur. — Accedunt demum *episcopi et diaconi* a communitate christiana ut plurimum *electi* quibus competit cura pauperum et ministerium in conventibus religiosis celebrandis. Ergo rem publicam totam demum gerunt in ordine *doctrinali* apostoli, prophetae, doctores; in ordine *morali* et disciplinari presbyteri seu seniores, in ordine *administrativo et aeconomico,* episcopi cum diaconis suis cooperatoribus. — Interea charismata paulatim disparebant, et munus praedicandi transit ad episcopos, qui occupant locum apostolorum, prophetarum, doctorum imo et presbyterorum. En iam stratam viam ad episcopatum iuridicum, qui primo recurrit in epistula Clementis R. ad Corinthios, labente saeculo primo. Harnack videt transitum ex uno regimine in alterum in Doctrina duodecim apostolorum c. 11-15 ubi praesidium quoque pro sua theoria potissimum quaerit.

2. *Fundamenta* porro huius theoriae fere sunt biblica, pro quorum tamen interpretatione invocatur lumen ex traditione primitiva, maxime vero ex allegato loco Doctrinae duodecim apostolorum. Textus frequentius citari soliti, sunt: Ex Act. Ap. 11, 27; 13- 1-3; 15, 22 et 32. Ex epist. ad Hebr. 13, 7 et 17. Ex epist. ad Ephes. 2, 20; 3, 5; 4, 11. Ex epist. I ad Corinth. 12, 28. Singula breviter examinemus.

Actus Apostolorum: *a*) 11, 27 solum probat existentiam prophetarum qui ex communitate Ierosolymitana transeunt ad Antiochenam, ex quibus unus, nomine Agabus, vaticinatur futuram famem. Nihil hic de ecclesiarum regimine aut directione vel etiam verbi praedicatione.

b) 13, 1-3 ostendit fuisse tunc temporis in ecclesia Antiochiae prophetas et doctores. Hos omnes fuisse rectores communitatis in textu non asseritur. Eos pertinuisse ad collegium presbyteriale directivum Antiochenum licet *supponere*. At Barnabas non carebat missione Apostolorum qui erant Ierosolymis (Act. 11, 22); Paulus divina quoque missione fruebatur. Quod attinet tres

caeteros, nempe Simonem, Lucium et Manahem, nihil certo scimus. Si *manuum impositionem,* de qua in v. 3, habes pro ritu consecratorio et sacramentali, quo potestas episcopalis Paulo et Barnabae collata demum sit, oportebit admittere eos omnes vel aliquos fuisse episcopos, manuum impositione et ipsos consecratos, hinc non mere charismaticos. Ceterum rector *principalis* in primo stadio ecclesiae antiochenae videtur fuisse Barnabas (cum Paulo) ab Apostolis illuc missus.

c) 15, 22 et 32: Ex his fit argumentum sic: Iudas et Silas erant prophetae hinc meri charismatici (v. 32). Atqui hi exhibentur ut rectores (ἡγουμένους ἐν τοῖς ἀδελφοῖς) communitatis. Ergo... At obiectio duplici saltem pede claudicare deprehenditur. Primo quidem Iudas et Silas non dicuntur proprie rectores, sed primi in fratribus: ἡγούμενοι ἐν ῆοῖς ἀδελφοῖς, non vero ἡγούμηενοι τῶν ἀδελφῶν. Veri rectores dein communitatis et *auctores decreti* Ierosolymitani exhibentur in textu *Apostoli et presbyteri.* Pertinebantne Iudas et Silas ad presbyterium? Si ita fuerit, nequit asseri eos fuisse *mere* charismaticos. Missione certe non carebant ad portandum decretum conciliare ad Antiochenos.

Ad Hebraeos, 13, 7 legitur: « Mementote praepositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei »; et v. 17: « Obedite praepositis vestris et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris ». Unde argumentantur sic: Loqui verbum Dei erat charismaticorum. Atqui hi dicuntur ἡγούμενοι ὑμῶν seu praepositi. Ergo aetate apostolica regimen ecclesiasticum erat penes charismaticos. At responsio in promptu est: Non est idem loqui verbum Dei (λαλεῖν τὸν λόγον) et loqui verbum Dei *in Spiritu* (λσλεῖν ἐν πνεύματι). Loqui verbum Dei authentice seu vi missionis est praepositorum, de quibus loquitur Paulus in textu citato. Loqui verbum Dei in Spiritu seu vi specialis motionis divinae est proprium charismaticorum.

Ad Ephesios: *a*) 2, 20: Fideles dicuntur superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum. — At gratis asseritur hos Apostolos et Prophetas esse viros *mere* charismaticos. Apostoli videntur esse stricte tales i. e. duodecim et ipse Paulus qui tamquam sapiens architectus *fundamentum posuit* (I Cor. 3,

10). Prophetae num sint A. an N. Testamenti, disputatur. — *b*) 3, 5: Mysterium Christi dicitur *nunc* esse revelatum sanctis Apostolis eius et Prophetis. — Eadem esto responsio: Apostoli sunt vere hierarchici, ut ipse Paulus, quibus sunt subiecti Prophetae; particula *nunc* ostenedere videtur sermonem esse de Prophetis N. Testamenti.

c) 4, 11. « Et ipse (Christus) dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores ». His gemina sunt quae scribit Paulus I Cor. 12, 28: « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundum Prophetas... ». Ex quibus sic argumentantur: Eadem est origo et conditio Apostolorum ac Prophetarum, Doctorum etc. Atqui Prophetae sunt mere charismatici. Ergo etiam Apostoli. Porro hi erant sine dubio supremi ecclesiarum moderatores; regimen ergo ecclesiarum primaevum erat mere charismaticum.

Resp. a) Recta exegesis huius textus non caret difficultate. Disputatur quinam sint *Apostoli* qui primo loco apud Paulum recurrunt in bino textu allegato. Sunt qui teneant Paulum praeprimis loqui de apostolis stricte talibus i. e. de duodecim. Sed alii vehementer resistunt: notant sermonem in textu esse de his quos Christus dedit Apostolos *post Ascensionem* in caelos, quales fuerunt Paulus et Barnabas. Quibus adiunguntur alii viri praeclaro titulo Apostoli decorati ut Silvanus et Timotheus (I Thes. 2, 7), Andronicus et Iunia (Rom. 16, 7), item missionarii ambulantes (apud Didache c. 11). Harum sententiarum quaenam sit probabilior lectori eligendum relinquimus. Nostrum est ad obiectam difficultatem respondere, habita prae oculis utraque hypothesi quam probabilem habemus.

α) Sit ergo responsio duplex: Si Paulus agit praeprimis de Apostolis *stricte dictis* seu de duodecim, obiectae difficultati respondetur *negando maiorem*: origo et conditio Apostolorum non est eadem ac origo Prophetarum, sed est vere hierarchica, quum Apostoli fuerint directe missi a Christo (agente in terris) cum mandato missionario et cum triplici hierarchica potestate. — Si Paulus agit de apostolis *mere charismaticis,* obiectio proprio pon-

dere ruit; quia praeter hos apostolos dantur alii hierarchice constituti, quibus supremum totius Ecclesiae regimen concreditum est.

c) Dato, et non concesso, quod Paulus agat exclusive de his quos Christus dedit Apostolos post suam in caelos ascensionem, nondum sequitur sermonem ibi esse de apostolis mere charismaticis. Etenim Mathias, Paulus, et (ut videtur) Barnabas fuerunt stricte dicti Apostoli, hinc vera potestate hierarchica praediti. Silas quoque et Timotheus fuerunt Pauli delegati et cooperatores, unde nec ipsis defuit missio canonica. Ipsi quoque sic dicti « Pastores et Doctores » in textu Paulino ad hierarchiam pertinere videntur, ut videre est in *episcopis* Ephesinis, quos Spiritus Sanctus posuit pascere (ποιμαίνειν) Ecclesiam Dei (Act. 20, 28).

Doctrina duodecim apostolorum: Ex his quae leguntur in cc. XI-XIV huius antiquissimi documenti inferre licet existere missionarios itinerantes charismaticos, locum principalem in Ecclesia occupantes, qui Apostoli et Prophetae nuncupantur. Eos fuisse viros *mere* charismaticos aut independentes a superioribus hierarchicis nullibi asseritur vel insinuatur. Recurret de his sermo in tractatu de Episcopatu.

3. *Positiva totius rei explicatio* addenda iam venit, in qua mutua habitudo inter ordinem hierarchicum et charismaticum, quantum fieri possit, determinetur.

Triplex ministerium in ecclesia primitiva distingui posse videtur cum cl. F. Prat: ministerium ordinarium seu hierarchicum, ministerium extraordinarium seu charismaticum, et ministerium mixtum.

a) *Ministerium ordinarium confertur* vel ab ipso Christo, vel ab ipsius superioribus ecclesiasticis per ritum externum = electionem, ordinationem, constitutionem seu missionem. Sic duodecim Apostoli a Christo in terris electi, consecrati, missi, triplici potestate investiti; sic etiam episcopi, presbyteri et diaconi a populo vel a superioribus electi, ordinati per impositionem manuum ab Apostolis vel horum delegatis, et ab eisdem missi.

b) *Ministerium extraordinarium* seu charismaticum confer-

tur immediate ab ipso Spiritu sancto actione secreta et invisibili seu per charisma, quod est donum gratuitum, supernaturale, immediate concessum ad utilitatem totius ecclesiae vel communitatis. Sic Prophetae, Doctores, glossolali, etc.

c) *Ministerium mixtum* confertur utroque concurrente elemento, hierarchico nempe et charismatico. Sic primi diaconi (Act. 6, 2-6) a communitate electi, ab Apostolis per cheirotoniam consecrati et investiti, charismate sapientiae a Spiritu sancto repleti. Sic Paulus a Christo electus et missus, ab Anania baptizatus, pneumatice segregatus cum Barnaba in apostolicum et definitivum ministerium (Act. 13, 2), Sic Timotheus prophetice designatus (I Tim. 1, 18; 4, 14) a Paulo assumptus (Act. 16, 1-3) consecratus (II Tim. 1, 6) et multifariam missus. Sic forte et presbyteri Ephesini a Paulo ut videtur, in ministerium segregati, qui tamen dicuntur a Spiritu sancto positi regere Ecclesiam Dei (Act. 20, 28). Quin imo, hoc ministerium mixtum praevaluisse videtur tempore apostolico. Ubi Apostoli vel horum delegati ad ministeria ecclesiastica eos prae ceteris elegisse videntur, quos charismatice praeparatos vel designatos videbant. Sic forsitan intelligi posset celeber Clementis R. locus; « Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes (Apostoli), primitias eorum *spiritu cum probassent* (δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι) constituerunt episcopos et diaconos eorum, qui credituri erant » (Ad Corinth. 52, n. 4).

Hisce praelibatis, quaestio proposita facile solvitur:

a) Cum agitur de ministerio *ordinario et mixto,* iidem sunt et hierarchici et charismatici. Sic duodecim Apostoli, Paulus, Barnabas, Timotheus, Silvanus, diaconi septem, etc. Relatio ergo seu habitudo in hoc casu est plenae *identitatis*.

b) Cum agitur de ministerio *extraordinario,* haec est habitudo ordinis charismatici ad hierarchicum, ut mere charismatici sint *subiecti* Apostolis et superioribus hierarchicis. Duo sunt huius asserti argumenta praecipua: Primo quidem exstant testimonia biblica et historica quibus thesim nostram positive probavimus. Vidimus ecclesias sive in Iudaea sive apud gentes gubernari ab Apostolis, presbyteris et diaconis hierarchice constitutis. Admiratione non caret, quod in conventu Ierosolymitano ubi prima

legislatio publica et conciliaris condita est, nulla pars (in edendo aut praeparando decreto conciliari) iis assignetur, qui ut Prophetae et viri primi in fratribus exhibentur. Tota res ibi peragitur ab Apostolis et presbyteris. Hoc ipsum dein egregie probatur ex epistula Pauli 1 ad Cor. 14, 26-40. Ubi Paulus ordinem a charismaticis tenendum in conventibus ecclesiasticis auctoritative praescribit. Porro « si quis videtur propheta esse, aut spiritualis (seu charismaticus), cognoscat quae scribo vobis, *quia Domini sunt mandata* » (ibid. 14, 37). En subiectionem ordinis charismatici erga hierarchicum formula lapidaria expressam.

4. *Radices erroris contrarii* demum assignare utilitate non carebit. Triplex falsa notio in causa est quare prima ac vera ecclesiasticae constitutionis imago apud criticos rationalistas deformetur: notio inquam apostolatus, episcopatus, charismatis.

Apostolatus non est functio mere charismatica, sed institutio vere hierarchica in qua implicatur: a) *missio* divina eaque immediata; b) *Munus* Christi continuandum, applicandum et sic quadantenus complendum; c) *potestas* sacra triplex sanctificandi docendi, fundandi et regendi ecclesias; d) *charismata* multiformia. Apostoli (duodecim) fuerunt a Christo electi, instructi, missi ad omnes gentes, Spiritu demum Christi egregie ditati. Missio confert auctoritatem; charismata conferunt aptitudinem ad divinam missionem realizandam.

Episcopatus originarie non est functio mere aut primario administrativa, sed vere hierarchica. Episcopi originarie non erant meri rei oeconomicae administratores, sed communitatum localium rectores, magistri et sacerdotes, ut infra ostendemus in tractatu de episcopatu.

Charisma nullam importat oppositionem aut contradictionem cum ordine iuridico et hierarchico. Quin immo ipsae potestates apostolicae et hierarchicae possunt dici charismaticae, quatenus implicant quoddam donum gratuitum, supernaturale, a Christo immediate concessum ad publicam communiitatis utilitatem. Paulus vocat χάρισμα gratiam Timotheo in consecratione episcopali datam (I Tim. 1, 6).

Sed ex alia parte non minus erroneum foret sic premere aspectum Ecclesiae hierarchicum, ut aspectus charismaticus fere negligatur. Vera Christi Ecclesia sicut essentialiter est hierarchica, sic etiam est *necessario charismatica* non eo tantum sensu, quod ipsae potestates hierarchicae sint quadantenus charismaticae, sed eo potissimum, quod voluit Deus adesse semper in Ecclesia praeter ministros hierarchicos, aliosque quoque cooperatores charismaticos sive clericos sive etiam laicos, qui Spiritu Christi excitati ac ditati actionem catholicam ac missionariam sub Apostolatu hierarchico multifariam promoverent, donec recurremus omnes in unitatem fidei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi.

Scholion II. *De Collegio duodecim.*

a) Inter hodiernos Protestantes liberales non desunt qui negent veritatem historicam collegii duodecim a Christo selecti ac efformati. Sic *Seufert,* cui consentiunt *W. Weber, I. Weiss,* alii: cf. *Dieckmann,* n. 257 sq. Aiunt numerum duodenarium esse mere typicum et symbolicum. Unde catalogi duodecim apostolorum sunt purae fictiones iudaeo-christianorum, quibus nullus subest valor historicus. Nec enim conveniunt in *ordine* quo nomina apostolorum exhibentur, neque in *ipsis* nominibus quibus Apostoli designantur.

b) Christum ipsum duodecim elegisse, eosque in collegium adunasse indubie constat ex concordi evangelistarum narratione: Matthaeus in primis (10, 1-5) ait: « Et convocatis duodecim discipulis suis, dedit illis potestatem spirituum immundorum... Duodecim autem apostolorum nomina sunt haec: Primus Simon, qui dicitur Petrus, et Andreas frater eius... Hos duodecim misit Iesus... ». Consentit Marcus scribens (3, 13 sq.): « Et ascendens in montem vocavit ad se quos voluit ipse, et venerunt ad eum. *Et fecit ut essent duodecim cum illo,* et ut mitteret eos praedicare. Et imposuit Simoni nomen Petrus; et Andream... ». Nec minus clare Lucas (6, 13 sq.): « Et cum dies factus esset, vocavit disci-

pulos suos: et *elegit duodecim ex ipsis,* quos et apostolos nominavit. Simonem... et Andream... ». Eadem claritate utitur Ioannes (6, 71): « Respondit ei (Petro) Iesus: Nonne ego vos duodecim elegi; et ex vobis unus diabolus est? » Accedit quod hi duodecim saepe in evangeliis exhibentur nomine et forma collegiali: « duodecim », undecim », « unus ex duodecim » etc. Cf. Mt. 20, 17; 26, 20; 28, 16; Mc. 4, 10; 6, 7; 9, 34; Luc. 8, 1; 9, 1; 18,31; Io. 6, 71, 20, 24. Unde de collegio duodecim a Christo efformato nulla seria dubitatio adesse potest.

c) *Obiectiones adversariorum* vere futiles sunt: Numerum duodenarium esse symbolicum facile admittitur. Sed quid inde sequatur contra veritatem historicam factorum, quae allegavimus, reapse non apparet. Hoc unum concedi potest, Christum in efformando collegio duodecim, prae oculis habuisse duodecim sive patriarchas sive tribus Israël: — Quod attinet *ordinem nominum* in catalogis haec adverte: Omnes catalogi constanter incipiunt a Petro et desinunt in Iudam proditorem. Sunt in catalogis omnibus tres series seu quaterniones, quorum initia coincidunt (Petrus-Philippus-Iacobus Alphaei), ordo vero nominum varius est. Ipse Lucas non tenet eundem ordinem in duplici catalogo: Ev. 6, 13-16 et Act. 1, 13. Restat quaestio de *diversitate nominum* in catalogis: *Simon Cananaeus* de quo Mt. et Mc., est idem *Simon Zelotes* de quo Lucas. Vocatur autem Zelotes ex voce hebraica Kana quae non designat urbem Cana, sed significat zelotem. *Thaddaeus* de quo Mt. et Mc. est idem ac *Iudas Iacobi* de quo Lucas. Vocatur Iudas Iacobi, quia erat frater huius. Cf. epist. Iud. 1, 1. Thaddaeus videtur esse cognomen.

Scholion III. *De institutione apostolatus.*

a) Multi protestantes liberales admittunt fundationem Collegii duodecim a Christo factam. At negant Christum formaliter instituisse apostolatum. Sic prae caeteris in Germania *Harnack* (Die Mission und Ausbreitung...) et in Gallia *Monnier* (La notion de l'Apostolat...). Sane evangelia non utuntur voce apostoli, excepto Luca, qui sequitur modum loquenti Pauli. Hic ut suam

auctoritatem tueretur, extulit auctoritatem duodecim apostolorum, quibus deinde se aequiparavit. Unde auctor et institutor apostolatus proprie est Paulus. Ceterum alia quoque elementa suo modo contulerunt ad determinandam hanc singularem duodecim apostolicam praerogativam. Huc spectant: — Primo quidem ipsa indoles doctrinae christianae, quae *obiective* universalis est: — Accedit dein factum historicum certum, Christum nempe misisse duodecim suos discipulos ad praedicandum regnum Dei (Mt. 10, 1 sq.). Quae missio, quamvis in mente Christi fuerit ultima et ad solos iudaeos restricta, attamen ansam dedit primis christianis ut Christo glorificato tribuerent mandatum expressum praedicandi gentibus (Mt. 28, 19-20): — Tandem adfuit actio *Spiritus* cuius influxu orta est in primaeva Ecclesia trias charismatica, apostolorum nempe, prophetarum et doctorum, nec aliunde deerat exemplum apostolatus in religione iudaica. Harnack consentiunt I. Weiss, v. Soden, alii. Cf. *Dieckmann,* n. 270.

b) Duplex quaestio institui potest: alia *rei,* num videlicet Christus ipse formaliter instituerit apostolatum; alia *nominis,* num Christus hoc nomine apostoli sit usus. Primam quaestionem superius omnino solvimus, quum ostendimus Christum suos duodecim discipulos immediate misisse ad continuandum opus redemptionis. Porro in hoc consistit essentia ipsa apostolatus. Nec obstat quod haec missio praecipue tribuatur Christo glorificato. Siquidem resurrectio Christi est factum historicum omni exceptione maius. Cui adversarii nostri nihil aliud opponunt, quam sua praeiudicia aprioristica, quibus coguntur reiicere quidquid miraculum aut supernaturale redolet.

Quod attinet quaestionem *vocis,* Lc. 6, 13 expresse dicit: « Et cum dies factus esset, vocavit (Iesus) discipulos suos: et elegit duodecim ex ipsis *quos et apostolos nominavit* ». Nec verum est hanc vocem apud unum Lucam recurrere. Matthaeus quoque illam adhibet (10,2). Etiam apud Marcum recurrit (6,30), necnon apud Ioannem (13, 16). Quod Lucas vocem apostoli frequentius adhibeat, inde forsan repeti possit, quod comes et discipulus fuerit Pauli, apud quem certe maior est et rei nominis frequentia.

Scholion IV. *De apostolatu Pauli.*

Paulus non fuit stricte membrum collegii duodecim. Attamen *eundem* apostolatum accepit ac duodecim, ut egregie ostendit *Dieckmann* integra assertione 10, n. 228 sq. Licebit rem totam pro brevitate ad pauca revocare.

a) Paulus praeprimis *vocat se Apostolum* non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum et Deum Patrem. Sic constanter asserit initio omnis fere epistulae. Cf. Rom. 1, 1-5; I Cor. 1, 1; II Cor. 1, 1; Gal. 1, 1; Ephes. 1, 1... Dignitatem vero apostolicam maxime tuetur I Cor. 9, 1 sq. « Non sum Apostolus? Nonne Christum Iesum Dominum nostrum *vidi?* ».

b) *De hac Pauli divina vocatione* ad Apostolatum *plene constat* ex narratione Lucana historice indubia. Cf. Act. 9, 3 sq.; 22, 2 sq.; 26, 12 sq.

c) *Paulus suum apostolatum probavit* eodem modo ac Christus ipse et caeteri apostoli, innumeris nempe miraculis et portentis. Cf. Rom. 15, 15-19; I Cor. 2, 4; II Cor. 12, 12: « Signa tamen Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis, et prodigiis, et virtutibus ».

d) *Pauli Apostolatus demum fuit agnitus et approbatus a Collegio Apostolorum,* qui dexteras societatis ei dederunt. Cf. Gal. 2, 7-9.

e) Recenter *P. Goechter* (Summa Introductionis in N. T., Oeniponte, 1938) distinguit duplex stadium in apostolatu Pauli: unum praecedens, alterum subsequens celebrationem Concilii Hierosolymitani. In primo Paulus fuisset quasi delegatus collegii praesbyterialis antiocheni (?). In altero, post publicam Petri agnitionem, egisset apostolatum proprium et quadantenus autonomum.

Scholion V. *De hierarchiae perpetuitate.*

Ostendimus Christum Ecclesiam suam hierarchice constituisse instituendo sacrum imperium in Collegio Apostolorum. Porro hoc sacrum imperium, in Collegio apostolico residens, debet perpetuo manere in Ecclesia. Sane Christus mittens suos Apostolos

promisit se futurum cum eis baptizantibus, docentibus et regentibus usque in finem mundi: « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque in consummationem saeculi » Mt. 28,20. Debent ergo semper adesse in Ecclesia veri Apostolorum successores. Quinam sint hi successores, et qua lege peragatur hierarchicae potestatis transmissio, deinde videbimus, quum quaestio de episcopatu instituatur.

Scholion VI. *Dogmaticum.*

Doctrina de hierarchica Ecclesiae constitutione sat clare continetur in S. Scriptura: hinc potest dici *de fide divina.* Documenta ecclesiastica quod attinet:

a) *Doctrina Marsilii Patavini* condamnata est ut haeretica a Ioanne XXII. Cf. DB. 495-500.

b) *Doctrina reformatorum* proscripta fuit a Concilio Tridentino. Cf. DB. 960, 966.

c) *Doctrina syngoli Pistoriensis* reprobatur a Pio VI. Cf. DB. 1502, 1504, 1500.

d) Christum instituisse Collegium Apostolorum expresse traditur a Concilio Vaticano (DB. 1821), et perpetuo supponitur ac docetur ab Ecclesia tamquam doctrina revelata. Hinc thesis potest dici *de fide catholica* ex magisterio ordinario Ecclesiae.

e) *Tota doctrina* de hierarchica Ecclesiae constitutione egregie docetur et vindicatur a Leone XIII in praeclara epistula encyclica « Satis cognitum » (1896). Accipe haec inter alia: « At vero quomodo doctrina... sic etiam non singulis e populo christiano, verum delectis quibusdam data divinitus facultas est perficiendi atque administrandi divina mysteria, una cum regendi gubernandique potestate. Neque enim nisi ad Apostolos legitimosque eorum successores ea pertinent a Iesu Christo dicta: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium... Similique ratione non nisi Apostolis, quique eis iure successissent, mandavit ut *pascerent*, hoc est cum potestate regerent universitatem christianorum, quos hoc ipso eis subesse debere atque obtemperare est consequens ».

f) Iusiurandum antimodernisticum exhibet Ecclesiam aedificatam super Petrum *apostolicae hierarchiae* principem (DB. n. 2145).

Notae bibliographicae

Ad ipsam thesim: Utiliter conferas *d'Herbigny*, o. c. 33-101; *Dieckmann*, o. c., n. 249-326; *Franzelin*, De Ecclesia Christi, 1887, thesis IX, n. 112 sq.; *Palmieri*, o.c., p. 59-71; *Felder*, o. c., p. 49-65; *Dorsch*, o. c. (1928), p. 72-94; *Schultes*, o. c., p. 99-141; *Ottiger*, Theologia Fundamentalis II (1911), thesis II, p. 50-61.

De adversariis: Quoad opus et doctrinam *Marsilii Patavini* conferri possunt *N. Valois*, Jean de Jandum et Marsile de Padou, Histoire littéraire de la France, t. 33, p. 528-623; *B. Labanca*, Marsilio da Padova riformatore politico e religioso del secolo XIV, 1882; *F. Bataglia*, La dottrina conciliare di Marsilio da Padova, Ricerche religiose, t. II, 1926, p. 236-249; *G. Piovano*, Il Defensor pacis di Marsilio Patavino, Scuola Cattolica, t. 22, p. 161-178; 342-359; *J. Rivière* in Dictionnaire de Theol. catholique, t. 10, col. 153-176. *De Luthero* conferas: K. Müller, Kirche, Gemeinde und Obrigkeit nach Luther (1911-1912), I, 92, 146 sq.; 182; II, 700, 719, 767 sq.; *Dieckmann*, o. c., n. 548-555, ubi accurate exponitur: *a*) sententia quam Luther tenuit ante defectionem a doctrina catholica; *b*) destructio huius doctrinae catholicae; *c*) nova organizationis forma, quam Hierarchiae substituit; *H. Strohl* multa utilia dabit de ecclesiologia primorum Protestantium in Revue d'Histoire et de Philosophie religieuses, 1936, p. 265-319. — Placita *Harnack* reperies in Texte und Untersuchungen, t. II, p. 88-158. Item in Die Mission und Ausbreitung... edit. 4, p. 332 sq. (Datur versio italica edit. primae a *P. Marruchi* (1906), cf. p. 233-278). Rursus in Entstehung und Entwicklung der Kirchenvarfassung und des Kirchenrechtes in den ersten zwei Jahrhunderten, 1910. — *R. Sohm* contendit hierarchiam *iuris divini* primo apparere in epistula Clementis R. ad Cor.: cfr. Kirchenrecht (1892), p. 134, 137 sq., 160.

De notione apostolatus: Conferri possunt ex catholicis: *H. Bruders*, Die Verfassung der Kirche, p. 23 sq.; *P. Battifol*, l'Eglise naissante et le catholicisme (1919), p. 46-65; *H. Dieckmann*, o. c., n. 307 sq., cf. etiam n. 278 sq.; *A. Medebielle* in Dictionnaire de la Bible, Supplément, I, col. 533-587. — Ex acatholicis: *W. Seufert*, Der Ursprung und die Bedeutung des Apostolates in der christ. Kirche der ersten zwei Jahrhunderten, 1887; *E. Haupt*, Zum Verständnis des Apostolates in N. T., 1896; *H. Monnier*, La notion de l'Apostolat dès origines à Irénée, 1903; *A. Harnack*, Die Mission und Ausbreitung... ed. 4ª I, p. 332-336.

De ordine hierarchico-charismatico: Cf. *F. Prat,* La Théologie de Saint Paul (1912) I, Note V_2; Les dignitaires de l'Eglise primitive, p. 436 sq.; *A. Medebielle,* Dict. de la Bible, Supplément, I, col. 579 sq.; *R. Schultes,* De Ecclesia catholica (1926), p. 99-133. — *Pier Giovanni Caron,* I poteri giuridici del laicato nella primitiva. Milano, 1948.

THESIS VIII.

Hoc sacrum imperium Christus ita disposuit, ut primatum verae propriaeque iurisdictionis in universam Ecclesiam uni B. Petro directe et immediate promiserit et contulerit.

Ex thesi praecedenti constat Christum Ecclesiam suam hierarchice constituisse instituendo sacrum imperium in collegio Apostolorum. At quaeritur ulterius: collegium Apostolorum fuitne collegium duodecim inter se parium? An fuit in hoc collegio aliquis ab ipso Christo caeteris Apostolis totique Ecclesiae praepositus? Propositae quaestioni respondet thesis affirmando primatum verae iurisdictionis in uiversam Ecclesiam fuisse a Christo Petro immediate et directe promissum et collatum. Unde concluditur constitutionem Ecclesiae ita esse hierarchicam, ut simul sit vere et proprie monarchica.

Praenotanda

1. *Primatus in genere* significat aliquam qualiscumque nominis praecellentiam. Quare tot genera primatus possunt distingui, quot sunt genera rerum in quibus una persona (vel una res) aliis praecellere potest. Huc spectant:

a) *Primatus meri honoris,* qui nullam importat auctoritatem nec directionem, sed meram honoris praecellentiam certa quadam aequitate fundatam, unde fit ut aliquis primus forsan nominetur, primus sedeat, primus dicat sententiam...; qui tamen in alios nihil influit nec regendos nec dirigendos, nisi forte exemplo aut provocata aemulatione.

b) *Primatus ordinis* fines mere honorificos transcendit quidem, at ordinem iuridicum non attingit. Nec enim alios proprie

regit *sibi subditos,* attamen vel dirigit consulentes, vel certo quodam iure fruitur dirigendi et ordinandi aliquod negotium. Hic fere primatus competit in nostris parlamentis praesidi utriusque camerae, qui pro iure suo rerum tractandarum ordinem disponit, facultatem dicendi deputatis concedit, restringit, tollit; sessionibus finem imponit; verbo: monendo, rogando, hortando, statuta applicando, totam actionem regit ac moderatur.

c) *Primatus iurisdictionis* denique, ut ipsum nomen indicat, veram continet et proprie dictam iurisdictionem eamque supremam, talem scilicet cui cuncti consociati teneantur obedire sive seorsum singuli sive collective omnes. Huic primatui minime opponitur aliorum collegarum consortium, qui et ipsi vera potestate sint praediti; sed hoc unum est de ratione primatus iuridici, ut nullum habeat in tota societate superiorem, nullum parem, sed omnes prorsus sive singillatim sive collective sibi subditos. Unde primatus de quo in thesi, tandem nihil est aliud quam potestas iurisdictionis suprema extensive universalis, intensive summa uni prae aliis a Christo immediate concessa, seu brevius: iurisdictio hierarchica, monarchica.

2. *Formula*: « *directe et immediate* » desumpta est ex Concilio Vaticano ubi non semel recurrit (cfr. D. B. n. 1822 sq.). Sensus est verba Christi promittentis et conferentis primatum referri ad Petrum *directe* i. e. quatenus Petrus est persona singularis et a caeteris apostoliis ac fidelibus distincta: unde consequens est primatum pertinere ad Petrum *immediate* i. e. non mediante Ecclesia cuius ille sit merus mandatarius. Ergo distinguas inter subiectum immediatum *utilitatis,* et subiectum immediatum *inhaesionis.* Subiectum utilitatis est Ecclesia, in cuius bonum instituitur tota haec primatialis potestas. « Omnia enim vestra sunt, sive Paulus, sive Apollo, sive Cephas... vos autem Christi; Christus autem Dei » (I Cor. 3, 22-23). At subiectum immediatum et unicum inhaesionis est singularis ac publica persona Petri.

3. *Sensus thesis* eiusque limites manent iam clare determinati.

a) Intentum nempe thesis est ostendere Christum, dum adhuc in terris ageret, uni b. Petro directe et immediate prius pro-

misisse (Mt. 16, 18-19), dein contulisse (Io. 21, 15-18) primatum non honoris tantum aut meri ordinis, sed verae propriaeque iurisdictionis in universam Ecclesiam.

b) Sub hoc primatu continetur etiam suprema *docendi* seu magisterii authentici potestas, ut signanter notat C. Vaticanum: « Ipso autem Apostolico primatu... supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit » DB. n. 1862).

c) Vi huius potestatis primatialis, Christo iam ascendente in caelos, Petrus (cum suis successoribus) constituitur collegii apostolici princeps, totius Ecclesiae militantis visibile caput, verus Christi in terris vicarius. Christus manet in coelis caput Ecclesiae invisibile. Qui secreta ac multiformi sui Spiritus operatione vitam suam influit in subiecta ac inserta sibi membra, et opere visibili totam Ecclesiam regit per suum in terris vicarium cum reliquo et subordinato pastoratu.

Positio adversaria

Triplici via oppugnatur nostra positio. Alii negant ipsam authentiam litterariam pericopes Mt. 16, 18-19, quam putant serius interpolatam (theoria interpolationis); alii, concessa authentia litteraria, negant authentiam historicam — haec verba fuisse a Christo historico prolata (theoria evolutionis); alii demum admissa utraque authentia, negant valorem demonstrativum verborum Christi. Horum alii contendunt nullam *iurisdictionis* promissionem contineri in verbis Christi: sic Lutherani et Reformatores. Alii volunt iurisdictionem supremam promitti (et conferri) *directe et immediate ipsi populo* christiano, inde derivari in Petrum (et Romanum Pontificem): sic Richeriani, Iansenistae, synodus Pistoriensis. Alii demum opinantur potestatem iurisdictionis promitti et conferri toti Collegio Apostolico: sic Orientales separati. Triplex haec positio adversaria suggerit ordinem tractationis. Ergo agendum inprimis erit de authentia textus litteraria, dein de authentia historica, demum de valore textus demonstrativo.

I

De genuinitate litteraria Matth. 16, 18-19

1. Theoria interpolationis proposita est multifariam multisque modis.

A. Resch (Aussercanonische Parallelltexte zu den Evangelien, v. 2°, zu Mattheus und Marcus, 1893) negat authentiam versiculi 18: « Et ego dico tibi quia tu es Petrus...», quem putat esse interpolatum in fine saeculi secundi vel initio tertii. Urgetur praeprimis omissio pericopes in locis parallelis Mc. et Lc. necnon silentium in traditione primaeva usque ad Origenem et Tertullianum, item resistentia Pauli in disputatione Antiochena. — Versiculi 19 authentia conceditur, modo legatur « et *vobis* dabo claves regni caelorum...».

I. Grill (Der Primat des Petrus, 1904) acceptat placita Resch, eaque complet designando auctorem et tempus inductae innovationis. Auctor nempe interpolationis fuisset Victor episcopus romanus c. a. 190. — Eandem fere theoriam proponebat in Gallia *H. Monnier* in opera « La notion de l'Apostolat... » (1903), p. 138 sq.

W Soltau (Theologischen Studien und Kritiken (1916), p. 233-237) putat quidam interpolationem esse evidentem; sed advertit nostram pericopen fuisse notam Iustino. Hinc tempus interpolationis debet retrotrahi ad a. 110-120.

A. Harnack post multa dubia et tentamina tandem (1918) concedebat etiam versiculum 18 esse genuinum, excepta pericope: « super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam ». Verba ergo Christi in textu primigenio fuissent: « Et ego dico tibi quia tu es Petrus et portae inferi *te* non vincent ». Interpolatio interiectae pericopes facta est probabiliter Romae tempore Hadriani (117-138). Nostris diebus authentia litteraria totius pericopes evangelicae ab ipsis protestantibus et rationalistis passim conceditur. Nihilominus *M. Goguel* recenter theoriae interpolationis fidus inhaeret premens silentium in Mc. et Lc.

2. Genuinitati litterariae illustre testimonium perhibent Codices, Versiones, Patres.

Codices quod attinet, mira adest uniformitas et constantia in tanta varietate manuscriptorum. Versiculi 18 nulla datur exceptio, nulla dubitationis significatio. Quod v. 19 unica exceptio affertur a *Resch* ex codice coptico libri gnostici *Pistis Sophia,* ubi legitur: « vobis (loco *tibi*) dabo claves ».

Versiones omnes rursus ostendunt eandem uniformitatem et constantiam. Speciatim notandae illae quae antiquitate praecellunt, ut vetus Itala seu latina, et Syriacae. Inter has duae potissimum celebrantur: Syro-Curetoniana et Syro-Sinaitica. Prima continet nostrum textum integrum. In altera deest folium integrum continens Mt. 16, 15-17, 11.

Diatessaron Tatiani seu harmonia quatuor evangeliorum (c. a. 170) asservatur nobis potissimum in scriptis S. Ephraem et Aphraatis. Porro in utroque Patre Syro continetur aperta textus nostri sive citatio sive allusio. Sic in Ephraem, Hymni et sermones, Lamy II, p. 156: « Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et vectes inferni non superabunt eam ». — Aphraates ad nostrum textum clare alludit scribens: « Et tandem Simoni discipulorum principi, cum negando dixisset... subiit paenitentia, magnamque vim lacrimarum profundit; et suscepit eum Dominus, posuit eum in fundamentum, vocavitque eum Petram, Ecclesiae aedificationem » (Demonstrationes, VII, 15).

Evangelium Hebraeorum, teste Lagrange, est ipsum nostrum Evangelium Mt. scriptum lingua aramaica continens textum et aliquas leves modificationes seu additiones. Hoc utebantur communitates christianae degentes in regione Cisjordanica et Syriae et Beroeae. Scriptum est c. a. 132-135 (Smidcke), vel c. a. 100 (Lagrange), vel statim post eversionem urbis Ierosolymitanae (Battifol, Duchesne, Harnack). Duo codices graeci nostri evangelii afferunt ad marginem variationes huius evangelii (Iudaicon). Porro in Mt. 16, 17 notant: τὸ ἰυδαϊκόν: υἱὲ Ἰωάννου, loco nempe Bar Iona, unde in reliquis et vv. 18 et 19 plena concordantia merito a criticis supponitur.

Patres etiam saeculo quarto anteriores textum nostrum integrum citant.

Cyprianus: *a*) De unitate Ecclesiae, c. 4, Hartel, p. 212: « Loquitur Dominus ad Petrum, ego dico tibi, inquit, quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... » citatur integer textus: — *b*) Epistula 33, Hartel, p. 566: « Dominus noster cuius praecepta metuere et servare debemus... loquitur et dicit Petro: Ego dico tibi tu es Petrus... » citatur totus textus: — *c*) Epistula 43, Hartel, p. 594: « Deus unus est, et Christus unus et una ecclesia et cathedra una super Petrum *Domini voce* fundata ».

Firmilianus episcopus Caesareae in epistula 75 (Cypriani), Hartel, p. 821, indignatur contra Stephanum eo quod hic « sic de episcopatus sui loco gloriatur, et se successionem Petri tenere contendit, super quem *fundamenta Ecclesiae collocata sunt* ». In pag. 820 citatur integer versiculus 19.

Origenes in Commentario Mt. in hunc locum (MG. 13, 1003) scribit: « Non praevalebunt adversus eam: quam autem eam? an enim petram, super quam Christus aedificat Ecclesiam? an Ecclasiam ambigua est enim locutio. An quasi unam eandemque rem, petram et ecclesiam? Hoc ego verum esse existimo ».

Tertullianus sive catholicus sive montanista pericopen nostram novit. Catholici sententia patet ex libro de Praescriptione, c. 22: « Latuit aliquid Petrum, aedicandae ecclesiae petram dictum, claves regni caelorum consecutum, et solvendi et ligandi in caelis et in terris potestatem? » ML 2, 34 — Montanista scribit in libro De pudicitia, ML 2, 1024. « Sed habet, inquis, ecclesia potestatem delicta donandi... De tua nunc sententia quaero; unde hoc ius Ecclesiae usurpes: Si quia dixerit Petro Dominus: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; tibi dedi claves regni caelestis, vel: quaecumque alligaveris vel solveris in terra, erunt alligata vel soluta in caelis, idcirco praesumis... ».

Iranceaeus Adv. Haer. III, 13, 2 citat versiculum 17. Versum 18 citandi occasionem non habuit; quaedam tamen ad ipsum allusio contineri videtur in III, 24 (MG. 7, 967) « Haeretici... non sunt *fundati super unam petram*, sed super arenam habentem in se lapides multos ». Unde supponit catholicos esse fundatos super unam petram, id quod in v. 18 aperte dicitur.

Iustinus in dialogo 100 adversus Triphonem scribit (MG. 6,

710): « Nam Christus unum ex discipulis, qui eum, relevante ipsius Patre, filium Dei, Christum agnoverat, appellavit Petrum, cum Simon prius vocaretur; et cum filium Dei esse in apomnemoneumatis apostolorum eius scriptum legamus, eum et filium dicimus ». Legit ergo Iustinus v. 16 ubi narratur *confessio Petri*, v. 17 ubi continetur *revelatio Patris,* et v. 18 ubi agitur de *novo nomine Petri.*

3. *Impossibilitas interpolationis* novum robur argumento addit. *a*) Theoria interpolationis tot difficultatibus scatet, ut merito censeatur moraliter impossibilis. Mitto gravem corruptionis accusationem contra clerum ecclesiamque romanam gratuito motam. Interpolator imprimis debuit invadere tot manuscripta asservata in ecclesiis Orientis et Occidentis.. idque tanta cum dexteritate, ut *ne unus quidem remaneret codex* textum primigenium referens (!). *b*) Crescit difficultas si non immerito supponas textus nostri praesentiam in non paucis documentis liturgicis, quae et ipsa debuerint eadem dexteritate corrumpi. Vides ad hoc tale opus inchoandum et feliciter perficiendum requiri veram turbam interpolatorum ex condicto agentium. Neque id satis; siquidem oporteret adiicere torporem atque incuriam vere incredibilem ex parte ecclesiarum. Estne verisimile fideles, sacerdotes, episcopos ita dormitasse omnes, ut nemo opus interpolatoris adverteret; ut nemo, si id adverterit, reclamaret? Difficultas rursus crescit, si cum Harnack supponis interpolationem factam Romae, ut praetensionibus primatialibus huius ecclesiae fundamentum biblicum exstrueretur.

c) Ceteroquin non explicatur quare interpolatio facta sit *tantum in Matthaeo.* Interpolator quippe aut interpolatores finem suum multo certius, multo securius obtinuissent corrumpendo tres simul textus synopticos; ita nempe omnem interpolationis suspicionem procul avertissent.

d) *Color* demum *semiticus* textum nostrum adeo profunde pervadit, ut vix sit unum in pericope verbum, quod non altum semitismum redoleat. Perpendas omnia et singula verba in vv. 17-19. Vix concipitur quod interpolator romanus talia verba et talem constructionem seligat pro lectoribus graecis.

Solvuntur obiectiones

Considerabimus imprimis difficultates obiectas ab A. Harnack, qui prae ceteris in hac re adlaboravit. Sequentur obiectiones moveri solitae contra genuinitatem nostri textus.

Impugnatio Harnackiana ultima (in Actis Academiae Borussicae, 1918) sic procedit: *Portae inferi* (πύλαι ᾅδου) significant mortem seu imperium mortis; hinc sequitur in textu nostro agi de promissione immortalitatis: — Porro subiectum immortalitatis nequit esse nisi persona physica i. e. Petrus; hinc lectio textus primigenia erat non (eam), sed (te): agitur ergo de immortalitate Petro a Domino promissa: — Rationes ex critica interna et externa ostendunt interpolatam esse pericopen: « super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam ». Textus ergo primigenius erat: « Et ego dico tibi quia tu es Petrus, et portae inferi te non vincent; et tibi dabo claves regni caelorum... ». Singula breviter examinemus.

Portae inferi: a) Harnack gratuito supponit vocem « portae » (πύλαι) adhiberi mere pleonastice; b) Item gratis supponitur vocem « inferi » (ᾅδου) *etiam in N. Testamento* significare tantum mortem seu sedem mortuorum; c) Dato, et non concesso, « inferum » significare imperium mortis, certe non debet excludi ille qui tenet mortis imperium seu diabolus (Hebr. 14). Cf. ea quae superius disputavimus de portis inferi, p. 168 sq.

Adversus eam (αὐτῆς): a) Harnack proponit novam lectionem te » (σου) contra omnes codices et versiones, ubi constanter legitur « eam » (αὐτῆς); b) Ratio Harnack est vere puerilis: mors praedicatur sensu metaphorico obvio et passim recepto de personis etiam moralibus, ut sunt regna, civitates, institutiones, associationes; c) Accedit quod tota haec interpretatio innititur dubio vel falso supposito i. e. quod portae inferi significant tantum mortem; d) Demum positive probatur Christum, nedum immortalitatem Petro promisserit, mortem eidem praenuntiasse. Cf. Io. 21, 18-19.

Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam: Rationes allatae pro interpolatione huius pericopes sunt vere futiles.

Ex critica interna: *a*) Haec pericope caret omni connexione cum reliquo contextu. — *Resp.* Connexio cum contextu antecedenti et consequenti nequit esse clarior. Verba pericopes imprimis ostendunt rationem novi nominis « Cephas » Simoni impositi. Metaphora dein fundamenti harmonice cohaeret cum metaphora clavium et ligandi ac solvendi.

b) Christus non potuit loqui de Ecclesia tamquam de nova quadam communitate a synagoga distincta. — *Resp.* Christus praenuntiavit Regnum Dei auferendum a Iudaeis et dandum gentibus (Mt. 21, 43), asseruit se habere alias oves praeter iudaicas in unum ovile ab ipso adducendas (Io. 10, 16), dedit mandatum praedicandi evangelium gentilibus (Mt. 28, 18). Potuit ergo optime loqui de nova societate super novum fundamentum erigenda.

c) Christus non potuit Ecclesiam vocare *suam*, quum Ecclesia sit Dei. — *Resp.* Christus potuit optime dicere Ecclesiam esse suam. Primo quidem quia erat verus filius Dei ut confessus est Petrus ex revelatione Patris; dein etiam qua homo Redemptor eam acquisivit sanguine suo: hinc est quod etiam Regnum caelorum appellat suum (Mt. 13, 41).

d) Locutio aedificare Ecclesiam super petram est metaphora cuius elementa continentur partim in Mt. 7, 24, partim in I Cor. 3, 10 et 14, 4. Ergo utroque hoc fonte usus est interpolator. — *Resp.* Obiectio *supponit* gratis factum interpolationis. Si metaphora domus aedificatae super petram Christum habet auctorem, quare ipse Christus non potuit loqui de *Ecclesia* aedificanda super petram? Cf. ea quae superius disputavimus de voce Ecclesia ad Christum referenda, p. 133.

e) Admissa authentia oportet supponere miram quandam et disparatam duplicitatem. Etenim Christus promisisset Petro: immortalitatem personalem: — locum insignem in regno messiano caelesti — locum quendam honorificum etiam in hoc saeculo. — *Resp.* Obiectio laborat duplici miro et falso supposito: — Christum promisisse Petro immortalitatem personalem — claves regni caelorum implicare locum insignem in regno *caelesti.*

f) Si verba forent authentica, Christus promisisset immortalitatem saxo. — *Resp.* (!!!).

g) Nostra pericope supponit carentiam boni stili. Ex una enim parte allocutio refertur aramaice (Simon barjona); novum autem nomen effertur graece = Petros, cum tamen in usu esset penes christianos nomen Kefas (oI. 1, 43; 1 Cor. 1, 12). — *Resp.* Carentia boni stili — quae in nostro ceteroquin casu nulla est — non sufficit ad negandam authentiam pericopes, cui fontes positivi omnes illustre testimonium perhibent.

Ex critica externa arguitur sic: Antiquissima omnium citatio textualis Mt. 16, 18 habetur in Diatessaron Titiani. Atqui versus 18 in hoc documento legebatur: Tu es Petrus et portae inferi non praevalebunt adversus te. Ergo haec erat forma primitiva textus. Minor ostenditur: *a*) Ex commentario S. Ephraem in Diatessaron Titiani, edit. Moesinger, ubi legitur: « Et respondit...: Beatus es Simon... tu es Kefa... et portae inferi te non vincent ». *b*) Ex commentario eiusdem Doctoris in Isaiam 54, 17 in opere Hymni et Sermones, Lamy II, p. 156: « Vectes inferni non praevalebunt adversus te)».

Resp. a) Quaestio de forma nostri textus in Diatessaron Tatiani nequit solvi ex duabus tantum sive citationibus sive allusionibus apud S. Ephraem. Adsunt in operibus huius S. Doctoris plures aliae citationes vel allusiones, quas Harnack omisit. En aliquas: « Simon discipule mi, ego te constitui *fundamentum Ecclesiae* sanctae, Petram vocavi te, quia tu sustinebis totum meum aedificium » (Serm. 4 in hebd. sanctam, Lamy I, p. 412). Item in Comment. in Isaiam, c. 62, Lamy IV, p. 687: « Et vocaberis nomine novo Ecclesia sancta. Quod *os Domini imponet dicens*: super hanc petram aedificabo

Ecclesiam meam et vectes inferni non vincent *eam*». Rursus in opere Hymni de Simone Petro, Lamy IV, p. 686 legitur: «Beatus es, o Petre, quia Filius Dei *posuit te in fundamento Ecclesiae,* ut portares pondus totius creaturae, sicut ipse portat totum mundum». Et paulo post in eodem opere, Lamy IV, p. 688: «Beatus es, Simon, quia super te aedificata est Ecclesia, decora lucis sponsa, cui promisit Filius Dei portas inferni non praevalituras adversus *eam*». Similia reperies in opere De paenitentia Petri, Lamy IV, p. 738. Ex his fit iam retorsio argumenti: Teste Harnack S. Ephraem citat verba evangelica ex Diatessaron Tatiani. Atqui S. Ephraem citat textum Mt. 16, 18 in forma hodierna (sic in Comment. in Isaiam) et non raro ad eam clare alludit (sic in aliis locis allegatis). Ergo Diatessaron continebat textum nostrum in forma hodierna.

b) Loca allegata a Harnack non continent strictas *citationes,* sed liberam paraphrasin. *Primum locum* quod attinet (ex Comment. in Diatess.), Harnack ut aliquam citationis apparentiam obtineret, aliqua verba omisit, et aliorum ordinem mutavit (!). En textum prout citatur a Harnack: «Et respondit: Beatus es Simon... tu es Kefa... et portae inferi te non vincent». — En textum prout reperitur in S. Ephraem: «Vos autem quid dicitis de me quod sim? Simon caput et princeps locutus est: Tu es Christus filius Dei vivi. Et respondit: Beatus es Simon, et portae inferi te non vincent i. e. quod non destructur fides. Quod enim Dominus aedificat quis potest destruere...? tu es petra, petra illa, quam erexit ut Satanas in eam offenderet». Vides in his verbis non contineri strictam citationem, quia non pauca verba textus evangelici omittuntur, alia verba nova inducuntur, et verborum evangelicorum ordo mutatur. Accedit quod haec paraphrasis ad versum 18 alludere videtur. Etenim id, quod non destruitur, est non vita Petri, sed fides seu caetus fidelium. Porro ideo non destruetur fdies, *quia est aedificata a Domino;* iamvero de hac aedificatione coetus fidelium sermo est in 18: «Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam». — *In altero loco allegato a Harnack* (ex Comment. in Isaiam) S. Ephraem commentatur Isaiam 54, 17 — «Omne vas quod fictum est contra te, non dirigetur; et omnem linguam resistentem tibi in iudicio, iudicabis». Quae verba biblica sic commentatur S. Doctor: «Omne vas quod aptatur contra te non perducetur ad finem: omne regnum tibi oppositum, non perducet opus suum ad finem, i. vectes inferni non praevalebunt adversus te: et omnem linguam quae tecum steterit in iudicio, convinces, idem est ac dabo *vobis* os ut nequeant adversarii vestri vos superare». Habes hic non citationem (vel etiam commentarium) Mt. 16, 28, sed liberam paraphrasim cap. 54 Isaiae, ubi non agitur de Simone aut Petro, sed de Sione seu Ecclesia; hinc verba: «vectes inferni non praevalebunt adversus *te*», *non referuntur ad Petrum, sed ad Ecclesiam.* Iam in v. notaverat Ephraem: «Haec spiritualia sunt et *ad Ecclesiam hodie pertinent*». — Liceat iam fidenter concludere: Tota impugnatio Harnack aedificata est non super firmam petram, sed super labilem arenam.

Reliquas obiectiones moveri solitas breviter examinabimus:

1) Nonne improbabile prorsus videri possit Christum post magnifica illa verba. Tu es Petrus... adeo dure increpasse Petrum dicendo: Vade post me, Satana: scandalum es mihi, quia non sapis ea quae sunt Dei » (16, 23). Ergo potius credideris priora illa verba non fuisse a Christo prolata nec a Matthaeo scripta, sed serius interpolata (Resch).

Resp. Negatur assertum. Ideo praecise quia Simon constituitur vicarius Christi et claviger regni caelorum, debet ipse prae ceteris optime nosse legem crucis in hoc regno militanti vere fundamentalem. Nec mireris si Simon adhuc carnaliter sapit, nec legem illam crucis intelligit. Rem totam optime explicat Hieronymus scribens: Prudens lector inquirat, quomodo post tantam benedictionem nunc audit Petrus: Vade retro me, scandalum es mihi? Aut quae sit tam repentina conversio, ut post tanta praemia Satanas appelletur? Sed si consideret qui haec quaerit, Petro illam benedictionem et beatitudinem ac protestatem, et aedificationem super eum Ecclesiae, in futuro promissam, non in praesenti datam, intelliget... *Aedificabo,* inquit... *Et dabo tibi...* Omnia de futuro, quae si statim dedisset ei, nunquam in eo pravae opinionis error invenisset locum ». Comment. in h. l. ML. 26, 120.

2) Sed si Christus protulisset verba promissionis primatus, Apostoli cognovissent primatialem Petri dignitatem. Atque hanc non agnoverunt, siquidem paulo post hanc scaenam disputant inter se quis eorum videretur maior in regno caelorum (Mt. 18, 1). Ergo difficulter concipitur Matthaeum esse huius utriusque textus auctorem.

Resp. Difficultas hoc unum ostendit, Apostolos ante descensum S. Sancti nondum clare cognovisse naturam regni caelorum, nec primatialem Petri positionem in hoc Regno militanti. Ceterum ipsa disputatio forsitan ostendit Apostolos novisse, aut suspicatos saltem esse, aliquem inter eos futurum esse maiorem. Ad rem Origenes: « Cum maximo a Iesu Petrum honore affectum existimarent... simul etiam sperabant futurum ut causam cognoscerent, cur ceteris discipulis Petrus antelatus esset... Petrus in confessione beatus appellatus est, rursus autem propter illud: Vade post me, Satana, animo erant incerto ac dubio, an si maior fortasse non esset, sed alter e filiis Zebedaei ». Comment. in Mt. t. 13, n. 5. MG. 13, 1130-1131.

3) Sed verba promissionis exhibent primatum tamquam praemium confessionis divinitatis Christi, quam solus Petrus prae aliis Apostolis elicuerit. Atqui omnes apostoli divinitatem Christi ante confessi erant (Mt. 14, 33). Ergo...

Resp. Dist. min.: Apostoli omnes antea confessi erant divinitatem Christi, innixi miraculo sedatae tempestatis, Tr.; caelitus moti et illustrati, N. Confessio divinitatis prius facta (Mt. 14, 33; Io. 6, 70), si tamen illa fuit vera divinitatis confessio, non obstat speciali ac illustriori revelationi soli Petro dein concessae.

4) At potissimum obiicitur silentium Mc. 8, 27 sq., et Lc. 9, 18 sq., qui totam reliquam scaenam referunt, et nostram praecise pericopen omittunt. Ergo signum est ea verba serius fuisse interpolata; nec enim aliter intelligi potest quomodo illa ab utroque Evangelista sint praetermissa.

Resp. a) Silentium Mc. et Lc. retorqueri potest contra Resch, Harnack aliosque adversarios, qui genuinitatem Mt. 16, 17 et 19 admittunt, non obstante silentio Mc. et Lc.

b) Argumentum *ex mero silentio* deductum nihil valet contra positivum testimonium scriptoris veracis,nisi indubie ostendatur priores illos scriptores *debuisse* haec verba citare. Atqui hoc minime ostenditur; nec obstat momentum apologeticum nostrae pericopes. Siquidem irrationabiliter supponitur nostras hodiernas praeoccupationes apologeticas coincidere cum praeoccupationibus illorum priorum temporum. Lucas silet reprehensionem Petri, quam narrant Mt. et Mc. Ioannes refert collationem primatus, quam silent tres synoptici. Ioannes omittit institutionem Eucharistiae, quam tres synoptici commemorant. At tres rursus synoptici silent stupendam potestatem remittendi peccata, quam Ioannes narrat. Mc. et Lc. omittunt expressam confessionem divinitatis Christi, quam Mt. refert, etc. etc. etc.

c) Nostra pericope optime cohaeret cum narratione reliquorum evangelistarum. Etenim omnes extollunt locum Petri; — Ioannes refert collationem primatus promissi apud Mt.; — Lucas habet locum nostro Mt. sat parallelum (22, 31-33); Omnes supponunt Ecclesiam universalem a Christo institutam; — Quod vero caput est, omnes narrant *novum nomen Petri* Simoni a Christo impositum. Iamvero Matthaeus (16, 18) explicat rationem mutati nominis. Christus ideo Simonem Petrum appellavit, quia super eum, tamquam firmissimum saxum, Ecclesiam suam aedificavit. Vides narrationem reliquorum evangelistarum ita cohaerere cum nostra pericope, ut ea indigeat ut vero complemento.

d) Omnibus perpensis, non tam explicanda est praesentia pericopes in Mt., quam eius absentia in Mc. et Lc. Variae hypotheses circumferuntur: *Lagrange* opinatur verba promissionis fuisse dicta a Christo, non in colloquio habito in Caesarea Philippi, sed in alia occasione; inde silentium in Mc. et Lc.: *Michiel* quaerit rationem silentii in alto verborum *aramaismo* minus apto pro evangelio *ad gentes* destinato. *Eusebius Caes.* notat Marcum referre in suo evangelio catecheses Petri, quem verba adeo honorifica solitum esse reticere haud aegre intelligitur. *Mediebielle* recenter advertit solum Matthaeum referre confessionem *divinitatis* Christi a Petro factam. Porro datur quaedam solidarietas inter utramque narrationem, quum verba promissionis contineant quoddam praemium praefatae confessionis.

e) Matthaeus *vix potuit omittere* totam hanc pericopen attento scopo sui evangelii. Etenim voluit ostendere *Iudaeis* Iesum Nazarenum esse Messiam in V. T. promissum et annuntiatum. Regnum Dei, a Christo Iudaeis praedicatum et oblatum, reiectum est ab Israel. Quum vero Dei consilia

et promissiones irrita esse non possint, Christus novum Israel super novum fundamentum aedificare decrevit. Hinc est quod regnum Dei a Iudaeis auferendum et gentibus tradendum altius prematur apud Mt., quam apud Lc. et Mc. Hinc etiam est quod potestas aliis quoque Apostolis promissa (Mt. 18, 18) a solo Matthaeo referatur. Ipsa vox Ecclesia nonnisi apud Mt. recurrit: recte notatur Evangelium Matthaei esse essentialiter ecclesiasticum et antipharisaicum.

II.

De genuinitate historica Mt. 16, 18-19

1. Vidimus theoriam interpolationis innixam fundamento vere labili. Nihil iam mirum si nostris diebus passim deseratur in ipsis castris Rationalistarum. Quibus duplex suppetit via vitandi consectaria romana nostrae pericopes: vel admittere historicam quoque ipsius authentiam, et obvio sensui verborum Christi substituere aliam violentam interpretationem; vel concessa genuinitate litteraria, negare historicam appellando ad theoriam evolutionis. *Primam* viam ingreditur *P. Kattenbusch,* Der Quellort der Kirchenidee (Festgabe Harnack 1921), p. 143 sq. — item in Theol. Studien und Kritiken (1922), II. p. 96 sq. *Alteram* seligunt fautores theoriae evolutionis dogmaticae primitivae (Gemeindetheologie). Primam viam praecludemus agentes in tertia parte de valore textus demonstrativo; remanet ergo hic breviter consideranda theoria evolutionis.

2. Fautores huius theoriae concedunt Matthaeum fuisse auctorem litterarium totius pericopes, at contendunt eam ortam esse non a Christo, sed a communitate Hierosolymitana primitiva. Fingunt evolutionem quandam religiosam erumpentem in medio christianitatis primaevae subito post mortem Christi. Evolutionis religiosae porro proprium est defigurare, transformare, elevare personas et facta ultra condiciones historicas. Id factum est sicut in persona Iesu eiusque religione, sic etiam in persona Petri et Ecclesia. Aliquis sane primatus erat in historica Petri persona. Ipse quippe fuit *primus visionarius,* qui visus est sibi conspexisse Christum redivivum et gloriosum, et sic auctor fuit similis experientiae provocandae in mentibus suorum condiscipulorum: ipse quo-

que fuit *primus praedicator*, qui primam iudaeorum communitatem christianam adunavit. Porro duplex hic primatus chronologicus fide discipulorum transformatur in verum quendam primatum iuridicum, et positivae Christi voluntati attribuitur. Matthaeus hanc Christi voluntatem ut vere historicam habuit, illamque suo evangelio inseruit. Sic *Bultmann* in Zeitschr. neutest. Wissensch. IX (1919), p. 155 sq.

3. Tota haec theoria apparet: *a*) *suspecta in sua origine;* quippe quae sit eminenter aprioristica, omni fundamento historico destituta, falsis principiis philosophicis innixa. Gratis negatur revelationis divinae, necnon miraculi possibilitas; gratis item reiiciuntur facta historica bene constabilita, uti sunt Christi divina legatio, messianitas, resurrectio, Ecclesiae fundatio; verbo, quidquid supernaturale redolet.

b) Est praeterea *vehementer inverisimilis*. Etenim supponit transformationem ex una parte *summam,* ex alia parte *celerrimam,* factam dein a personis e quibus exspectari minime poterat. Fingitur nempe sublimis ista idealizatio provocata et maturata ab his qui erant homines rudes, comites Iesu per triennium, eiusque familiares, qui proinde Eum nosse optime poterant; qui ex hac idealizatione et transformatione nullum lucrum sperare poterant, se odium connationalium, infamiam, labores, vias duras, mortem. Accedit quod documenta *nullam gradationem* ostendunt in evolutione, sed Apostolos *ab initio* persuasos de vera Christi divinitate, ad quam appellant pro ostendenda sua divina missione, patratis quoque stupendis prodigiis...

c) *Nostram pericopen* quod attinet, impossibilitas huius transformationis facile apparet. Agitur nempe de re valde momentosa, qualis est Christi divinitas, Ecclesiae fundatio, primatus Petri iuridicus. *Mendacium* porro in hac tali materia a Matthaeo prolatum, a ceteris omnibus suis condiscipulis ratihabitum, est inverisimile; nec critici, de quibus agimus, tale mendacium Matthaeo adscribunt. Sed non minus impossibilis apparet *error*. Siquidem Matthaeus falso tribuisset Christo verba *coram omnibus Apostolis* dicta, e quibus verbis sequitur unius Petri exaltatio *contra iura*

aliorum Apostolorum; talis profecto error fuisset ab his subito correctus et emendatus.

d) *Iterum inverisimilis* praedicta transformatio ostenditur. Matthaeus nempe post tantam Petri exaltationem narraset: gravissimam a Christo factam *reprehensionem* (16, 23) — contentionem Apostolorum de primatu (18, 1) — scandalosas Petri negationes (26, 70-74) — *omisisset* praecise gloriosam Christi apparitionem factam Petro, *unde oritur totus idealizationis processus* (!) — Lucas e contra narraset hanc apparitionem (24, 34), et omississet nostram pericopen.

e) *Res tota contrario modo* se habet: Ratio quare Christus primum Petro apparuit stat in reali Petri praecellentia. Ratio historica quare Petrus primus loquitur, primam iudaeorum communitatem efformat, primum gentilem in Ecclesiam admittit, primas partes in omnibus arripit, idque nemine admirante, nemine obiurgante, stat praecise in vero et proprio primatu a Christo eidem primum promisso, dein collato; adde miracula magnifica quibus Deus totam Petri praedicationem et actionem confirmat.

III.

De primatu promisso in Mt. 16, 18-19

Authentia textus in tuto collocata, *valor eius demonstrativus* ostendendus venit.

Textus in primis habeatur prae oculis: « Venit autem Iesus in partes Caesareae Philippi: et interrogabat discipulos suos dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt... Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit: Tu es Christus filius Dei vivi. Respondens autem Iesus dixit ei: Beatus es Simon Bar Iona: quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in caelis est. Et ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis: et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis ».

Argumentum ex textu facile construitur: Haec verba diriguntur immediate ad singularem Petri personam... Atqui in his verbis continetur promissio primatus iurisdictionis super universam Ecclesiam. Ergo...

Maior fit evidens attento textu et contextu: *a*) Primo quidem contextus orationis rem evincit. Duplici Christi interrogationi duplex datur responsio: prima ab omnibus Apostolis — « at illi dixerunt », altera a solo Petro — « respondens Simon Petrus dixit ». Porro Christus respondens dixit non *illis,* sicut paulo antea, sed *ei.* *b*) Deinde Christus eum alloquitur, quem prae ceteris praedicat beatum, utpote a Patre caelesti inspiratum. Atqui hic non est alius quam Simon filius Iona, cui soli Christus hoc nomen promisserat (Io. 1, 42; Mc. 3, 16). *d*) Totus orationis tenor singularem Petri personam signanter declarat: Et ego dico *tibi,* quia *tu* es Petrus... et *tibi* dabo claves regni caelorum, et quodcumque *ligaveris...* *e*) Porro idem est Petrus a Christo dictus, et petra super quam aedificatur Ecclesia, ut clare ostendit particula demonstrativa « super *hanc* petram ». Tota ratio confusionis, quae hac in re apud nonnullos obtinuit, penitus dissipatur ex textu originali aramaico, ubi Petrus et petra designantur eodem vocabulo: « Tu es Kepha, et super *hoc Kepha* aedificabo Ecclesiam ». Accedit quod idem est Kepha, cui Ecclesia superstruitur, et claviger regni caelorum. Atqui claviger regni caelorum dicitur et est Simon Petrus. Hypothesis demum protestantica de Christo se ipsum digito designante est gratuita et ridicula.

Minor propositio duo asserit: *a*) sermonem Christi esse de universa Ecclesia; *b*) promitti in eo iurisdictionem supremam. Horum primum evidens est, quia Christus loquitur de Ecclesia *sua,* quae certe est Ecclesia universalis; agitur dein de Ecclesia contra quam portae inferi non praevalebunt. Atqui hac saepe praevaluerunt contra ecclesias particulares. Agitur demum de Ecclesia quae sensu pleno vocatur Regnum caelorum qualis est Ecclesia universalis. — Probandum ergo remanet in textu promitti a Christo veram iurisdictionem et quidem supremam, in quo reperitur punctum totius difficultatis. Christus rem totam exhibet sub triplici metaphora gradatim ascendente, quarum alia aliam illustrat, complet, corroborat. Prima est

Methapora fundamenti in qua Christus est achitectus, Ecclesia est domus, Petrus vero saxum *naturale*, cui superstruuntur tum muri partes imae, tum reliqua aedificii structura (cf. Mt. t. 25 et Lc. 6. 48). Porro Ecclesia Christi exhibetur ut domus *opposita* alii domui, quae est ecclesia malignantium, cuius portas et claves tenet Princeps tenebrarum seu daemon, qui bella quidem excitabit geretque contra Ecclesiam Christi, at irrito conatu: Et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Ergo simili modo se habet Petrus relate ad Ecclesiam universam, ac se habet fundamentum naturale relate ad domum materialem; qui modus penitius iam est excutiendus.

Primo quidem fundamentum est *initium* domus, est enim id quod primo substernitur, est id unde tota aedificatio surgit et crescit. At ratio fundamenti minime exhauritur hoc inchoandi officio. Est ergo alia eaque nobilissima fundamenti ratio, qua constituitur primum principium unitatis et cohaesionis totius compaginis. Eatenus enim reliquae partes cohaerent inter se et unum aliquid connexum ac compactum efformant, quatenus omnes uniuntur fundamento et in eo ultimatim subsistunt. Hinc est quod, diruto fundamento, ruit et conquassatur tota structurae moles, cuius nihil manet solidum, sed confusa dispersaque elementorum congeries.

Deinde fundamentum, sicuti est principium unitatis et cohaesionis, sic etiam est ratio ultima firmitatis et stabilitatis aedificii. Sane quae est ratio ultima unitatis in aedificio materiali, eadem oportet ut sit ultima ratio firmitatis. In ente enim composito, quale est aedificium, principium conferens unitatem, eo ipso reditur principium seu ratio dans esse toti aedificio; siquidem esse compositi surgit ex unione partium. Ergo sicuti posita unione, eo ipso ponitur et solidatur aedificium, sic dissoluta partium unione, corruat necesse est tota fabricae moles et structura. Ipse Christus rem totam pulchre explicat in epilogo sermonis montani (Mt. 7, 24-25). Ubi adimplens Christi sermones comparatur « viro sapienti qui aedificavit domum suam super petram, et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata *enim erat super terram*: τεθεμελίωτο γὰρ ἐπὶ τὴν πέτραν. Hisce praelibatis, sit iam

Argumentum in forma: Petrus ex verbis Christi est fundamentum Ecclesiae universae, i. e. principum (visibile) unitatis et firmatis eccleriasticae contra quam portae inferni non praevalebunt. Atqui nequit esse tale fundamentum absque vera iurisdictionis potestate, eaque suprema. Ecclesia namque est constituta ad modum societatis, ut superius ostendimus. In omni vero societate ab hominibus efformata principium efficax unitatis et firmitatis merito reponitur in auctoritate suprema legislativa, iudiciaria et coactiva, cuius est harmonicam civium conspirationem ordinare, inducere, promovere, tueri contra centrifugas singulorum tendentias, necnon contra pericula extrinsecus imminentia. Christus ergo constituens Petrum fundamentum Ecclesiae universae, eo ipso illum constituit supremum eiusdem rectorem seu tradit primatum iurisdictionis. Advertas Ecclesiam esse coetum *fidelium*, in quo primaria cohaesionis forma est *unitas fidei*. Primaria ergo potestas implicata in primatu est potestats magisterii suprema. Hinc est quod Patres passim primatum reponant in *fide Petri*, in fide, inquam, a Petro confitenda et authentice praedicanda.

Argumenti vim agnoscit et perspicue exponit *Loisy*: « Simon a bien mérité le nom de Pierre par la solidité de la foi qu'il vient de manifester. Pierre il est, Pierre il sera; car c'est sur lui que doit reposer, comme sur un fondament inébranlable, tout l'édifice de l'Eglise. Il n'est vraiment pas nécessaire de prouver que les paroles de Jésus s'adressent à Simon, fils de Jona, qui doit être et qui a été la pierre fondamentale de l'Eglise, et qu'elle ne concernent pas exclusivement la foi de Simon, ou bien tout ceux qui pourraient avoir la même foi que lui; bien moins encore la pierre peut-être elle ici le Christ lui même. De tellés interprétations ont peut être proposées par les anciens commentateurs en vue de la application morale (« on les trouve dans les Pères, mais sans exclusion du sens historique ») et relevées par l'exégèse protestante dans un intérêt polémique; mais si l'on en veut faire le sens historique de l'Evg., ce ne sont plus que distinctions subtiles et qui font violence au texte. Les paroles de Jésus visent le rôle de Pierre danś la fondation de l'Eglise...; bien que la foi en soit le point de départ, elles se rapportent moins à l'ordre de la foi qu'a l'ordre de l'activité apostolique et du gouvernement ecclésiastique » (Synopt. II p. 7 sq.).

Methapora clavium rem confirmat novoque lumine colustrat. Advertas transitum logicum ex prima metaphora ad secundam. Christus in prima metaphora exhibet Ecclesiam ut *domum* impu-

gnandam ideoque firmandam fundamento petrino. At haec domus est *regalis;* hinc transitus ex domo ad *Regnum*: accedit mentio earum quae dicuntur *portae inferni* (πύλαι ᾅδου) hinc transitus ex porta ad claves. Duo rursus sunt definienda: subiectum et obiectum promissionis: Verba dirigi ad solum Petrum vix indiget nova probatione. Etenim *textus* ipse singularem Petri personam signanter determinat: *Tibi* dabo claves Regni caelorum. *Contextus* rem invicte confirmat. Siquidem totus orationis tenor et vis alte proclamant eundem illum esse clavigerum in militante Regno caelorum, qui in praecedenti metaphora fuerat designatus saxeum Ecclesiae fundamentum. Accedit quod nuspiam legitur in Scripturis Christum dedisse aut promisisse apostolis *claves* Regni caelorum.

Claves significare potestatem in suo genere supremam ostendit usus vocis sive profanus, sive biblicus. Usum *profanum* quod attinet, nota sunt verba quae *Solimanus* Turcarum imperator adhibuit respondes legatis Ferdinandi regis Hispaniae: « Claves Hungariae suspendàm ex humero meo » = Ero supremus imperator etiam Hungariae. — *Usu biblico* clavis est symbolum potestatis. Obiectum porro huius potestatis potest esse varium et diversum: hinc diversae formae clavium, vel diversae formulae potestatis clavigerae. Quinque formulas biblicas reperio; clavis scientiae — clavis domus David — clavis David — clavis mortis et inferni — clavis Regni caelorum. Singulas breviter consideremus:

Prima formula: clavis *scientiae* recurrit in evangelio Lc. 11,52: « Vae vobis legis peritis, quia tulistis clavim scientiae, ipsi non introistis, et eos qui introibant, prohibuistis ». Consonant verba Christi apud Mt. 23,13: « *Clauditis* regnum caelorum ante homines vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis intrare ». Clavis ergo scientiae significat potestatem magisterialem seu doctrinalem scribarum et legisperitorum in synagoga iudaeorum. Christus agnoscit quidem legitimitatem huius potestatis, reprobat vero usum perversum eiusdem penes scribas et pharisaeos: Super cathedram Moysi sederunt et scribae et pharisaei. Omnia ergo quaecumque dixerint vobis, servate et facite, secundum opera vero

eorum nolite facere. Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponut super humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere » Mt. 23,2-3. Palmarium exemplum huius abusus, huius clausurae Regni caelorum habes in sanatione daemoniaci caeci et muti penes ipsum Mt. 12, 22 sq.

Secunda formula: Clavis *domus David* recurrit apud Isaiam 22, 15 sq.: « Haec dicit Dominus exercituum: Vale, ingredere ad eum qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam praepositum templi et dices ad eum... Expellam te de statione tua, et de ministerio tuo deponam te: et erit in die illa. Vocabo servum meum Eliacim, filium Helciae. Et iduam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et *potestatem tuam* dabo in manu eius; et erit quasi pater habitantibus Ierusalem et domui Iuda. Et dabo *clavem domus David* super humeros eius; et aperiet, et non erit qui claudat; claudet, et non erit qui aperiat ». Ex his apparet quaenam sic significatio huius secundae formulae: clavis domus David significat potestatem quam habebat Sobna, qui secundum textum latinum erat praepositus templi (summus sacerdos), secundum textum vero originalem hebraicum erat praepositus domus regalis primus minister regis, oeconomus in domo regia. Sobna destituitur et ei sufficitur Eliacim, filius Helciae; potestas Sobnae datur Eliacim. Haec porro potestas exhibetur imagine seu symbolo clavium. Clavis ergo domus significat potestatem regalem (vicariam), ideoque iuridicam et quidem supremam: aperiet, et nemo claudet; claudet et nemo aperiet. Advertas id quod dicitur de Eliacim: Et erit *quasi pater* habitantibus Ierusalem et domui Iuda. Ubi notatur regimen paternale, quo gubernabit Eliacim totam domum Iuda.

Tertia formula: Clavis David recurrit in Apocalypsi 3,7: « Haec dicit sanctus (et) verus, qui habet clavim David, qui aperit, et nemo claudit, claudit et nemo aperit ». Hic locus continet apertam allusionem ad formulam praecedentem Isaiae: dabo clavem domus David super humerum eius ... Clavis ergo David significat clavim quam Christus rex habet in domo Davidica Novi Testamenti seu Ecclesia. Qualis sit haec potestas, apparet primo ex

ipso Isaia 3,6-7: « Factus est principatus super humerum eius... super solium David et super regnum eius sedebit ut confirmet et corroboret illud in iustitia amodo et usque in sempiternum ». Item apud Lucam 1,32 sq. « Et dabit illi Dominus sedem David patris eius, et regnabit in modo Jacob in aeternum, et regni eius non erit finis ». Une manifeste consequitur *clavim David* significare potestatem regalem Christi in regno messiano quod est Ecclesia.

Quarta formula: Clavis mortis et inferni recurrit rursus in Apocalypsi 1,17-18: « Ego sum primus et novissimus, et vivus, et fui mortuus; et ecce sum vivens in saecula saeculorum, et habeo claves mortis et inferni ». Claves mortis et inferni evidenter significant potestatem dominativam Christi glorificati in mortem et infernum eiusque principem. Hinc Paulus ad Hebraeos 2,14: « Christus per mortem devicit eum qui tenebat mortis imperium diabolum ». Christus resurgens ex mortius amplius non moritur, mors ei ultra non dominabitur. Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod exaltavit illum et dedit ei nomen super omne nomen, ut in nomine Iesu omne genu flectatur caelestium, terrestrium et infernorum et omnis lingua confiteatur quia Iesus est Dominus in gloriam Patris.

Quinta formula: Claves Regni caelorum recurrit in nostro loco evangelico Mt. 16,19: « Et tibi dabo claves Regni caelorum ». Qualis sit significatio huius formulae aperte patet. Regnum caelorum est regnum messianicum inchoatum in terris, consummandum in caelis. Claves ergo Regni caelorum significant potestatem quam Christus rex habet in suo regno messianico et ecclesiastico. Has porro claves promittit Christus suo in terris vicario. Hisce ergo explicatis et praenotatis, habemus argumentum clarum, breve, efficax pro nostra thesi:

En formam argumenti: Christus promittit Petro claves Regni caelorum exercendas in terris — Claves Regni caelorum sunt claves Christi regis messiani — Claves Christi regis evidenter

continent iurisdictionem supremam. Ergo Christus promittens Petro claves Regni caelorum, eo ipso promittit ei primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam.

Loisy rursus agnoscit vim argumenti scribens: « Pierre exercera visiblement sur la terre, au nom et par la volonté du Maître invisible,, le pouvoir des clefs...: non obstant l'emploi du mot royaume, il s'agit de l'Eglise: Les clefs figurent l'autorité du majordome, dont l'acte le plus apparent est de surveiller, de accorder ou de refuser l'accès de la demeur royale..., d'une manière générale tout l'exercice de l'autorité ecclésiastique en ce qui regarde le traitement des personnes » (Synopt. II, p. 11).

Analysis methaporae rem confirmat. Duplex est functio clavigeri: Primo quidem aperire-claudere; deinde vero administrare cuncta bona domus vel civitatis. Utraque functio implicat primatum iuridicum: *a*) Potestas aperiendi-claudendi supponit potestatem admittendi in domum socialem ecclesiasticam, et ab ea expellendi. Id porro spectat ad supremum Ecclesiae rectorem; *b*) Munus administrandi bona *doctrinalia* secum fert potestatem docendi, declarandi, dictandi normas credendi supremas; *c*) Munus administrandi *sacramenta et sacrificium* eucharisticum importat rursus potestatem excommunicandi, instituendi ritus liturgicos, constituendi ministros sacrorum in Ecclesia universa etc. Vides in his omnibus implicari universalem et supremam regendi potestatem.

Metaphora ligandi et solvendi toti argumento apicem apponit. Latentem in clavibus potestatem Christus in hac tertia metaphora expressius effert, eamque exhibet in exercitio positam: « Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis ». Verba dirigi ad solum Petrum evidens est. Verbis exhiberi potestatem iurisdictionis supremam non minus liquet. Iam in thesi anteriori ostendimus formulam « ligare et solvere » significare potestatem iuridicam. At novae et speciales rationes recurrunt in textu nostro. Sane ligare et solvere sunt actus eius qui tenet claves Regni caelorum. Sed claves, ut vidimus, significant potestatem iurisdictionis. Ergo ligare et solvere idem est ac actus iurisdictionis exercere. Porro potestas haec exhibetur in textu ut *extensive universalis* nulloque affecta limite locorum aut personarum: « *Quae-*

cumque ligaveris *super terram* ». Eadem est *intensive summa*, siquidem omnia quae ligat Petrus in terris, iam sunt ligata et in caelis, ideoque actus iurisdictionis positi a Petro ita sunt firmi ac validi, ut a nulla in terris potestate possint dissolvi aut invalidari. Quod si primatus iurisdictionis nihil est aliud, ut praenotavimus, quam iurisdictio intensive summa, extensive universalis uni prae aliis a Christo concessa, evidens est Christum in prolatis evangelicis verbis uni b. Petro directe et immediate promisisse primatum non honoris tantum aut meri ordinis, se verae propriaeque iurisdictionis. Ceterum per se patet amplissimam hanc potestatem primatialem limitari tum fine *religioso* huius societatis, tum ipsa lege constitutionis ecclesiasticae, quum Petrus nequeat immutare ea quae sunt iuris divini.

Nota: Tres metaphorae etiam seorsum singulae aptam prothesi demonstrationem suppeditare possint. At negari non potest tres metaphoras *simul sumptas* constituere argumentum clarius, plenius, fortius. Revera funiculus triplex difficile rumpitur; ex alia vero parte quod Christus coniunxit, criticus non separet. Apodicticum argumenti valorem vel ipsi Protestantes sincere agnoscunt. Accipe quae scribit v. gr. *Schelling* (Philos. der Offenb., p. 301): « Diese Worte Christi sind evvig entscheindend für den Primat des h. Petrus unter den Aposteln; es gehörte die ganze Verblendung des Parteigeistes dazu, das Beweisende dieser Worte zu verkennen oder den Worten einen anderen als diesen sinn unterzulegen ». — Similiter *Loisy* (*Synopt.* II, p. 12-13): « Simon Pierre est donc la première autorité apostolique en ce qui regarde la foi, puisque le Père lui a de préférence révélé le mystère du Fils; en ce qui regarde le gouvernement des communautés, puisque le Christ lui a confié les chefs du royaume; en ce qui regarde la discipline ecclésiastique puisqu'il a le pouvoir de lier et de délier. Ce n'est pas sans cause que la tradition catholique a fondé sur ce texte le dogme de la primauté romaine ». — Ipse *W. Köhler* vidit promissionem primatus in textu clare contineri; ideo ipsius authentiam historicam obscurare satagit: « Gewiss, eine « Primatialgewalt » wird hier dem Petrus verliehen, aber die Katholische Kirche irrt, wen sie dieses Wort Iesus selbs zuschreibt ».

IV.

De primatu collato apud Io. 21, 15-17

1. *Oiriginem Ioanneam* quarti evangelii in Introductione demonstratam supponimus. Relatio capitis 21[i] ad reliquum evangelium diversimode explicatur etiam apud auctores catholicos. Diversitati ansam praebet forma redactionalis qua capiti pracedenti finis imponitur (20, 30-31), ubi totius operis epilogus contineri prima fronte videtur. Hinc multi putant totum hoc caput 21[um] esse quandam *appendicem* ab ipso Ioanne serius appositam sive ad cohibendum sermonem qui exierat inter fratres de immortalitate Ioanni a Domino promissa (21, 23), sive ad complendam reliquam narrationem envangelicam, addita fundatione Ecclesiae a Christo facta et Petri curac pastorali commissa. Alii non vident necessitatem recurrendi ad hypothesim adiectae appendicis. Lagrange opinatur rem totam posse facile explicari facta hypothesi cuiusdam translationis. Duo nempe versiculi ultimi capitis 20[i] continebant in primitiva redactione finalem totius evangelii. At hi duo versus debuerunt transferri in locum quem nunc tenent, ex quo nova finalis apposita est, puta a presbyteris Ephesinis, capiti vigesimo primo (21, 24-25). Quidquid sit de hac quaestione, Traditio tota etiam primaeva attribuit incunctanter Ioanni apostolo simul cum reliquo evangelio etiam hoc caput 21[um], saltem si demas duos ultimos versiculos i. e. 24-25. Huic testimonio externo debet addi testimonium internum quod recurrit in hoc ipso capite (21, 24), ubi Ioannes exhibetur ut auctor totius evangelii: « Hic est discipulus ille, qui testimonium ptrhibet de his, *et scripsit haec*: et scimus quia verum est testimonium eius ». Hisce praenotatis de genuinitate pericopes, sit iam gradus ad thesis probationem.

Textus ergo praecedat: « Cum ergo prandissent, dicit Simoni Petro Iesus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine, tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos (βόσκε τὰ ἀρνία μου). Dicit ei iterum: Simon Ioannis, diligis me? Ait illi: Etiam Domine tu scis quia amo te. Dicit ei: Pasce agnos meos (ποίμαινε τὰ προβάτια μου). Dicit ei tertio: Amas me? et dicit ei:

Domine, tu omnia nosti: tu scis quia amo te. Dixit ei: Pasce oves meas (βόκε τὰ προβάτα μου). Amen amen dico tibi: cum esses iunior, cingebas te, et ambulabas ubi volebas; cum autem senueris, extendes manus tuas, et alius te cinget, et ducet quo tu non vis. Hoc autem dixit significans qua morte clarificaturus esset Deum ». Duplici verbo utitur evangelista ad significandum munus Petri pastorale: βόσκειν, ποίμαινειν. Primum videtur potius significare: nutrire, apacentar; alterum potius regere, pastorear. Utroque verbo certe designatur *integrum* munus pastoris. Rursus dubitatur num denotetur aliquid discriminis vocibus: ἀρνία, προβάτια, προβάτα. Hoc unum nostra refert, tribus his voculis *integrum gregem* designari.

Argumentum e textu facile construitur: Haec verba diriguntur ad solum Petrum. Atqui verba continent collationem primatus. Ergo...

Maior indubie constat. Nam verba Christi singularem Petri personam clare designant, adhibito nomine ipsius, imo et Patris, Simon Ioannis — Deinde Petrus a ceteris distinguitur et eisdem opponitur: diligis me *plus his.* — Petrus solus contristatur, dum tertio interrogatur, quia ille solus recordatur trinae prioris negationis. — Demum soli Petro praedicit Iesus genus mortis, quo Deum erat glorificaturus.

Minor probatur. Duo debent ostendi: *a*) verbis citatis significari potestatem iurisdictionis; *b*) eamque supremam. Primum constat ex usu vocis ποίμαινεν sive profano, sive biblico. Usus *profanus* recurrit apud Homerum, qui reges aut duces appellat ποιμένες λαῶν Agamennonem, Menelaum, Achillem, Hectorem.

Usus *biblici* exempla prostant tam in V quam N. testamento. Sic Isaias 4, 11: sicut pastor gregem suum pascet (ποιμαινεῖ); in brachio suo congregabit eos ». — Ezech. 34, 23: « Et suscitabo super eas pastorem unum qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas et ipse erit eis in pastorem ». — 2 Reg. 5, 2: Sed heri et nudiustertius cum esset Saul rex super nos, tu eras educens et reducens Israel, et tu eris dux super Israel » (cf. Ps. 77, 70-72). — Ps. 2, 6: « Ego autem constitutus sum rex ab eo super montem sanctum Sion praedicans praeceptum eius: Dominus dixit ad me: Filius meus et tu: Ego hodie genui te... Reges (ποιμαινεῖς

eos in virga ferrea et tamquam vas figuli confringes eos » — Cyrus rex vocatur pastor ab ipso Yahveh apud Isaiam 54, 28: « Qui dico Cyro, Pastor meus es, et omnem voluntatem meam complebis ». — Consonat Novum Testamentum. Sic. Mt. 2, 6: « Et tu Bethlehem, terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet dux qui regat (ποιμαινεῖ) populum meum Israel ». — Act. 20, 28 « Attendite vobis et universo gregi in quo Spiritus Sanctus vos posuit episcopos regere (ποιμαίνειν) Ecclesiam Dei » Verbo: Yahveh, Christus, David, Cyrus sunt reges et vocantur pastores, eorumque officium regale et pastorale exprimitur verbo ποιμαίνειν; idem dicatur de episcopis. Constat ergo vocem ποιμαίνειν usu tum profano, tum biblico denotare potestatem iurisdictionis. Nec obstat I Petri 5, 2, ut nonnemo imperite contendit.

Significari potestatem *supremam* invicte ostenditur: Nam vere suprema est potestas quae uni soli datur in universam Ecclesiam. Atqui talis potestas soli Petro datur; siquidem Petro dantur regendi omnes agni, omnes oviculae, omnes oves Christi. Iamvero quidquid sit de discrimine inter voces oves, agnos, agniculos, evidens est his vocibus designari universum Christi gregem. Omnes ergo fideles, apostolis minime exceptis, a Petro sunt pascendi et regendi. Aliis verbis: Pastoratus Petri est stricte universalis; ergo vere supremus, quum nullum habeat in societate ecclesiastica parem aut maiorem, sed omnes prorsus singillatim et collective subditos.

Ipsa analysis metaphorae Pastoris rem totam egregie confirmat. Pastoris quippe est intrare per ostium seu exercere munus ex legitima potestate sive propria sive vicaria — ovibus praeire seu eas conducere tum vitae exemplo, tum voce dictante normas credendi operandique — oves ad bona pascua perducere — totum gregem in unitate continere, hinc errantes quaerere et in ovile revocare — scabie infectas separare — ovile totum ab incursibus luporum tueri. Sed haec applicata gregi ovium rationalium evidenter implicant amplam potestatem magisterialem, legiferam, iudicialem et coactivam. Ergo Christus constituens Petrum sui gregis pastorem, eo ipso constituit eum universalis Ecclesiae rectorem supremum.

Novum lumen accedit ex ipsa exegesi acatholica. Audiatur

(Loisy (4e Evg., p. 939 sq.). L'énoncé du nom complet: « Simon, fils du Jean » marque la solemnité de la question. On se rappelle aussitôt l'apostrophe...) Mt. 16, 12: Beatus es Simon Bar Iona). La foi de Pierre n'est pas en cause, et il ne l'avait mais perdue; il avait manqué seulement de courage pour la professer... Comme s'il voulait recompenser en amour que l'humilité rend parfait et préservera maintenant de défaillance, Jésus dit a Pierre: « Pais mes agneaux ». *L'apôtre est chargé de la direction du troupeau chrétien à la place de Jésus*... En faisant de Simon son vicaire, Jésus ne reabilite pas seulement le renégat, *il confirme dans sa primauté* le prince des apôtre. Peut-être faudrait-il dire qu'il l'investit... Tant pour le contenu que pour la forme, et pour l'emploi caractéristique du nom de Simon, ce passage est parallèle au *Tu es Pierre* de Mt. et au *Confirme tes frères* de Lc. Ce sont trois échos de la même tradition, également fidèles quant à leur substance... Il est très probable qu'un terme différent a été choisi pour la troisième réponse, de façon à constituer une gradation ...: pri à part ou collectivement, ils désignent l'ensemble du troupeau chrétien; mais la varieté des termes sert à qu'il n'y a pas d'exception, et que tous les fidèles du Christ, quelle que soit leur place dans la communauté, son confiés à la sollicitude de Simon Pierre ... L'idée de la charge que le Christ impose à son apôtre domine tout le dialogue ».

V.

De Petro Christi Vicario

Dedimus in superioribus argumentum in ea forma sub qua illud exhiberi passim consuevit. Hanc formam lucidam, efficacem, tutamque putamus. At remanere in animo lectoris anxietas quaedam possit, quare Christus in re adeo fundamentali genere loquendi metaphorico uti voluerit. Ad hanc dubitationem funditus depellendam utile erit idem argumentum sub nova quadam forma proponere, quae germanam primatus ecclesiastici indolem et naturam profundius, opinor, manifestabit.

Tribus metaphoris voluit Christus significatam singularem Petri dignitatem et potestatem primatialem: metaphoris inquam

lapidis, clavium et Pastoris. Porro hae tres metaphorae sunt eaedem sub quibus Yahveh olim regalem ac messianam Christi potetatem designaverat. Evidens est ergo Christi propositum et consilium: Peracto nempe opere redemptionis, voluit ascensurus in caelos constituere suum in terris visibilem vicarium, eique tradere suum nomen, suam dignitatem, suam potestatem. Singulas tres meaphoras breviter consideremus.

Petra seu lapis. Yahveh exhibetur passim in Scripturis, maxime vero in psalmis, ut petra, refugium et firmamentum tum singulorum credentium, tum vel maxime Israel, quem ipse in populum suum, vero foedere instituto devinxit. At Israel peracti foederis saepe immemor extitit; hinc Yahveh illum reiecit, novumque populum super novum fundamentum creare decrevit. De hoc novo fundamento loquitur Isaias scribens (28, 16): « Idcirco haec dicit Dominus: Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretiosum, in fundamento fundatum; qui crediderit non festinet » (cf. Psal. 117, 22). Ecce lapidem selectum a Yahveh, pretiosum, angularem, immotum et immobilem. Ad hunc lapidem angularem appellat ipse Christus in parabola de homicidis vinitoribus (Mt. 21, 42-44), ubi principibus sacerdotum et pharisaeis annuntiat regnum Dei ab eis auferendum et gentibus tradendum: « Nunquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobaverunt aedificantes, hic factus est in caput anguli; a Domino factum est istud, et est mirable in oculis nostris. Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius. E qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem vero ceciderit conteret eum ». Hunc lapidem angularem simul cum tota domo eidem innixa celebrat Paulus in noto loco ad Ephes. 2, 20: « Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu: In quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo et vos coaedificamini in habitaculum Dei in Spiritu ». — De hoc lapide angulari a Iudaeis reiecto, a gentibus acceptato, grandis sermo apud Petrum I Petr. 2, 4 sq.: « Ad quem accedentes lapidem vivum, ab hominibus quidem reprobatum, a Deo autem electum et honorificatum, et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium san-

ctum...; propter quod continet Scriptura: Ecce pono in Sion lapidem summum, angularem, electum, pretiosum, et qui crediderit in eum, non confundetur ».

Soliditas immota huius lapidis splendide describitur a Daniele interpretante somnium regis Nabucodonosoris: « Videbas ita, donec abscissus est lapis de monte sine manibus; et percussit statuam in pedibus eius ferreis et fictilibus, et comminuit eos. Tunc contrita sunt pariter ferrum, aes, argentum et aurum, et redacta quasi in favillam aestivae areae, quae rapta sunt vento; nullusque locus inventus est eis; *lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram...* In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus caeli regnum quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur; comminuet autem et consumet universa regna haec, et ipsum stabit in aeternum. Secundum quod vidisti, quod de monte abscissus est lapis sine manibus... ».

Hostilitas regni mundani et diabolici repraesentata in statua grandi magnifice exhibetur in Ps. 2°: « Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania ..? Sed qui habitat in caelis irridebit eos; siquidem loquetur ad eos in ira sua, et constituet suum regem in monte sancto Sion, cui dabit praeceptum promulgandum: « Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me et dabo tibi gentes in hereditatem tuam... Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos ».

Vides iam sensum profundum implicatum in prima metaphora: « Tu es Kepha et super hoc Kepha aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam ». Quem sensum praeclare expressit Leo M. (sem. 44, 2 — ML 54, 150): « Et ego — inquit — dico tibi... quia tu es Petrus: id est, cum *ego sim inviolabilis petra,* ego lapis angularis, qui facio utraque unum, ego fundamentum, praeter quod nemo potest aliud ponere (Ephes. 2, 14 et 20), tamen *tu quoque petra es,* quia *mea virtute* solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria, sint *tibi mecum participatione communia* ». Similiter alibi (inter Op. s. Leonis, t. II, p. 241): Quis ignoret hanc fortissimam petram, quae ab illa principali petra *communionem et virtutis sumpsit et nominis* ». Item Gregorius M. (ep. ad Eulog. Alex. ML. 77, 899): « Quis enim

nesciat sanctam Ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmatem mentis traxit in nomine, ut *Petrus a petra vocaretur?* ».

Claves regni caelorum. Sicut metaphora lapidis, sic etiam metaphora clavium significat messianam Christi dignitatem eiusque regalem potestatem. Huius rei prima praefiguratio recurrit in allato superius loco ex Isaia 22, 20-22: « Et erit in die illa. Vocabo servum meum Eliacim, filium Helciae. Et induam illum tunica tua, et cingulo tuo confortabo eum, et potestatem tuam dabo in manu eius; et erit quasi pater habitanibus Ierusalem, et domui Iuda. Et dabo *clavem domus David super humerum eius;* et aperiet et non erit qui claudat; et claudet, et non erit qui aperiat ». Vides potestatem sacram et regalem in domo messiana exhiberi imagine clavium. Eadem figura recurrere videtur in c. 8 ad significandam potestatem regalem ipsius Messiae: « Parvulus enim natus est nobis, et filius datus est nobis, et factus est *principatus super humerum eius* ». Verba Isaiae de Elcia applicantur Christo ad denotandam eius potestatem regalem et messianam in Apocal. 3, 7 « Haec dicit sanctus et verus, qui *habet clavem David,* qui aperit, et nemo claudit; claudit, et nemo aperit ». Clavis David evidenter significat potestatem regalem quam Christus habet supremam in regno Davidico et messiano. Superius notavimus huic tali potestati esse penitus subiectam omnem mortis et inferni potentiam, sicut expresse asseritur in eadem Ioannis prophetia (1, 17-18): « Ego sum primus et novissimus; et vivus, et fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum, et *habeo claves mortis et inferni* ». Vides iterum sensum absconditum in altera metaphora clavium: « Et tibi dabo claves regni caelorum ». Sicut Christus est petra principalis et virtute propria talis, et tamen Simoni datur quod sit vera petra virtute et communione Christi, sic etiam Christus habet claves Regni caelorum virtute propria et principali; attamen, ascensurus in caelos, voluit eas Petro tradere exercendas *nomine et vice Christi,* aliis verbis voluit Petrum constituere suum in terris vicarium.

Pastor. Imago pastoris applicatur primum Yahveh, dein Christo demum Petro.

Yahveh in primis se exhibet ut pastorem, qui oves suas e ma-

nibus perversorum pastorum liberabit. Sic praeprimis apud Ezech. 34, 10 sq.: « Haec dicit Dominus Deus: Ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum... Ecce ego ipse requiram oves meas, et visitabo eas. Sicut visitat pastor gregem suum in die, quando fuerit in medio ovium suarum dissipatarum; sic visitabo oves meas et liberabo eas de omnibus locis in quibus dispersae fuerant in die nubis et caliginis ». — Yahveh dein promittit se excitaturum pastorem unum super gregem suum: « Et suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David; ipse pascet eas, et ipse erit eis in pastorem. Ego autem Dominus ero eis in Deum; et servus meus David princeps in medio eorum, ego Dominus locutus sum » ibid. 23-24.

Christus sibi applicat titulum boni pastoris prophetice annuntiati: « Ego sum pastor bonus » ὁ ποιμὴν ὁ καλός (Io. 10, 14). Porro boni pastoris est oves proprias cognoscere, ante eas vadere, animam suam dare pro ipsis. Ipse quidem personaliter venit ad vocandas docendasque oves quae perierunt domus Israel (Mt. 15, 24), sed alias quoque oves se habere aperte docet: « Et alias oves habeo quae non sunt ex hoc ovili (αὐλῆς ταύτης); et illas oportet me adducere (ἀγαγεῖν) et vocem meam audient, et fiet unum ovile (μία ποίμνη) et unus pastor » (ibid. 16).

Petrus pastor constituitur et universo Christi gregi praeponitur. Sicut Yahveh assumpsit ipse officium pastoris simulque annuntiavit pastorem unum a se excitandum, sic etiam Christus munus pastorale egregie implevit, et simul praenuntiavit ovile unum ex ovibus iudaeis et gentilibus efformandum, sub uno pastore constituendum. Huius unius ovilis efformatio debebat necessario subsequi mortem Christi eiusque gloriosam resurrectionem. Hinc pastor ille unus nequit esse Christus in suo ministerio visibili ac terrestri consideratus, sed in suo vicario visibili repraesentatus et quodammodo continuatus. Quinam iste sit, subindicavit primo Christus, quum assumpta navi Petri, in cathedram eam convertit, ac mirabilis piscationis instrumentum effecit, ipsique Simoni Petro trementi demum dixit: « Noli timere: ex hoc iam homines eris capiens » (Lc. 5, 10). At multo clarius id ipsum expressit, quum, ascensurus in caelum, cunctas suas oves et agnos pastorali Petri curae commendavit (Io. 21, 15-17). Porro sicut voluit Christus ut

primatus promissioni praecederet sollemnis *fidei* confessio, sic etiam voluit ut pastoratus universalis collationi anteiret praecellentis *amoris* trina attestatio, quae et priori negationi delendae ansam praeberet, et pastoratus ecclesiastici indolem denotaret. Apposite Ambrosius: « Dominus interrogat... non ut disceret, sed ut doceret quem elevandus in caelum *amoris sui nobis velut vicarium* relinquebat » (in Lc. 1. 10, ML 15, 1848).

Vides iam mysterium latens in usurpato a Christo genere loquendi metaphorico. Triplici metaphora fundamenti, clavigeri, pastoris usi olim fuerant prophetae ad designandam messianam ac regalem Christi potestatem. Triplici hac eadem metaphora uti vicissim voluit princeps prophetarum ad designandum ac constituendum suum in terris vicarium. Hinc fluit *nova ac facilis argumenti forma* ad ostendendam primatialem Petri potestatem. Sane potestas Petri est potestas propria vicarii Christi. Atqui haec talis potestas evidenter est vere suprema. Ergo... Nec sola primatus existentia, sed ipsa quoque germana ipsius indoles ac natura plenius sic ostenditur. Apparet imprimis stupenda *dignitas Petri* quippe quem voluit Christus sui nominis, sui officii, suae regalis potestatis consortem; apparet deinde vera *potestatis primatialis natura,* quae *iuridica simul et paternalis* est, exerceri proin debet spiritu amoris, mansuetudinis et humilitatis; spiritu nempe illius qui venit non ministrari, sed ministrare.

VI.

Primatus Petrini ulterior illustratio

Primatus Petri egregie *illustratur ac confirmatur* attento modo agendi quem tenent Christus, reliqui Apostoli, ipse Petrus.

a) *Christus,* missis locis illis qui ad primatus promissionem et collationem spectant, praecellentiam Petri propriam multifariam multisque modis significavit: — Nomen symbolicum ei primo promisit: « Tu es Simon, filius Iona; tu vocaberis Cephas ». Io. 1, 42. Deinde hoc nomen eidem imposuit: « Et imposuit Simoni nomen Petrus ». Mc. 3, 16. Demum novi nominis significationem explicavit: « Tu es Petrus, et super hanc petram aedifica-

bo Ecclesiam meam ». Mt. 16, 18. Qua in re iuvat advertere nomina, quae Deus imponit, non esse vana, sed rei futurae vere significativa, ut videre est in mutato Abrae nomine: « Nec ultra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te ». Gen. 17, 5: — Christus fidei Petri specialiter firmandae oratione efficaci invigilavit ac providit, ut confirmatus ipse a Christo caeteros dein fratres confirmaret a Satana cribrandos. « Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos ». Lc. 22, 31-32: — Christus Petrum multiplici speciali favore insignivit. Etenim Petrum solum secum ambulare super aquas iubet. Mt. 14, 29: Petrum solum sibi associat in solvendo tributo, quod exactores templi petierant. Mt. 17, 23-26: Petri pedes primo lavat. Io. 13, 6: Petro specialiter asseverat fore, ut in hominum piscatione talis sit, qualis erat in piscium captura: « Et ait ad Simonem Iesus: Noli timere, ex hoc iam homines eris capiens ». Lc. 5, 10: Petro soli, priusquam aliis apostolis redivivus apparet. Lc. 24, 34; I Cor. 15, 5: Petro speciatim suam resurrectionem et futuram in Galilea epiphaniam nuntiatas voluit. Mc. 16, 7: Petri prae caeteris sicut fidem illustravit. (Mt. 16, 16-17) sic specialem amorem ter requisivit. Io. 21, 15-18.

b) *Caeteri quoque Apostoli* singularem Petri dignitatem haud obscure insinuant. Nam in omnibus catalogis collegii apostolici, sicut Iudae traditori ultimus gradus constanter assignatur, sic prior locus semper Petro asservatur. Cf. Mt. 10, 2 sq., Mc. 3, 16 sq.; Lc. 14, 14 sq.; Act. 1, 13. Matthaeus Petrum expresse vocat primum (πρῶτος) Haec vero prioritas nequit intelligi mere numeralis, nec enim ullus alius dicitur secundus, tertius..., nec est prioritas vocationis, praecesserat enim vocatio Andreae, nec potest dici prioritas aetatis, quae nullibi constat aut innuitur. Nihil ergo aliud potest esse quam prioritas dignitatis. Nec solum in catalogis, sed alibi quoque Petrus primus constater recensetur. Cf. Mt. 4, 18; 17, 1: Mc. 13, 3; Lc. 8, 51; Io. 21, 2. Alias Petrus solus nominatur, caeteri conglobatim adduntur innominati. Cf. Mc. 1, 36; Lc. 8, 45; 9, 32; Act. 2, 14; I Cor. 15, 5. Quae videri possit exceptio (I Cor. 1, 12) regulam communem con-

firmat: nam gradatio ibi procedit a minimo ad maximum: « Unusquisque vestrum dicit: Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephae, ego autem Christi ». Ubi Paulus ultimum locum sibi modeste assignat et Cepham iuxta Christum collocat. Unica vera exceptio recurrit in Gal. 2, 9: ubi Cephas medius apparet inter Iacobum et Ioannem. Cuius rei ratio inde videtur repetenda, quod iudaizantes, quos Paulus vult redarguere, Iacobi nomine abusi sunt. Ceterum apostoli suo agendi modo Petrum ut superiorem implicite agnoscunt et fatentur. Siquidem Petro, primas partes ubique assumenti et exercenti, nuspiam resistunt: conflictus antiochenus, qui obstare videretur, rem potius confirmat, ut infra in obiectionibus ostendemus.

c) *Petrus ipse* suae singularis dignitatis conscius apparet in primaeva nascentis Ecclesiae historia, qualem profert Lucas in Actibus Apostolorum. Etenim Petrus primus interpretatur Scripturas et auctoritative declarat complendum esse numerum collegii apostolici, normasque statuit pro candidato. Act. 1, 16-26. Cum complerentur dies Pentecostes, et omnes, qui aderant in coenaculo, repleti essent Spiritu Sancto, Petrus primus levat vocem suam, suos condiscipulos ab obiecto ebrietatis crimine vindicat, Iesu Nazareni messianitatem coram ipsis Christi interfectoribus intrepide declarat et explicat, primos e iudaeis, ad christianismum conversis, in novam communitatem ecclasiasticam recipit. Ibid 2, 14-42. Petrus primus iudicium exercet contra Ananiam et Saphiram fraudantes de pretio agri. Ibid. 5, 1-10. Petrus apparet ut praecipuus inter Apostolos thaumaturgus, « ita ut in plateas eiicerent infirmos, et ponerent in lectulis ac grabatis, ut, veniente Petro, saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmatibus suis ». Ibid. 5, 15. Crescente Ecclesia per totam Iudaeam, et Galilaeam et Samariam, Petrus pertransiens visitat universos. Ibid. 9, 31-32. « Quasi dux, ait Chrysostomus, (in Act., hom. 21), circuibat, ordines considerans; quae pars esset coadunata, quae ornata, quae sua praesentia egeret. Vide illum ubique circumcursantem, et primum inventum, ubi eligendus erat Apostolus; hic primus fuit, cum dicendum erat Iudaeis, non esse ebrios Apostolos, cum claudus sanandus fuit, quando concionandum erat, hic ante alios erat, quando agendum cum praefectis,

quando cum Anania, cum ex umbra sanationes fierent. Ubi periculum est, hic adest, et ubi quaedam dispensada sunt. Ubi vero tranquillae res sunt, in communi omnes». Petrus prae ceteris caelitus illustratur ac commonetur de ethnicis ad evangelium admittendis sine onere mosaismi, primusque recipit in christianismum primitias gentilitatis. Ibid. 10 per totum. Surgente controversia circa mosaismi necessitatem, Petrus primus et prae caeteris quaestionem dirimit. Ibid. 15, 1 sq. Verbo: Petrus in universa Ecclesiae nascentis historia talem se exhibet, qualem decebat esse illum cui Dominus totum suum gregem pascendum commisit. Nihil ergo mirum, si, Petro in discrimen vocato et in carcere servato, oratio fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Act. 12, 5. Nec iure quaesieris clariora exerciti primatus vestigia in primaeva et apostolica Ecclesia. In qua amplius quoddam atque intensius potestatis primatialis exercitium nec necessarium erat nec opportunum, quum adhunc exstarent extraordinaria Apostolorum dona ac privilegia.

VII.

De primatu Petri apud Patres

Singularem Petri praecellentiam agnoscunt et multifariam extollunt Patres Ecclesiae cum Orientalis tum Occidentalis.

Tertullianus: « Latuit aliquid Petrum, aedificandae Ecclesiae petram dictum, claves caelorum consecutum, et solvendi ac alligandi in caelis et in terris potestatem? » De praescript. c. 22 ML. 2, 34.

Cyprianus exhibet Petrum ut fundamentum Ecclesiae universae, principium seu originem unitatis ecclesiasticae, clavigerum regni caelorum, pastorem universalem gregis christiani.

a) Primo quidem Petrus est *fundamentum* universalis Ecclesiae: « Petrus, quem *primum* Dominus elegit et super quem aedificavit Ecclesiam suam... » Epist. 71, Hartel, p. 773. Item in epist. 59: « Petrus tamen super quem aedificata ab eodem Domino fuerat Ecclesia, unus pro omnibus loquens et Ecclesiae voce respondens ... » Hartel, p. 674. — Porro Petrus pro Cypriano est

unicum fundamentum (visible) Ecclesiae, nec umquam, quod noverim, aliis apostolis rationem fundamenti attribuit: « Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi quia tu es Petrus... *Super unum* aedificat Ecclesiam...» De unitate Eccles. c. 4; Hartel, p. 212. — Hinc proxime consequiutr quod Petrus necessario sit *principium seu origo unitatis* ecclesiasticae, id quod Cyprianus passim affirmat: « ut unitatem manifestaret (Christus), unitatis eiusdem originem ab uno [Petro] incipientem sua auctoritate disposuit ». o. c. Hartel, p. 212. —« Petro primum Dominus, super quem aedificavit Ecclesiam, et *unde unitatis originem instituit* et ostendit ». Epist. 73, Hartel, p. 783. « Baptisma unum est et Spiritus S. unus et una Ecclesia a Christo Domino nostro super Petrum *origine unitatis et ratione* fundata » Epist. 70, Hartel p. 769. — Petrus constituitur origo unitatis ecclesiasticae ratione *cathedrae episcopalis*: « Deus unus est et Christus unus et una Ecclesia *et cathedra una* super Petrum Domini voce fundata ». Epist. 43, Hartel, p. 594.

b) *Petrus claviger* regni caelorum exhibetur in epistola 73, Hartel, p. 786: « Ecclesiam quae una est et super unum, qui *et claves eius accepit* ».

c) Petrus pastor ecclesiae universae commemoratur in l. de Habitu Virg., Hartel, p. 194: « Petrus etiam cui *oves sua Dominus pascendas tuendasque commendat,* super quem posuit et fundavit ecclesiam... ». Petrus ergo est ad mentem Cypriani fundamentum Ecclesiae, origo unitatis, claviger Ecclesiae, Pastor gregis christiani universi. Utrum sub his metaphoris lateat reapse primatus aliquis verae iurisdictionis, necne, est problema arduum quod accuratius examinabimus in thesi decima, ubi de primatu episcopi romani quaestio instituetur.

Hilarius: « O in nuncupatione novi nominis felix Ecclesiae fundamentum, dignaque aedificatone illius petra, quae inferni leges et tartari portas et omnia mortis claustra dissolveret ». In Matth. Comment. 16, n. 7. ML. 9, 1010. — « Petrus cui claves regni caelorum dederat, super quem Ecclesiam aedificaturus erat, adversus quam portae inferni nihil praevalerent, qui quae in terris solvisset vel ligasset, ea vel in caelis soluta persisterent vel ligata,

hunc itaque tali convicio detestantem hoc sacramentum passionis excepit ». In psal. 131, n. 4. ML. 9, 730.

Optatus Milevitanus: « Beatus Petrus... et *praeferri omnibus Apostolis* meruit, et claves regni caelorum communicandas ceteris *solus accepit* ». De Schismate Donati, l. 7, c. 3, ML. 11, 1087. — « Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit *omnium Apostolorum caput* Petrus, unde et Cephas est appellatus, *in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur,* ne ceteri Apostoli singulas sibi quisque cathedras defenderent, ut iam schismaticus et peccator esset qui contra singularem cathedram alteram collocaret ». l. c. ML. 11, 947.

Ambrosius: « Huic Petro propria auctoritate regnum dabat; hunc, quum petram dicit, firmamentum Ecclesiae indicavit ». De fide IV, 5, 56. ML. 16, 628. — « Is interrogatur, de quo dubitatur; sed Dominus non dubitat qui interrogat non ut disceret, sed ut doceret quem elevandus in caelum *amoris sui nobis velut vicarium* relinqueret... Et ideo quia solus Petrus profitetur ex omnibus, *omnibus antefertur*... Denique tertio Dominus non iam *diligis* me, sed *amas* me interrogavit; et iam non agnos, ut primo, quodam lacte vescendos; nec oviculas, ut secundo, sed oves pascere iubetur, perfectiores ut perfectior *gubernaret* ». Expositio evang. sec. Lucam l. 10 n. 175 et 176, ML 15, 1848. Vides Petrum exhiberi ab Ambrosio ut fundamentum Ecclesiae, pastorem universalem, visibilem Christi in terris vicarium.

Hieronymus: « Super Petrum aedificatur Ecclesia, licet id ipsum in alio loco super omnes apostolos fiat, et cuncti claves regni caelorum accipiant, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, *capite constituto,* schismatis tollatur occasio ». Adversus Iovin. l. 26 ML. 23, 247. Noli turbari si audias Hieronymum dicentem Ecclesiam *ex aequo* super omnes apostolos solidari. Siquidem Petrus exhibetur *dignitate capitali* auctus ut omnem tollat schismatis occasionem. Porro nequit Petrus munus capitale exercere omnemque schismatis occasionem praecidere sine suprema iurisdictionis potestate. Vult ergo Hieronymus significare omnes Apostolos pariter concurrere ad solidandum Ecclesiae aedificium ita tamen ut

uni Petro princeps locus et vis assignetur. Huc spectat splendidum testimonium cathedrae Petri exhibitum in epistula ad Damasum (ML. 22, 355): « Ego nullum primum nisi Christum sequens beatitudini tuae, id est *cathedrae Petri* communione consocior. Super illam petram aedificatam ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in Noe arca non fuerit, peribit regnante diluvio ».

Augustinus saepe extollit Petri personam eiusque primatum.

Primo quidem notat singularem Petri excellentiam in eo positam, quod solus ille gerit et sustentat totius Ecclesiae personam: « Inter hos (apostolos) paene ubique solus Petrus totius Ecclesiae meruit gestare personam. Propter ipsam personam, quam totius Ecclesiae solus gestabat, audire meruit: Tibi dabo claves regni caelorum. Has enim claves non homo unus, sed unitas accepit Ecclesiae ». Unitas seu communio ecclesiastica dicitur accepisse claves non eo sensu quod omnes et singuli (etiam laici) in Ecclesia participent potestatem remittendi peccata, sed eo potius quod Petrus accepit claves *communicandas ceteris* apostolis eorumque successoribus in una communione ecclesiastica viventibus, sicut supra Optatum Milevitanum explicantem audivimus. « Hinc ergo *Petri excellentia* praedicatur quia ipsius unitatis et universitatis Ecclesiae figuram gessit, quando ei dictum est *tibi trado,* quod omnibus traditum est ». Sermones, 295, 2, 2, ML. 38, 1349.

Haec porro excellentia (gestandi personam Ecclesiae) fundatur non in aliqua populi delegatione, cuius Petrus foret mandatarius, sed *in primatu* directe a Christo eidem communicato, ut ipse Augustinus alibi asserit: « Quaedam dicuntur quae ad Apostolum Petrum proprie pertinere videantur nec tamen illustrem habent intellectum, nisi cum referantur ad Ecclesiam, cuius ille in figura agnoscitur gestasse personam *propter primatum,* quem in discipulis habuit, sicuti est: tibi tabo claves regni caelorum ». In psal. 108 ML. 37, 1431-1432.

Hic autem primatus non est meri honoris aut directionis, sed verae potestatis, id quod Augustinus supponit ut rem notam et omnibus manifestam: « Nos in Scripturis didicimus apostolum Petrum in quo *primatus Apostolorum tam excellenti gratia praeeminet*... Puto quod sine ulla sui contumelia Cyprianus episcopus Pe-

tro apostolo comparatur *quantum attinet ad martyrii coronam.* Ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam. *Quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet episcopatui praeferendum?* Sed etsi distat *cathedrarum gratia,* una tamen est martyrum gloria ». De baptismo contra Donatistas, l. 2, c. 1. ML. 43, 137. Sane Petrus ratione sui pastoratus universalis eum tenet in Ecclesia locum quem Moyses tenebat in synagoga, i. e. supremum: « Quid ergo incongruum, si Petrus post hoc peccatum factus est *pastor Ecclesiae,* sicut Moyses post percussum Aegyptium factus est *rector illius* synagogae? ». Contra Faustum, XXII, 70 (ML. 42, 445).

Nihil iam mirum si *cathedra Petri* habetur ab Augustino ut *vera catholicae communionis tessera* seu nota, et invictum ecclesiae propugnaculum: « Tenet me (in catholica ecclesia) consensio populorum atque gentium... tenet ab *ipsa sede Petri* apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit usque ad praesentem episcopatum *successio sacerdotum* ». Contra epistulam Manichei, c. 4, n. 5 (ML. 42, 175). Hanc sacerdotum successionem numerat in epistula 53 (ML 33, 196): « Si enim ordo episcoporum sibi succedentium considerandus est, quanto certius et vere salubriter ab ipso Petro numeramus, cui totius ecclesiae figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non vincent eam. Petro enim successit Linus, Lino Clemens... Damaso Siricius, Siricio Anastasius. In hoc ordine successionis nullus donatista invenitur ». His gemina sunt quae scribit in Psalmo contra partem Donati: « Venite, fratres, si vultis ut inseramini in vite. Dolor est quum vos videamus praecisos ita iacere. Numerate sacerdotes vel ab ipsa sede Petri, et in illo ordine Patrum quis cui successit videte. *Ipsa est petra quam non vincunt superbae inferorum portae* ». ML. 43, 30.

Leo Magnus nemini secundus in Petro extollendo, cunctos facile excellit in primatu Petrino explicando. Pauca seligo ex longa ac lucida testimoniorum caterva. En primo egregiam textus classici exegesim. « Et ego, inquit, dico tibi... quia tu es Petrus: id est, cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, ego fundamentum praeter quod nemo potest aliud ponere, tamen *tu quo-*

que petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae *mihi potestate sunt propria sint tibi mecum participatione communia.* Et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam». Sermo 4, 2 (ML. 54, 150).

Hinc apparet quantopere Dominus Petrum sibi sociatum voluerit: «Ut dum *petra* dicitur, dum *fundamentum* pronunciatur, dum regni caelorum *ianitor* constituitur, dum ligandorum solvendorumque *arbiter,* mansura etiam in caelis iudiciorum suorum definitione, praeficitur, qualis *ipsi cum Christo esset societas,* per ipsa appellationum eius mysteria nosceremus». Sermo 3, 3 (ML. 54, 146).

Simili claritate ac vigore explicat alterum textum e Luca (22, 31-32): «Commune erat omnibus apostolis periculum de tentatione, quoniam diabolus omnes exagitare, omnes cupiebat elidere; et tamen specialis a Domino Petri cura suscipitur, et pro fide Petri proprie supplicatur, tamquam aliorum status certior sit futurus, si mens principis victa non fuerit. *In Petro ergo omnium fortitudo munitur,* et divinae gratiae ita ordinatur auxilium, ut firmitas quae per Christum Petro tribuitur, *per Petrum apostolis conferatur*». Sermo 4, 3 (ML. 54, 151).

His harmonice cohaerent quae sribit in sermone 4, n. 2: «De toto mundo unus Petrus eligitur, qui et universarum gentium vocationi et omnibus Apostolis cunctisque Ecclesiae Patribus praeponatur, ut quamvis in populo Dei multi sacerdotes sint multique pastores, *omnes tamen proprie regat Petrus,* quos principaliter regit et Christus. Magnum et mirabile, dilectissimi, huic viro consortium potentiae suae tribuit divina dignatio; et si quid cum eo commune ceteris voluit esse princibus, *numquam nisi per ipsum dedit* quidquid aliis non negavit» (ML. 54, 150).

Gregorius Magnus: «Ecce claves regni caelorum accepit Petrus, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, *cura ei totius Ecclesiae et principatus committitur*». Epist. 20 (ML. 77, 746).

Ecclesiae Orientalis Patres in eadem sententia abundant:

Origenes: «Magno illi Ecclesiae fundamento et petrae solidissimae, super quam Christus fundavit Ecclesiam vide quid dicatur a Domino: Modicae fidei, inquit, quare dubitasti?». In

Exodum homiliae 5, 4 (MG. 12, 329). — Petro cum *summa rerum de pascendis ovibus* traderetur, et super ipsum velut super terram fundaretur Ecclesia, nullius alterius ab eo virtutis confessio nisi caritatis exigitur ». In Romanos comment. 5, 10 (MG. 14, 1033). — Ipse alibi contendit potestatem ligandi Petro concessam (apud Mt. 16, 19) *maiorem* esse potestate ligandi aliis apostolis tradita (apud Mt. 18, 18). In Matth. t. 13, n. 31 (MG. 13, 1180).

Basilius: « Per hanc vocem intelligimus Ionae filium... qui quoniam fide praestabat, Ecclesiae aedificationem in seipsum suscepit ». Adv. Eunomium, 2, 4 (MG. 29, 579). Idem alibi scribit: « Beatus ille Petrus *omnibus discipulis praelatus,* cui soli maiora quam aliis data sunt testimonia, qui praedicatus est beatus, cui claves regni caelorum concreditae sunt ». De iudicio Dei, n. 7 (MG. 31, 672).

Gregorius Naz.: « Vide quemadmodum ex omnibus Christi discipulis, magnis utique omnibus atque excelsis et electione dignis, hic Petra vocetur atque Ecclesiae fundamenta in fidem suam suscipiat ». Oratio 32, n. 18 (MG. 36, 194).

Gregorius Nyss.: « Celebratur Petri memoria, qui *apostolorum est caput,* et una quidem cum ipso cetera membra Ecclesiae glorificantur. Dei vero Ecclesia (in ipso) solidatur; hic enim iuxta praerogativam sibi a Domino concessam *firma et solidissima petra* est super quam Salvator Ecclesiam fundavit ». Laudatio Stephani (MG. 44, 734). Idem scribit in oratione de castig.: « *per Petrum* episcopis dedit clavem caelestium bonorum » (MG. 46, 312).

Didymus Alex. vocat Petrum « apostolorum coryphaeum » (De Trinitate 1, 22, MG. 39, 408). — Petrus « inter apostolos *principatum* (πρῶτεια) *tenet* » l. c. (MG. 39, 640). Et dum explicat Mt. 16, 19, asserit: « Petrus potestatem praeterea accepit, aut potius omnes *per eum* acceperunt non reiiciendi lapsos, sed recipiendi eos, si resipiscant; cum nemo peccati sit expers, nisi is qui hanc *Petro concessit* auctoritatem; id enim significat illud: quodcumque *solveritis* super terram erit solutum et in caelis ». De Trinitate 1, 30 (MG. 29, 417).

Chrysostomus prae ceteris primatum Petri frequentissime celebrat. En pauca ex multis: « Petrus chori illius (apostolorum) coryphaeus, os apostolorum omnium, caput illius familiae, *orbis*

totius praefectus, fundamentum Ecclesiae, ardens Christi amator » Homil. in illud: Hoc scitote (MG. 56, 275). Alibi: « Et cur, inquit, alios praetermittens de his hunc alloquitur? Eximius erat inter apostolos, os discipulorum et *coetus illius caput;* ideo Paulus prae aliis hunc visurus venit. Simul ostendens ei oportere deinceps fidere, quasi abolita negatione, *fratrum ei praefecturam* committit ». In Ioannem homilia 88 (MG. 59, 478). Rursus alibi: « Quod si quis dixerit: Cur ergo Iacobus Ierosolymorum thronum accepit? respondeo: Petrum non throni huius, sed *totius orbis doctorem* a Christo statutum esse.. Qui tunc [in ultima caena] non audebat interrogare, sed alteri, ut id faceret, annuebat, hic *praefecturam in fratres habuit* ». Ibid. (MG. 59, 480). Iterum: « Quem *toti orbi terrarum praefecit,* Petrum, cui claves regni caelorum dedit, *cuius arbitrio et potestati cuncta permisit...*». Oratio in S. Ignat. n. 4 (MG. 50, 591).

Asterius: « Haud indonatus abiit (Petrus) ac sine praemio; quin potius ab eo (Christo) beatus nuncupatus, fidei petra appellatus, fundamentumque ac basis Dei Ecclesiae. Accipit vero per promissionem claves regni *eiusque portarum efficitur dominus* ut aperiat quibus voluerit, claudat vero quibus iure claudendae sunt; plane vero pollutis ac profanis et eam negantibus confessionem, cuius ergo ipse, tamquam sedulus gnarusque bonorum Ecclesiae custos, *regni ostiis praefectus est...* Cum ergo salvator sponte assumpta morte humanum genus sanctificaturus esset, ea peculiare quoddam depositum ac peculium *universalem* et toto orbe diffusam *viro huic commendat Ecclesiam* ubi tertio interrogasset illud: Amas me? Cumque is multa alacritate singulis interrogationibus totidem professiones adiecisset, *mundi curam accipit velut unum gregem unus pastor;* quibus audivit: Pasce agnos meos, fereque *sui loco* dedit Dominus fidelissimum discipulum *in patrem pastoremque ac magistrum* iis qui essent accessuri ad fidem ». Homil. in sanctos principes Apost. (MG. 40, 268). Idem continuo: « Unigenitus Petrum Ecclesiae fundamentum dicit... Primus enim revera hic, ceu grandis quidam ac durus lapis in mundi huius cavea demissus est... ut Christianos omnes superaedificatos portans, in sublime, nempe ad spei nostrae domicilium subvehat. Fundamentum aliud nemo potest ponere prae-

ter id quod est positum quod est Christus Iesus. Sed et simili quoque Salvator noster appellatione primum suum discipulum honestandum duxit, nominans fidei petram. *Per Petrum* ergo, verum ac fidelem pietatis doctorem, *ecclesiarum stabilis inflexaque firmitas servatur* » (ibid.).

Ecclesiae Syrae testes existunt Aphraates et Ephraem:

Aphraates: « David commisit regnum Salomoni... Iesus commisit claves Simoni, et ascendit et ivit ad mittentem se ». Demonstratio 21, de Persecutione (Patrologia syriaca ed. Graffin, Pars I, t. I, p. 966. — Idem alibi: « Et tandem Simoni *discipulorum principi* cum negando dixisset: nunquam me Christus vidit, atque anathematizasset et iurasset; quia nescio hominem, subiit paenitentia, magnamque vim lacrimarum profudit, et suscepit eum Dominus et posuit in fundamentum, vocavitque eum petram, Ecclesiae aedificationem ». Aphraatis demonstatio 7 de paenitentibus, n. 15, Patr. Syr. t. I, 335.

Ephraem: « Simon discipule mi, ego te constitui fundamentum Ecclesiae sanctae, petram vocavi te antea, quia tu sustinebis totum meum aedificium; tu es inspector eorum qui aedificant Ecclesiam in terris; si quid reprobum aedificare velint, tu fundamentum reprimas eos; tu es caput fontis a quo hauritur doctrina mea; tu es caput discipulorum meorum; per te omnes gentes potabo; tui est suavitas illa vivifica quam largior; te elegi ut sis in mea institutione velut primogenitus, heres efficiaris thesaurorum meorum; claves regni mei dedi tibi. Ecce principem constitui te super omnes thesauros meos ». Sermo 4 in hebd. sanctam. Hymni et Sermones, edit. Lamy, I, 412.

Ecclesiae Nestorianae fidem refert theologus *Elias* in opere « Exercitationes »: « Quaerunt eruditi non ignari veritatis cur Simonem Bar Iona Salvator Cepham appellavit? Cum Christus ipse magnus redemptor sit petra veritatis, quare ergo alterum petram et caput aedificii nuncupavit?... Quia nimirum futurum erat, ut Christus Petra veritatis in caelum se reciperet ibique ab humanis sese oculis absconderet, propterea vicarium suum in terra constituit eumque petram aedificii appellavit. Is igitur magistri

dominique sui in terris gerit imaginem et personam, et mediator est inter nos et Filium et pontifex prototypo suo similis. Et quidem summus et magnus Pontifex est Christus.... Is vero elegit et constituit in terris procuratorem ecclesiarum Simonem senem, Ionae filium, fidei fundamentum». C. Assemani, Bibliotheca Orientalis III, P. I, p. 260.

Nota bene: Argumenti patristici aptum complementum reperies in thesi X. Omnia quippe documenta, in quibus asseritur Romanum Pontificem *successisse Petro* in primatu iurisdictionis, supponunt evidenter hunc iurisdictionis primatum Petro a Christo concessum.

Obiectiones solvuntur

1. Teste Paulo (I Cor. 3, 11): «fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Iesus». Ergo Christus est fundamentum unicum in Ecclesia, nec Petrus potest ullatenus dici fundamentum.

Resp. Dist. conseq. Christus est unicum fundamentum in Ecclesia, quatenus fide credendus et caritate amandus est unicus fons vitae et salutis singulorum fidelium, C.; quatenus est unicum fundamentum totius Ecclesiae socialiter consideratae, subdist.; unicum fundamentum *imparticipatum et invisibile,* C.; participatum et *visibile,* N. In textu et toto contextu non tam est sermo de fundamento Ecclesiam socialiter firmante seu sustentante, quam de cultura et aedificatione singulorum fidelium. Christus proponitur ut unicus fons salutis; nec enim qui plantat est aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus. Fideles sunt Dei agricultura et aedificatio, non Pauli, aut Apollinis, aut Cephae. Paulus ergo agit in hoc loco de fundamento, quod *ipse posuit plantando* seu praedicando: contra vero in textu Mt. 16, 17 sermo est de fundamento quod *Christus ipse posuit* fundando Ecclesiam suam super Petrum, quem constituit suum in terris vicarium, suae domus oeconomum et administratorem. Ad rem Leo M.: «cum ego sim inviolabilis petra, ego lapis angularis, ego fundamentum praeter quod nemo potest aliud ponere, tamen tu quoque petra es, quia mea virtute solidaris, ut quae mihi potestate sunt propria sint tibi participatione communia». Sermo 4, 2 (ML. 54, 150).

2. Sed fideles dicuntur ab ipso Paulo (Ephes. 2, 20): «superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari la-

pide Christo Iesu ». Ergo etiam reliqui apostoli possunt dici fundamentum visible Ecclesiae eodem modo ac Petrus.

Resp. Dist. conseq. Reliqui Apostoli possunt dici fundamentum Ecclesiae *ratione fidei seu doctrinae praedicatae,* C.; ratione *iurisdictionis supremae,* subdist.; *collegialiter* omnes, C.; singuli etiam distributive, N. Nec in hoc textu videtur sermo esse de ratione fundandi exercenda ope iurisdictionis, sed potius de doctrina christiana praedicata et propagata. Etenim fideles dicuntur superaedificati super fundamentum Apostolorum *et prophetarum.* Nec Christus exhibetur hic ut Ecclesiam sustentans et firmans in sua sociali structura, sed ut auctor pacis qui fecit utraque unum, et medium parietem solvens duos populos, iudaeum nempe et gentilem, in unum coniunxit et Deo reconciliavit in uno corpore per crucem. Ideo Christus dicitur *lapis angularis* in quo connectitur tota structura ex iudaeis et gentibus compacta et crescit in templum sanctum. Porro Apostoli et Prophetae sunt fundamentum cui iudaei et gentiles, tamquam lapides vivi, superaedificantur et coaedificantur, quia « mysterium quod aliis generationibus non est agnitum, nunc revelatum est sanctis *Apostolis et Prophetis* in Spiritu: gentes esse cohaeredes et concorporales, et comparticipes eius in Christo Iesu per Evangelium » (Ephes. 3, 5-7). Quod si sermo in textu esset etiam de iurisdictione, nullatenus tamen affirmatur omnes Apostolos et Prophetas esse fundamentum Ecclesiae *aequo gradu et iure.* Aliunde constat solum Simonem fuisse a Christo constitutum *totius militantis Ecclesiae* saxeum fundamentum. Ceteri apostoli singillatim sumpti non sunt fundamentum respectu aliorum apostolorum, multoque minus respectu Petri; manet ergo discrimen cum *extensivum,* tum *intensivum.* Accedit quod vox « Apostolorum » est genitivus non identitatis, sed causalitatis.

3. At Petrus quoque videtur praedicari *fundamentum* Ecclesiae ratione doctrinae infallibiliter praedicandae, ut evincunt alia Christi verba in Lc. 22, 32: « ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua: et tu aliquando conversus confirma fratres tuos ». Ergo...

Resp. Dist. antec.: Petrus praedicatur fundamentum ratione doctrinae praedicandae *etiam,* C.; *tantum,* N. Quod ratio firmitatis in *ordine doctrinali* fortius et expressius hic prematur a Christo non excludit rationem firmandi etiam in *ordine disciplinari.* Ceterum in ipsa doctrina *authentice* proponenda implicatur iurisdictio. Hac occasione notes velim convenientiam argumentandi ex tribus metaphoris simul sumptis.

4. *Instabis*: Omnes Apostoli videntur esse visibile Ecclesiae fundamentum aequo gradu et iure ac Petrus. Etenim Christus omnes alloquens dixit: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos » (Io. 20, 21). Unde sic arguitur: Christus communicans Apostolis suam propriam missionem, communicavit eisdem quidquid erat communicabile. Primatus ergo si non poterat commu-

nicari, certe nec Petro fuerit datus; si vero poterat communicari, omnibus indistincte et aequo gradu fuit communicatus.

Resp. Dist. antec. Christus communicavit *omnibus et singulis* quidquid erat communicabile, N.; *omnibus collegialiter,* subdist. *indeterminate,* N,; *determinando divisiones ministrationis,* C. Sane Christus non determinavit unum subiectum supremae iurisdictionis in hac generali missione, sed alibi unum Petrum designaverat ut supremum Ecclesiae suae rectorem et denuo ascensurus in caelum uni eidem Petro totum suum gregem pascendum seu regendum commisit.

5. *Replicabis*: Non videtur sufficienter constare de hac tali designatione unius Petri; siquidem obstant illa Christi verba apud Mt. 18, 18: «Amen dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelo...». Unde fit argumentum: Haec verba sunt immediate directa ad omnes simul Apostolos. Atqui in verbis laudatis continetur promissio iurisdictionis supremae. Ergo omnes Apostoli sunt subiectum immediatum potestatis su-

Resp. Dist. maior. Haec verba diriguntur ad omnes Apostolos *singillatim* sumptos, N.; *collective consideratos,* C.: Dist. etiam conseq. Omnes Apostoli sunt subiectum iurisdictionis supremae *cum* Petro et *sub Petro,* C.; sine hac subordinatione ad Petrum, N. Dices fortasse in textu nullatenus innui hanc talem subordinationem; id quod libenter concesserim, si tamen sermo sit de hoc uno Christi effato. Sed textus oportet alios cum aliis concordare ita ut harmonice inter se cohaereant. Porro ex verbis primatus sive promissi sive collati constat unum Petrum esse Ecclesiae clavigerum et pastorem. Deinde adverte soli Petro promissas esse *claves regni caelorum.* Potestas ergo aliis Apostolis concessa nequit esse independens a voluntate et potestate Petri qui claudit et nemo aperit...

6. Sed subiectum supremae potestatis legislativae idem est in Ecclesia ac subiectum potestatis supremae iudicialis et executivae. Atqui haec potestas iudicialis suprema confertur toti Collegio Apostolico, ut patet ex verbis Christi: quod si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus. Ergo...

Resp. Dist. min. Potestas iudicialis et executiva suprema conceditur toti Collegio Apostolico hierarchice sub Petro constituto, C.; democratice organizato, N.

7. At Petrus cum Ioanne dicitur *missus* in Samariam ab aliis Apostolis (Act. 8, 14). Ergo Petrus nequit esse superior aliis Apostolis.

Resp. Dist. antec. Petrus fuit missus missione *auctoritativa,* N.; missione facta secundum consilium, C. Si argumentum hoc quidquam probaret, sequeretur Petrum et Ioannem esse inferiores et subditos aliis Apostolis, id quod nemo dixerit.

8. Sed Petrus rationem reddit fidelibus ex circumcisione eum interpellantibus ob modum agendi cum ethnicis. Ergo non videtur fuisse agnitus ut superior.

Resp. Petrus reddit rationem interpellatoribus ex mera prudentia et benignitate, C; ex obedientia eisdem debita, N.

9. *Saltem Paulus* videtur obstare primatui Petri. Etenim primo recensens (Ephes. 4, 11) munera ecclesiastica a Christo instituta ad aedificationem corporis sui, nullam facit primatus mentionem. Ergo non videtur illum agnovisse.

Resp. Dist. antec. Et hic agit Paulus de hierarchia *iuridica,* N.; de hierarchia *charismatica,* C.; confer contextum praecedentem, ex quo constat Christum hic exhiberi ab Apostolo tamquam datorem bonorum. Etenim paulo superius (4, 7) dixerat: « unicuique autem nostrum data est gratia *secundum mensuram donationis Christi.* Propter quod dicit: Ascendens in altum captivam duxit captivitatem: *dedit dona hominibus* ». Statim explicat quaenam sint haec dona, quae, varia mensura, Christus dedit hominibus: « Et ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelista, alios autem pastores et doctores ». Alia quoque dona et munera a Christo in Ecclesia posita enumerantur a Paulo in loco parallelo (I Cor. 12, 28 sq.) puta virtutes, gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretationes sermonum. Quae omnia operatur (in uno corpore) unus atque idem Spiritus,*dividens singulis prout vult* (12, 11). Ideo non omnes sunt Apostoli, non omnes Prophetae... (12, 29). Vides hic quoque Paulum totum in eo esse, ut monstret varietatem donorum et munerum in uno eodemque corpore Christi mystico seu Ecclesia. Certe hic enumerantur aliqua dona et munera quae nullatenus pertinent ad hierarchiam ecclesiasticam. Quamvis ergo Paulus in loco allegato ad Ephes. recenseat munera ecclesiastica quae ad hierarchiam reapse pertinent (?), attamen non videtur ea exhibere praecise qua hierarchice ordinata, sed potius quatenus sunt inter se distincta *secundum mensuram donationis Christi.* Tandem, quidquid sit de interpretatione huius loci argumentum contra primatum desumitur *ex mero silentio* Apostoli, quod nihil probat contra positiva testimonia a nobis allegata. Ceterum statim recurrent apud Paulum haud obscura indicia agniti primatus in Petro.

10. Sed Paulus asserit (Gal. 2, 7) sibi concreditum esse Evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis. Atqui primatus de quo in thesi nostra implicat iurisdictionem supremam *in universam Ecclesiam.* Ergo Paulus non agoscit Petrum tamquam rectorem totius Ecclesiae.

Resp. Dist. maior. Paulus asserit concreditum esse munus *gubernandi omnes* praeputiatos seu gentiles, N; sibi esse concreditum munus *evangelizandi* gentiles, subdist. Cum exclusione aliorum Apostolorum, N.; sine hac

exclusione, C. Nec Paulus accepit munus et mandatum praedicandi *solum* apud gentes, siquidem et ipse praedicavit primo Iudaeis, quibus oportebat primum loqui verbum Dei (Act. 13, 46), nec Petri et reliquorum Apostolorum evangelizatio erat restricta ad solos Iudaeos; siquidem omnes iussi sunt a Christo praedicare evangelium *omni creaturae* (Mc. 16, 15; Mt. 28, 19). Paulus ergo vult significare ipsum Deum, qui fecundavit et fructuosum reddidit apostolatum Petri inter circumcisos, suum quoque apostolatum, ad gentes potissimum divina ordinatione destinatum irrigasse ac faecundasse. Qui operatus est Petro in apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes ».

11. At Paulus videtur sibi attribuere munus gubernandi omnes gentes: Ait enim: « instantia mea quotidiana sollicitudo omnium Ecclesiarum » (II Cor. 11, 28). Atqui sollicitudo omnium Ecclesiarum ad eum vel maxime spectat, qui habet primatum iurisdictionis. Ergo...

Resp. Dist. maior. Paulus dicit ad se spectare sollicitudinem omnium Ecclesiarum *a se fundatarum,* C.; aliarum, subdist.; ratione caritatis et zeli apostolici, trans.: ratione iurisdictionis supremae, N. Ceterum Paulus ne in Ecclesiis quidem a se fundatis exercebat iurisdictionem supremam, sed Petro subordinatam.

12. Sed Paulus tandem restitit in faciem Petro (Gal 2, 11). Atqui non sic restitisset si eum ut superiorem agnovisset. Ergo...

Resp. Dist. maior Paulus restitit publice Petro tamquam superior inferiori rebellanti, N.; tamquam inferior superiori oscitanti aut imprudentius agenti, C. Nulla est difficultas in hoc, quod inferior et subditus nonnunquam suum proprium superiorem commoneat, imo et reprehendat, si eum viderit, officii sui immemorem, rem magni momenti in discrimen adducere.

13. *Instabis*: Primatus iurisdictionis in Ecclesia implicat infallibilitatem. Atqui Paulus hic negat Petri infallibilitatem; dicit enim eum non ambulasse *ad veritatem Evangelii.* Ergo tandem Paulus negat primatum Petri.

Resp. Dist. min. Paulus negat hic Petri *infallibilitatem in docendo,* N.; negat Petri *prudentiam in operando* ad normam Evangelii ab ipso Petro verbo et opere agnitam, C. Vitium fuit *conversationis, non praedicationis,* ut advertit Tertullianus.

14. Sed Paulus expresse docet *petram* esse Christum, non ergo Petrum (I Cor. 10, 4). Ergo...

Resp. Dist. antec. Paulus docet Christum esse petram illam, e qua scaturiebat aqua salutaris pro Israelitis, C.; Paulus docet Christum esse petram visibilem super quam Ecclesia est fundata, N. Confer contextum antecedentem et consequentem. Vides ergo nihil esse in doctrina Pauli, quod obstet primatui Petri. Quin imo:

Paulus favet primatui, illumque egregie confirmat. En sat clara indicia:

a) Primo quidem Paulus Damascum reversus ex secessu Arabico post annos tres venit Ierosolymam *videre* Petrum (Gal. 1, 17-18) cur non alios Apostolos? Cur non speciatim Iacobum episcopum Ecclesiae Hierosolymitanae? Cur solum Petrum? Certe «non ut oculos, genas, vultumque eius aspiceret, utrum macilentus an pinguis, adunco naso esset an recto, et utrum frontem vestiret coma, an calvitiem haberet in capite. Nec puto apostolicae fuisse gravitatis, ut post tantam triennii preparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aspicere... Nam et quod iussus sit ire Ierosolymam, ad hoc isse, ut videret Apostolum, non discendi studio, quia et ipse eundem praedicationis haberet auctorem, sed honoris *priori Apostolo* deferendi». *Hieronymus*, commentar. in hunc locum (ML. 26, 354). Consentit *Marius Victorinus scribens*: «Post tres, inquit, annos Ierosolymam veni. Deinde subiungit causam *videre Petrum*. Etenim si in Petro Ecclesiae fundamentum positum est, ut in evangelio dictum, cui revelata erant omnia, Paulus scivit videre se debere Petrum, quasi eum, cui *tanta auctoritas a Christo data esset*, non ut ab eo aliquid disceret» (ML. 8, 1155). Luculentius vero *Chrysostomus*: «Quum nihil opus haberet Petro, nec illius egeret voce... tamen ascendit *velut ad maiorem* et seniorem, solusque Petri conspectus commovit illum ut eo proficisceretur... Ut *viderem*, inquit, Petrum ascendi. Non dixit ἰδεῖν i. e. ut cernerem Petrum, sed ἱστορῆσαι i. e. ut viderem et cognoscerem, quo modo loqui solent, qui magnas et splendidas urbes invisunt cognoscendi gratia; adeo iudicabat operae pretium esse tantummodo videre virum... Haec et dico frequenter, et vos memoria tenere volo, ut si quae audieritis, quae adversus Petrum dixisse videatur, ne quis suspectum habeat Paulum Apostolum... Nec enim ob ullum aliorum Apostolorum narrat se ascendisse Ierosolymam, sed propter hunc solum». Comment. in h. l. (MG. 61, 631-632). Unica ergo ratio, quare Paulus unum Petrum visitandum putaverit, illa fuit, quod illum agnoverit ut principem Apostolorum, ideo vocat illum Cepham (2, 9), quod est nomen Petro ut primati competens.

b) Deinde Petrus exhibetur a Paulo tamquam dux apostolatus circumcisionis (2, 7) «Quum vidissent quod creditum est mihi Evangelium praeputii sicut et Petro circumcisionis». Non soli Petro concreditum erat Evangelium circumcisionis, sed omnibus Apostolis. Si ergo solus Petrus nominatur et exhibetur ut Apostolus iudaeorum, ideo est quia Petrus agnoscebatur sive a Paulo sive a iudaizantibus tamquam dux aposolatui circumcisionis praepositus. Aliunde novit Paulus se in vanum currere aut cucurrisse, si non sit nactus aliquam sui Evangelii approbationem apud Apostolos circumcisorum (2, 2), quorum adoptio est filiorum, et gloria, et testamentum, et legislatio, et obsequium et promissa (Rom. 9, 4). Ergo si ex una parte exhibet Petrum tamquam ducem apostolatus circumcisionis, ex alia vero admittit in hoc apostolatu aliqualem praeminentiam prae apostolatu gentium, sat clare in-

nuit totam Ecclesiam, ex iudaeis et gentibus conflatam, uni Petro tamquam supremo duci ac rectori esse subiectam.

c) Tandem in ipso conflictu antiocheno singularis Petri auctoritas mirum in modum collucet. Ipso quippe primo quidem gentiliter vivente, deinde vero non tam iudaice conversante, quam simulante, ceteri iudaei simulationi eius consentiunt, gentes coguntur iudaizare, *ipse Barnabas* trahitur in partes Petri. Nec Paulus Petro publice resistens, huic opponit supremam auctoritatem concilii Hierosolymitani, sed satius putat Petro Petrum opponere: « Si tu, cum iudaeus sis, gentiliter vivis, quomodo gentes cogis iudaizare? » (2, 14). Unde Petro haec tanta vis et auctoritas? Sane non aliunde, quam ex primatu. Rectissime ergo Chrysostomus: « si quispiam alius fuisset Petrus, non tantum valuisset eius mutatio. Non adhortatus est, non consuluit, sed tantum substrahebat et segregabat se; atque illa substractio et segregatio ceteros omnes discipulos attrahere potuit *propter personae dignitatem*... Paulus id pro magno habet (Petro in faciem restitisse); atqui magnum non esset, si Petrus aequalis vel minor esset. *Ergo Petrus in oculis Pauli maior* erat, et Paulus vult dicere: « Minime reveritus sum dignitatem personae ». Homil. in illud: *in faciem ei restiti.*

d) Accedit quod in Ecclesia Corinthiaca, quam Paulus plantavit, Apollo rigavit, adest factio Petrina seu dicentium: «Ego sum Cephae» (I Cor. 1, 11-13). Quod fideles Corinthii adhaereant Paulo plantanti, vel Apollini irriganti, haud difficulter intelligi potest. At quod alii ducem sequantur Petrum, qui Ecclesiam illam non videtur plantasse aut rigasse, non vero ullum alium Apostolorum, hoc inquam non aliunde repeti posse videtur, nisi ex eo quod Petri, principis Apostolorum, singularis auctoritas agnita ibi fuisset. Nec illud omittendum, quod Paulus, dum apostolos aliosve praedicatores commemorat, singularem et insigniorem locum Petro assignat. Cf. I Cor 1, 12; 9, 5; 15, 5.

15. At *Patres* verba illa *super hanc petram aedificabo Ecclesiam* saepe interpretantur de divinitate Christi, vel etiam de fide aut confessione Petri. Ergo nostra interpretatio, qua haec verba ad ipsam Petri personam retulimus, sat dubia apparet.

Resp. Dist. antec.: Patres sic verba explicantes nostram interpretationem excludunt, N.; eam tamquam primariam supponentes, alias secundario quaerunt, C.: « Duplex illa horum verborum *et super hanc petram* expositio catholica est, cum ea quae de fide Petri ipsa interpretatur, tum quae ad ipsam Petri personam illa refert. Sed inter utramque expositionem id interest discriminis, quod *ista* (de persona Petri) *immediata est,* illa mediata; *ista primitiva et perpetua,* altera adventitia et temporanea; *ista* ab initio Ecclesiae quatuor saeculorum serie *sola tradita,* altera vero data occasione prolata. Nam ante arianae haereseos ortum illa sola expositio viguit, quae verba illa refert ad ipsam Petri personam, ut constat ex Tertulliano, Origene, s. Cy-

priano. Cum vero Ariani Christi divinitatem palam impugnassent, ss. Patres qui firmissimum catholicae praesidium in illis S. Petri verbis *tu es Christus, Filius Dei vivi* positum anmadverterunt, istius confessionis dignitatem summis laudibus extulere. Unde quia S. Petrus illius in gratiam et ob illius meritum constitutus fuerat fundamentum Ecclesiae, ipsammet confessionem fundamentum Ecclesiae nuncuparunt metonymice, id est, translato nomine effectus ad causam, ut Arianos illius impugnatores liberius ac verius velut fundamenti Ecclesiae destructores insectari possent». *Natalis Alexander,* Hist. eccles. t. 3, p. 99 (Paris 1730).

Sic *Hilarius* Petrum vocat Ecclesiae fundamentum (comment. in Matth. ad h. 1), similiter in tract in Ps. 131, n. 4, et in Psal. 141, n. 8; idem tamen in libro 6 de Trin. n. 36 scribit: «Super hanc igitur confessionis petram Ecclesiae aedificatio est».

Ambrosius similiter affirmans non semel in Petro esse Ecclesiae fundamentum (in Luc. lib. 4, n. 70); de virgin. cap. 16, n. 105; de fide, lib. 4, cap. 5, n. 56, etc.), nihilominus in opere de Incarn. cap. 5, n. 34 dicit: «fides ergo est Ecclesiae fundamentum, non enim de carne Petri, sed de fide dictum est, quia portae mortis ei non praevalebunt».

Augustinus quoque utramque interpretationem promiscue adhibet. Cfr. tract. 7 in Ioann. n. 14; ad Psal. 30 serm. 2, n. 5; in Psal. 103 serm. 3, n. 2, et in Psal. 138, n. 22. Linguae aramaicae ignorantia in causa fuit potissimum quare Augustinus petram Christum, non Petrum intelligeret, ut apparet ex his quae sribit in Retract. l. 1, c. 21: «In hoc libro (contra epistolam Donati) dixi in quodam loco de Apostolo Petro, quod in eo tamquam in petra fundata sit Ecclesia, qui sensus etiam cantatur ore multorum in versibus beati Ambrosii, ubi de gallo gallinaceo ait: *Hoc ipsa petra Ecclesiae canente culpam diluit.* Sed scio, me postea saepissime sic exposuisse, quod a Domino dictum est: *Tu es Petrus et super hanc petram...* ut super hanc petram intelligeretur, quam confessus est Petrus dicens: *Tu es Christus filius Dei vivi,* ac si Petrus ab hac appellatus personam Ecclesiae figuraret, quae super hanc petram aedificatur et accepit claves regni coelorum. Non enim dictum est illi: Tu es petra, sed tu es Petrus. Petra autem erat Christus, quem confessus Simon, sicut eum tota Ecclesia confitetur, dictus est Petrus. Harum autem sententiarum quae sit probabilior, eligat lector». Non advertit S. Doctor Christum aramaice loquentem dixisse: Tu es kepha, et super hoc kepha aedificabo Ecclesiam meam. Qui ergo auctoritate Augustini vult hac in re se communire, ignorantiam quoque seu errorem Augustini sibi adscribat necesse est.

Patres ergo dum petram interpretantur fidem vel confessionem Petri, hanc intelligunt non abstractam a persona Petri, sed in Petro concretam i. e. Petrum fidem in Christi divinitatem confitentem et praedicantem. Tria ergo distinguas: *causam efficientem* primatus seu Christum; *causam formalem* primatus seu ipsam potestatem qua Petrus constituitur in ratione fundamenti

Ecclesiae; *subiectum inhaesionis* primatus seu personam Petri. *Causa formalis partialis* primatus recte reponitur in ipsa fide a Petro confitenda et infallibiliter praedicanda seu in potestate *magisterii* suprema: — Patres petram interpretantes ipsum Christum, agunt de fundamento Ecclesiae *primario et imparticipato.* Rem totam sub oculos exhibet Leo M. Qui Ecclesiae fundamentum praedicat Christum, Petrum, Petri fidem et confessionem: *a*) « Sed vos dilectissimi, quos nullis dignius quam Petri apostoli alloquor verbis, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, aedificati super inviolabilem *petram Christum* ». Sermo 24, 6 (ML. 54, 217). En fundamentum principale et invisible; — *b*) cum ego sim inviolabilis petra... *tu quoque petra es,* quia mea virtute solidaris ». Sermo 4, 2 (ML. 54, 150). En Petrum fundamentum participatum et visible; *c*) *Hanc confessionem* portae inferi non tenebunt, mortis vincula non ligabunt; vox enim ista vox vitae est ». Sermo 4, 3 (ML. 54, 150). En confessionem Petri fundamentum Ecclesiae. Tres ergo hae fundamenti acceptiones, nedum pugnent inter se, mutuo se complent et illustrant.

16. Sed Patres non semel attestantur Petrum recepisse claves regni caelorum, quatenus repraesentabat seu gerebat personam Ecclesiae. Ergo primatus immediatius tribuitur Ecclesiae quam Petro.

Resp. Dist. antec. Patres dicunt Petrum repraesentasse Ecclesiam *iuridice,* sicut rex dicitur repraesentare regnum suum, C.; tamquam merum *Ecclesiae mandatarium,* N.

17. Saltem *Cyprianus* videtur obstare primatui Petri. Etenim in opere: De ecclesiae catholicae unitate, c. 4 scribit: « Super unum aedificat Ecclesiam, et quamvis Apostolis omnibus post resurrectionem suam *parem potestatem* tribuat et dicat: *Sicut misit Pater...* tamen ut unitatem *manifestaret,* unitatis eius originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri Apostoli, quod fuit Petrus, *pari consortio praediti et honoris et potestatis,* sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia una monstretur ». Ergo tota ratio primatus a Cypriano reponitur in *mera prioritate temporis,* qua Petrus dicitur habuisse *eandem protestatem,* quam deinde ceteri omnes Apostoli participaverunt. Hinc Petrus aptissime assumitur ut *typus* unitatem Ecclesiae *manifestans,* at minime ut *principium* eandem unitatem *efficiens.*

Resp. Negatur antecedens cum ratione addita. Quaestiones de mente Cypriani circa primatum Petri et R. Pontificis agitabimus in thesi X.

18. Saltem verba collationis apud Io. 21, 15 sq. non videntur ostendere primatum iurisdictionis; ibi enim agitur de restituenda Petro gratia apostolatus amissa per peccatum trinae negationis. Ergo...

Resp. *a*) Gratis et falso asseritur Petrum peccato negationis amisisse gratiam apostolatus quippe quam, saltem definitivam, nonnisi post resurrec-

tionem Christi acceperat; — *b*) dato, et non concesso, quod Petrus gratiam apostolatus per peccatum illud amisisset, illam certe recuperasset ante collationem primatus, nempe cum Dominus in ipso die resurrectionis omnibus Apostolis in caenaculo apparuit, et dixit: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos... » (Io. 20, 21). Ceterum quaedam relatio oppositionis inter *trinam* negationem priorem, et *trinam* amoris requisitionem ac professionem posteriorem admitti potest, eamque Patres non raro solent commemorare.

19. Sed pascere est cibum praebere, non imperare. Ergo verbis Christi commendatur Petro cura pastoralis, non vero communicatur imperium.

Resp. Dist. antec. Pascere est cibum praebere subditis, C.; superioribus vel aequalibus N.; superius ostendimus verbum ποιμαίνειν designare officium pastorale illius qui est rex vel superior. Patres quoque in omni graecitate bene versati vident in verbis Christi praefecturam (προρτασίαν) fratrum Petro a Christo communicatam.

20. At Augustinus non semel asserit potestatem pastoralem *Ecclesiae* esse datam. Ergo ex verbis Christi ostendi nequit potestas quaedam suprema uni Petro concessa.

Resp. Dist. antec.: Et sensus est potestatem pastoralem concedi Ecclesiae sine Petro, N.; Ecclesiae quae una sit cum Petro et sub Petro, C. Etiam asserit Augustinus, quod « claves regni caelorum non unus homo accepit, sed *unitas* accepit Ecclesiae ». Vultne forte significare quod omnes in Ecclesia indiscriminatim recipiunt a Christo potestatem remittendi peccata? Id foret contra apertam sententiam Augustini scribentis: « Nam ut noveritis Ecclesiam accepisse claves regni caelorum, audite in alio loco quid Dominus dicat *omnibus Apostolis suis*: Accipite Spiritum Sanctum. Et continuo: Si cui dimiseritis peccata, dimittuntur ei, si cuius tenueritis, tenebuntur (Io. 20, 22 et 23). Hoc ad claves pertinet, de quibus dictum est: Quae solveritis in terra, soluta erunt et in caelo; et quae ligaveritis in terra, ligata erunt et in caelo; Sermo 295 (ML. 38, 1349). Similiter de potestate pastorali: « in ipso Petro *unitatem* commendavit. Multi erant *Apostoli*, et uni dicitur Pasce oves meas ». Sermo 46, 13 (ML. 38, 387).

21. Sed si Petrus reapse accepisset verum iurisdictionis primatum, aliquando illum exercuisset, quum frustra sit potentia, quae nunquam in actum reducitur. Atqui Petrus primatum iurisdictionis nuspiam exercuit. Ergo...

Resp. Dist. maior. Si Petrus primatum recepisset, vel exercuisset illum personaliter, subd.; si huius talis exercitii vera quaedam necessitas aut magna saltem convenientia fuisset, C.; secus, N. — Minor quoque propositio negari forsitan posset vel saltem in dubium vocari. Petrinae activitatis documenta vix ulla habemus praeter Actus Apostolorum. Porro quae in prima parte huius libri narrantur de Petro talia sunt, ut multo facilius et con-

naturalius explicentur admisso vero primatu, quam eo negato. Ceterum aliquale primatus exercitium in eo cerni possit, quod Petrus cathedram episcopalem romanam ad dignitatem primatialem elevavit, ut tota refert traditio.

Nota bene: S. de la Torre observat argumentum nostrum non probare characterem *iuridicum* potestatis supremae petrinae (o. c. p. 220). — Hac observatione Salaverri optime demonstravit se non bene intellexisse indolem et naturam potestatis *claviгerae* petrinae.

Scholion dogmaticum. Doctrina de primatu directe et immediate Petro a Christo *collato* explicite definitur a Concilio Vaticano (DB. n. 1823). — Primatum iurisdictionis fuisse eidem *promissum* expresse docetur in capite correspondenti (DB. n. 1822). — Praecesserat declaratio Leonis IX contra Michaelem Caerularium (DB. n. 351), Ioannis XXII contra Marsilium Patavinum (DB. n. 496), Clementis VI ad Armenos (DB. n. 3010), Concilii Constantiensis contra Hus (DB. n. 633), Concilii Florentini (DB. n. 694), Innocentii X contra errorem de duplici capite Ecclesiae (DB. n. 1091). Thesis ergo continet dogma fidei.

Notae bibliographicae

Ad ipsam thesim: Cf. *Ottiger*, o. c., p. 61-212; *Dieckmann*, o. c., n. 343 sq.; d'Herbigny, o. c., n. 152 sq,; *de la Brière* in Dict. Apol. F. C. vol. III, col. 1333 sq.; *Palmieri*, o. c., p. 296 sq.; *Wilmers*, o. c., n. 85 sq.; *Felder*, o. c., p. 32 sq.; *Lercher*, o. c., n. 297 sq.; *Dorsch*, o. c., p. 123 sq.; Ottiger eminet facile inter omnes spectata amplitudine et soliditate tractationis.

De authentia Mt. 16, 18-19: optime disserunt: *L. Fonck*, Biblica (1920, p. 240 sq.; *C. A. Kneller*, Stimmen aus Maria-Laach (1896) 129 sq. 288 sq. 375 sq. *Idem* in Zeitschr. für Kath. Theol. (1920), p. 147-163; *Schepens*, Rech. des Sc. Relig. t. X, 1920, pag. 269 sq.; *de la Brière*, Dict. Apol. F. C. t. III, col. 1339 sq.; *Batiffol*, L'Eglise naissante (1919), Excursus A., L'Eglise dans l'Evangile, Valeur de Mat. 16, 18-19, p. 64-113; *d'Herbigny*, o. c., n. 325 sq.; *Dieckmann*, o. c. n. 350 sq. *Idem* in Biblica (1923), p. 189-200; *Euringer*, Der locus classicus des primates (Matth. 16, 18) und der Diatessarontext des hl. Ephräm. Beitrage zur Gesch. des christl. Altertums und der byzant. Literatur (Festgabe Albert Ehrhard), 1922, p. 141-179; *Medebielle* in Dict. de la Bible, Supplément, II, col. 546-564.

De habitudine cap. 21 ad reliquum evangelium Ioannis: Cf. *F. Segarra*, Estudios eclesiásticos (1930), p. 32-47; *L. Vaganay*, Revue Biblique, 1939, p. 512-528.

De Petro Christi Vicario agunt: *P. Charles* in Nouvelle Revue Théologique (1929), p. 443-459; *M. Bover* in Estudios Eclesiásticos (1924), p. 138-148; *Lesel* in Verbum Domini (1944).

De Paulo primatus Petrini praecone bene disserunt: *Roiron* in Recherches des sciences religieuses (1913), p. 489 sq.; *Bover* in Estudios eclesiásticos (1926), p. 297 sq.

De interpreatione Mt. 16, 18 in ecclesia primitiva: Cf. *H. Bruders* in Zeitschr. für Kath. Theol., vol. 34, 1910, p. 559 sq. 292 sq. 464 sq. 690 sq,; *K. Adam* in Tüb. Theol. Quartalsch. 1914, p. 167 sq.

De conceptu petrae ecclesiae apud ecclesiologiam byzantinam usque ad Photium, cf. *A. Guberina* in Bogoslovska Smotra, vol. 17 (1929), p. 345-376; vol. 18 (1930), p. 145-174. Conclusio dissertationis est: « Photius ergo est non tantum pater schismatis Byzantini, sed etiam primus theologus ecclesiologiae orthodoxae praesertim quod attinet negationem primatus romani in ecclesiam universalem ».

THESIS IX

E Christi ipsius institutione Petrus habebit successores in primatu ad finem usque saeculorum.

Status quaestionis

1. Novimus Ecclesiam fuisse a Christo monarchice constitutam, erecto in beato Petro verae iurisdictionis primatu super universam Ecclesiam. Duae remanent quaestiones de primatu: *a*) Fuitne hic primatus ea lege a Christo institutus, ut deberet *perpetuo manere* in Ecclesia? *b*) Quod si talis fuerit Christi voluntas, quisnam succedit Petro in hac primatiali dignitate? Quae duae quaestiones totidem thesibus resolventur.

2. *Successio* est suffectio unius in locum alterius. Successio dicitur *formalis* ubi adest suffectio unius in locum *et munus* alterius. Successio ut sit formalis debet esse *legitima,* ideoque innixa

in *missione* seu mandato superioris: agimus evidenter de successione formali in sede Petri.

3. Agitur de successore Petri in *primatu,* non in apostolatu. Duplex personalitas distinguenda est in Petro. Petrus fuit apostolus et primas. Petrus, qua apostolus, habuit iura, officia et praerogativas charismaticas communes cum aliis apostolis. Apostoli omnes fuerunt *immediate* missi a Christo ad implantandum Regnum Dei ubique terrarum, fuerunt testes *oculares* resurrectionis Christi, fuerunt fundatores et rectores ecclesiarum particularium. Qua *fundatores* ecclesiarum habuerunt splendida et extraordinaria privilegia in ordine iuridico, magisteriali, charismatico, morali et executivo. Haec iura et privilegia, eo ipso quod spectant ad apostolos *ut fundatores* ecclesiarum, iam non transmittuntur ad eos, qui non erunt fundatores, sed meri *rectores* communitatum christianarum. Petrus, ut apostolus, habuit haec omnia iura et privilegia communia cum aliis apostolis, ideoque in his non habebit successores. At Petrus, isque solus, fuit *primas* Ecclesiae universae, et qua talis debet habere perpetuos successores formales in regimine Ecclesiae.

4. Agitur de permanentia iurium primatialium in *una persona* physica ita ut Ecclesia ex iure divino futura sit semper *monarchica.* Ut vero aliquis sit successor Petri in primatu, non requiritur ut hic potestatem iurisdictionis accipiat *ab ipso Petro;* sufficit ut eidem succedat ex voluntate Christi in omnia iura primatialia; hinc sequitur hanc successionem esse de *iure divino* ideoque incommutabilem.

5. Agitur demum de successione continuo duratura usque in finem saeculorum. Sufficit evidenter *continuitas moralis,* quae non interrumpitur eo tempore quo novus successor eligitur. *Vacante sede primatiali* remanet in Ecclesia ius et officium, (simul cum promisione divina) eligendi aliquem qui legitime succedat papae defuncto in iura primatus. Constitutio ergo ecclesiastica toto hoc tempore non mutatur, siquidem potestas illa suprema

non devolvitur in collegium sive episcoporum sive cardinalium, sed manet lex divina de novo successore eligendo.

Breviter: asseritur perennitas primatus in forma monarchica ex ipsa Christi dispositione seu iure divino perseveraturi continuitate morali ad finem usque saeculorum. Unde sequitur primatum esse munus *partim personale* Petri, quatenus ipsi soli, non collegio apostolico concessum; *partim non personale,* quatenus non finiendum cum morte personae Petri, sed successoribus transmittendum.

Adversarios contra thesim vix reperias inter eos qui admittunt verum iurisdictionis primatum a Christo in Petro institutum. Unicam fere exceptionem constituit

Tertullianus qui in libro de pudicitia c. 21 scribit: « Sed habet, inquis, ecclesia potestatem delicta donandi... De tua nunc sententia quaero, unde hoc ius ecclesiae usurpes. Si quia dixerit Petro Dominus: super hanc petram aedificabo ecclesiam meam... idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi ac ligandi potestatem, id est, ad omnem ecclesiam Petri propinquam. Qualis es evertens ac commutans manifestam Domini intentionem *personaliter hoc Petro conferentem?* Super *te,* inquit, aedificabo ecclesiam meam, et *dabo tibi* claves ecclesiae, et quaecumque *solveris* vel alligaveris, non quae *solverint* vel alligaverint » ML. 2, 1024. Haec scribit Tertullianus *montanista,* aperte contradicens iis quae ipse *catholicus* conscripserat: « Nam etsi adhuc clausum putas caelum, memento claves eius hic Dominum Petro, et per Petrum *Ecclesiae* reliquisse ». Adv. Gnosticos, c. 10 (ML. 2, 142).

Protestantes et Orientales separati eatenus thesi adversantur, quatenus ad negationem primatus Petrini solent speciales rationes adiungere contra eius successores.

Demum quidam recentes critici acatholici (Linton; Schmidt...) admittunt authentiam litterariam et historicam pericopes primatialis (Mt. 16, 18-19); admittunt quoque interpretationem catholicam vix non integram, sed negant perennitatem, ideoque roma-

nitatem primatus Petrini. Nostris diebus praecipue resistit *O. Cullmann,* de quo agemus in apposito scholio.

Probatur thesis

1. *Ex verbis promissionis* (Mt 16, 18-19): *a*) Si particula (adversus eam) refertur immediate ad petram, ut aliquibus videtur, habes perennitatem primatus explicite a Christo promissam.

b) Si particula « adversus eam » aeque immediate refertur ad ecclesiam et ad petram, eadem conclusio obtinet. Haec videtur fuisse sententia Origenis scribentis: « Non praevalebunt adversus eam: quam autem eam? an enim petram super quam Christus aedificavit Ecclesiam, an Ecclesiam? ambigua enim est locutio. An quasi unam eandemque rem, petram et Ecclesiam? Hoc ego verum esse existimo ». Comment. in h. l. (Mg. 13, 1003).

c) Si particula « adversus eam » immediate refertur ad solam ecclesiam, ut vult verisimilior opinio, licet sic argumentari· Tandiu debet durare fundamentum quandiu durat aedificium ecclesiasticum super hoc fundamentum firmatum et solidatum. Atqui hoc aedificium seu Ecclesia durabit usque in finem saeculorum, ut alibi ex hoc ipso textu ostendimus. Ergo et fundamentum. Sed fundamentum hoc ex dictis fuit Petrus ratione supremae iurisdictionis. Ergo Petrus cum sua suprema iurisdictione debet permanere usque in finem mundi; at non in sua persona physica: ergo in suis legitimis successoribus. *Breviter ergo sic.* Propter quod unumquodque tale, et illud magis Atqui Ecclesia in textu evangelico exhibetur et praedicatur perpetua propter primatum. Ergo et hic primatus debet necessario esse perpetuus. Advertas hoc argumento demonstrari non tantum necessitatem alicuius successionis in genere, sed successionis *in forma monarchica.* Etenim primatus Petri, qualis fuit institutus a Christo, implicat potestatem iuridicam supremam cui subest totum corpus tum ecclestiasticum, tum episcopale. Atqui talis potestas evertitur in hypothesi successionis collegialis. Profecto Petrus per primatum constituitur principium unitatis et firmitatis tum corporis ecclesiastici, tum ipsius collegii episcopalis. Iamvero hoc tale principium subvertitur in praefata hypothesi. Rectissime ergo Concilium Vaticanum: « Ut vero *epi-*

scopatus ipse unus et indivisus esset... beatum Petrum ceteris apostolis praeponens, *in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium* ac visibile fundamentum ». Denzinger, n. 1821.

Dices: Textus evangelicus asserit quidem Ecclesiae perpetuitatem, sed non dicit illam *ideo* futuram esse perpetuam *quia* est aedificata super Petrum. Ergo nostra exegesis et interpretatio exorbitant obiectiva textus confinia. *Resp.*: Textus non asserit *explicite* nexum causalem inter primatum Petrinum et Ecclesiae perpetuitatem, c.; non asserit *implicite,* N. Nexum hunc causalem evidenter produnt:

a) *Ipsa natura metaphorae* qua Christus utitur. Etenim Petrus se habet respectu Ecclesiae universae sicut fundamentum naturale respectu domus. Atqui fundamenti influxus causalis tamdiu perdurat, quamdiu perdurat aedificium; diruto fundamento ruit aedificium. Ergo...

b) Ipsa metaphora *prout fuit explicata ab ipso Christo* parabola viri sapientis aedificantis domum super petram. « Et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat super petram ». Mt. 7, 24-25. Habes hic nexum causalem inter perseverantiam domus et perseverantiam fundamenti ab ipso Christo assertum et explicatum.

c) *Ipsa natura nominis* Petro a Christo impositi. Christus volens aedificare suum regnum super novum fundamentum, Simoni nomen mutat illumque compellat novo nomine firmitatem *significante.* Tu es Kefa, i. e. saxea firmitate solidatus. Statim explicat vim et rationem huius novi nominis: et super *hanc petram* aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Ratio ergo quare Simon sit appellatus Kefa stat in hoc, quod ipse a Christo saxea soliditate firmatus sustentabit totum aedificium ecclesiasticum, illudque reddet incolume.

d) Eadem conclusio obtinetur ex analysi secundae metaphorae, eiusdemque ad priorem respectu. Petrus constituitur fundamentum per acceptas claves Regni caelorum. Porro hae claves sunt Christi, qui habet clavem David; qui aperit, et nemo claudit, claudit et nemo aperit. Quanta sit vis harum clavium ostendit ipse

Christus (Apocal. 1, 17-18): « Ego sum primus et novissimus, et vivus, et fui mortuus, et ecce sum vivens in saecula saeculorum, et habeo *claves mortis et inferni* ». Vides quare domus Petrino fundamento innixa morti numquam succumbet, quia Petrus eam sustentat solidatus ipse ab eo qui destruxit diabolum qui habebat mortis imperium; quia regit vice eius quem regnare oportet donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius (I Cor. 15, 25).

Syntetizando: Christus primo explicite docet domum suam seu ecclesiam fundatam iri super Petrum — Christus secundo explicite docet Ecclesiam fundatam super Petrum futuram esse perenniter firmam — Christus tertio explicite docet firmitatem domus causaliter dependere a firmitate fundamenti — Ergo Christus quarto implicite docet connexionem causalem inter perennitatem Ecclesiae et perseverantiam fundamenti seu primatus Petrini.

2. *Novum argumentum* rursus ex verbis promissionis concinnari potest in hanc formam. Christus loquitur de Ecclesia aedificanda super Petrum *in futuro*: aedificabo. — Christus loquitur de Ecclesia *integrali* aedificanda in futuro: aedificabo Ecclesiam *meam*. — Ecclesia integralis Christi constituitur non tantum fidelibus christianis existentibus tempore Petri, sed illis omnibus qui fuerunt (hoc tempore), qui nunc sunt, et qui erunt usque ad consummationem saeculi. — Ecclesiae ergo aedificatio *super Petrum* continuabitur usque ad consummationem saeculi. — Atqui Ecclesiae aedificatio super Petrum nequit continuari usque ad consummationem saeculi sine Petro continuato. Petrus ergo qua fundamentum Ecclesiae perdurabit usque ad finem mundi. *Breviter in forma*: Tandiu durabit fundamentum Petrinum (primatus), quandiu durabit Ecclesiae *aedificatio* super hoc fundamentum. Atqui Ecclesiae aedificatio super hoc fundamentum perdurabit usque in finem mundi. Ergo et hoc fundamentum similiter perdurabit. Sed non in persona physica Petri, quippe qui morte manere prohibetur. Ergo in persona *morali* Petri, id est, in suis legitimis successoribus, qui unam cum eo personam moralem constituunt. *Nota bene*: De Ecclesiae aedificatione continuanda usque in finem saeculorum loquitur quoque Paulus in epistula

ad Ephes. 4, 11 sq. « Et alios dedit Apostolos, alios Prophetas, alios evangelistas, alios pastores et doctores ad consummationem sanctorum, *ad aedificationem corporis Christi,* donec occurramus omnes (οἱ πάντες) in unitatem fidei et agnitionis filii Dei, in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi ».

3. *Probatur tertio ex verbis collationis.* Verba collationis (Io. 21, 15 sq.), ut vidimus in thesi praecedenti, constituunt Petrum pastorem supremum ad pascendum *gregem Christi universum.* Porro ad gregem Christi pertinent oves et agni omnes sine restrictione temporis, id est, aetatis apostolicae et postapostolicae. Ergo Petrus ex mandato Christi debet pascere seu regere omnes quotquot sunt eruntque in grege Christi agnos et oves. Atqui non per semetipsum personaliter. Ergo per suos legitimos successores. Ut vim argumenti clarius percipias, adverte sequentia:

a) Iesus alibi dixerat: « Et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unum ovile et unus pastor » (Io. 10,16). Ovile ergo Christi, ex iudaeis et gentibus congregandum, erit unum sub uno pastore, unitate scilicet efficienda ab uno supremo pastore. Hic unus pastor visibilis erat Christus dum ipse vivebat in terris. Sed reversurus ad Patrem, antequam ascendat in caelos, totum ovile tradit Petro, eumque constituit suum vicarium in supremo pastoratu super universum gregem christianum. Porro qui vices Christi tenet in hoc supremo pastoratu debet tandiu perseverare, quandiu duret ipse grex in unitate continendus. Christus ergo tria dicit in praefata pericope: 1. Erit ovile *novum,* nempe congregandum ex iudaeis et gentibus. — 2. Hoc ovile novum erit *unum.* — 3. Erit porro unum *sub uno* pastore. Iamvero hic unus pastor non erit tantum Christus, quippe qui non venit nisi ad oves Israeliticas, ideoque non gubernabit ovile *novum,* sed etiam Petrus cui Christus ipse comendavit omnes suas, fecitque vicarium suum. Petrus ergo qua pastor unus et Christi vicarius debet durare quandiu durabit ovile Christi. Aliis verbis, Petrus qua Christi vicarius et pastor unus habebit perpetuos in primatu successores.

b) Id ipsum fit manifestum si comparentur verba collationis cum verbis promissionis. Profecto Iesus apud Ioannem l. c. confert Petro illam potestatem supremam quam promiserat penes Matthaeum. Atqui promiserat potestatem primatialem perpetuo duraturam. Ergo potestas nunc collata, in perpetuum perduret necesse est. Ubi advertas velim quam harmonice cohaereat promissio cum collatione. In stadio quippe promissionis *tota* Christi Ecclesia exhibetur aedificanda in Petro, sustinenda et solidanda a Petro: et super hanc petram aedificabo *Ecclesiam meam*. In stadio collationis *totus Christi* grex exhibetur pascendus seu regendus a Petro: pasce *oves meas*. In stadio promissionis Petrus apparet ut Christi oeconomus et vicarius in administranda domo messiana: tibi dabo claves regni caelorum. In stadio collationis idem Petrus perhibetur ut vicarius boni Pastoris in pascendo seu regendo ovili Christi: pasce agnos meos, pasce oves meas.

c) Iuvat rem totam confirmare magnificis verbis. *S. Bernardi* ad Eugenium III Pontificem Romanum sic alloquentis: « Tu princeps episcoporum, tu heres apostolorum... Sunt quidem et alii caeli ianitores et gregum pastores; sed tu tanto gloriosius, quanto differentius utrumque prae ceteris nomen hereditasti. Habent illi sibi assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti sunt, uni unus. Unde id probem, quaeris? Ex verbo Domini: Cui enim non dico episcoporum, sed etiam apostolorum sic absolute et indiscrete totae commissae sunt oves? Si amas me, Petre, pasce oves meas. Quas? Illius vel illius populos civitatis aut regionis, aut regni? Oves meas, inquit. *Cui non planum non designasse aliquas, sed assignasse omnes?* Nihil excipitur, ubi distinguitur nihil ». De consider. 1. 2. c. 8, n. 15.

4. *Probatur quarto ex fine primatus*: Tandiu debet durare primatus, quandiu duret ratio vel finis propter quem fuit a Christo institutus. Atqui haec ratio durabit usque in finem saeculorum. Ergo et primatus. *Minor probatur*: Ratio propter quam fuit institutus primatus est unitas et firmitas tribuenda aedificio ecclesiastico. Atqui haec ratio durabit semper; evidens est Ecclesiam non posse perseverare integram et incolumen sine servata

unitate et firmitate. Egregie Hieronymus: Propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio ». Adv. Iovin. 1. I, n. 26 (ML. 23, 247). Item Optatus Milevitanus: « *Bono unitatis* beatus Petrus et praeferri apostolis omnibus meruit, et claves regni caelorum... solus accepit ». De Schism. Don. 1. 3, c. 3 (ML. 11, 1087).

5. *Argumentum traditionis* duplici forma exhiberi potest:

a) Traditio constans et universalis docet Romanum Pontificem esse cuccessorem Petri in primatu iurisdictionis, ut videbimus in thesi sequenti. Atqui in hac traditione continetur doctrina de perennitate primatus Petrini successione continuandi; non enim possent succedere in potestate, quae cum Petro mori debuisset. Huc spectant toties repetita testimonia in quibus asseritur plenam regendi potestatem Romano Pontifici *in Petro* a Christo Domino esse collatam. Eatenus quippe haec talis potestas conceditur Romano pontifici *in Petro*, quatenus Christus illam Petro tradebat *ut continuando* in suis successoribus.

b) Testimonia explicita accedunt. Primo quidem testimonium solemne Concilii Ephesini: « Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est quod sanctus beatissimusque Petrus apostolorum princeps et caput, fideique columna, et Ecclesiae catholicae fundamentum... ad hoc usque tempus et semper *in suis successoribus vivit et iudicium exercet* ». Denzinger, n. 112. Non minus sollemne et decisivum est testimonium contentum in Formula Hormisdae, de qua agemus in thesi subsequenti. Cfr. Denzinger, n. 171-72.

Scholion. — *De recenti quodam opere O. Cullmann.*

Problema de perennitate primatus Petrini recenter examinavit ample, docte, erudite Doctor Oscar Cullmann (protestans) in opere De Petro Christi discipulo, apostolo, martyre. Opus est scriptum lingua germanica: habemus prae manibus versionem gallicam: Saint Pierre Disciple - Apôtre - Martyr, apud Delachauch et Niestlé S. A. Paris, 1952. Hic liber provocavit magnam com-

motionem et obtinuit maximam resonantiam in castris theologicis cum protestanticis tum catholicis. Prae gravitate materiae et singulari auctoris competentia meretur accuratam expositionem et examinationem. Dabimus doctrinale ipsius contentum, structuram, iudicium criticum.

Liber constat duplici parte: in prima parte examinatur *problema historicum.* Triplex caput: in priori agitur de Petro *discipulo* (p. 13-28) — in secundo de P *apostolo* (28-61) — in tertio demum de *P. martyre* (61-118). Tota haec prima pars non attingit nostram quaestionem de perennitate et successione primatus Petrini; hinc ab ea tractanda et examinanda supersedebimus.

In secunda parte examinatur *problema exegeticum et theologicum.* Duplex caput: in primo agitur *de exegesi* Mt. 16, 17-19. Tria continentur: *a*) Historia praecipuarum interpretationum (143-154) — *b*) Contextus Mt. 16, 17-19 (154-167) — *c*) Authentia et sensus Mt. 16, 17-19 (167-191). In secundo capite examinatur problema dogmaticum positum per applicationem Mt. 16, 17-19 ad Ecclesiam posteriorem. Duplex punctum: *a*) Positio fundamenti (Petrini) (193-201). *b*) Directio Ecclesiae (201-214). Quod attinet hanc secundam partem, *problema exegeticum* non tangit *directe* nostram quaestionem de perennitate primatus. Auctor admittit et ample demonstrat authentiam litterariam et historicam Mt. 16, 17-19. Admittit quoque (magnam partem) exegesim catholicam. Remanet ergo nobis examinandum *problema* sic dictum *dogmaticum* quod Auctor tractat in capite ultimo sui operis.

Conclusio ad quam devenitur in hoc capite synthetice exhibetur ab ipso auctore hisce verbis: « Notre exposé dogmatique nous amene aux conclusions suivantes:

Pierre est Roc en tant qu'apôtre, en ce sens qu'il fait partie du fondament de l'Eglise posé au début de l'edification de celle-ci. C'est sur la base des apôtres que le Christ édifiera son Eglise de géneration en géneration; or parmi les apôtres, Pierre est le plus important.

Pierre est également chef de l'Eglise primitive, à Jerusalem, et ce fait a lui aussi une signification avant tout temporelle: sa

portée éternelle dans la cadre de l'histoire du salut, c'est que Pierre a dirigé l'Eglise des origines.

On peut vouloir déduire en outre de Mt. 15, 17 ss. que même apres Pierre l'Eglise aura besoin d'une direction suprême chargée d'administrer les clés et le pouvoir de lier et de délier. Mas on ne saurait le faire en réservant ce rôle aux détenteurs futurs d'une siége épiscopale particulier. Ni l'Ecriture, ni l'histoire de l'Eglise ancienne ne justifient un tel principe de succession. En réalité, l'accès a la direction de l'Eglise universelle ne peut pas dependre d'une régle de succession, qui ferait de lui privilège d'une siège épiscopale. L'importance pour la vie de l'Eglise universelle des différentes Eglises locales n'a pas un caractère immuable, mais change a cours des siècles. Au contraire, le Roc, le fondement de toutes les Eglises de tous les temps, demeure le Pierre historique, l'homme que Jésus avait choisi et distingué spécialement, parmi les Douce, comme témoin de sa vie et de sa mort et comme premier témoin de sa résurrection. C'est sur Pierre que le Christ, qui est lui-même la pierre de l'angle, batira sans cesse son Eglise, tant qu'il y en aura une sur le terre ». Ad haec, et habitis prae oculis iis quae alibi proponuntur.

Positio Cullmann, rem nostram quod attinet, potest revocari ad sequentia:

1. Cullmann admittit primo loco ut indubiam authentiam litterariam et historicam pericopes evangelicae Mt. 16, 18-19, quamvis opinetur hanc pericopen non esse *suo loco* positam — Admittit pariter fere integram interpretationem catholicam huius pericopes, etsi non desint in suis commentariis aliqua quibus haec interpretatio obscuratur. — Admittit quoque Petrum recepisse a Christo verum quemdam primatum realem, illumque exercuisse in Ecclesia primitiva usque ad suum discessum e Hierosolyma (Act. 12, 18) sub persecutione Herodiana, ex quo tempore mansit subiectus Iacobo, qui suscepit directionem Ecclesiae universalis, dum Petrus se tradebat totum operi missionario.

2. Hic primatus Petri importat duo: *a*) Quod Petrus est fundamentum super quod aedificatur Ecclesia; *b*) quod Petrus fuit

rector supremus Ecclesiae primitivae universalis in stadio Hierosolymitano.

3. Petrum esse fundamentum, super quod aedificatur Ecclesia, debet intelligi ita ut Petrus sit *pars principalis* fundamenti adaequati, id est, integri collegii apostolici: etenim Ecclesia reapse aedificatur supra omnes apostolos.

4. Hic primatus fuit Petro datus *ut apostolo*. Atqui apostolatus suapte natura excludit principium successionis. Petrus ergo nullos habuit nec potuit habere successores proprie dictos seu formales.

5. Cullmann admittit ex verbis Christi promissoriis (Mt. 16, 18-19) posse deduci necessitatem alicuius directorii supremi in Ecclesia, ad quod spectet administrare claves et potestatem ligandi ac solvendi acceptam a Petro; negat tamen hoc directorium supremum posse pertinere ad aliquem determinatum episcopum alicuius ecclesiae particularis, v. gr. ad episcopum romanum.

6. Hoc non obstante, potest dici, imo debet dici quod Petrus historicus manet semper tamquam actuale et perenne fundamentum super quod Ecclesia semper aedificabitur usque ad finem saeculorum.

Argumentatio qua Cullmann devenit ad has conclusiones procedit hoc ordine et gressu. Principio proponitur quaestio. Estne licitum applicare verba Christi penes Mt. 16, 18-19 ad generationes ulteriores seu subapostolicas, etsi praefata verba habeant pro obiecto *immediato* situationem praesentem? Advertas gratuitam et aprioristicam suppositionem auctoris; videlicet verba Christi habere pro obiecto *immediato* solam praesentem Ecclesiae situationem. Positive ostendimus verba Christi promissoria immediate referri ad futuram Ecclesiae aedificationem.

Ad propositam quaesionem auctor respondet notando verba Christi continere ac significare *determinatas quasdas functiones*. Oportet ergo examinare ac decernere num hae functiones suapte natura admittant, an recusent praefatum successionis principium. Ad solvendam hanc quaestionem Cullmann observat verba Christi ad Petrum continere *duas promisiones*: Priori Petrus constituitur fundamentum Ecclesiae aedificandae; altera Petro promittitur

quod, inchoata aedificatione, ipse habebit primam Ecclesiae directionem. Oportet ergo distinguere inter Petrum Ecclesiae fundamentum, et Petrum Ecclesiae clavigerum seu directorem. Quo posito et retento, auctor decernit sic. Petrus fundamentum nequit habere successores, sed ipse manebit semper perenne Ecclesiae fundamentum. Petrus claviger seu Ecclesiae director habebit continuatores in directione Ecclesiae, non tamen proprie dictos successores formales: aliis verbis, Petrus claviger habebit successores *materiales* sensu chronologico, non vero successores *formales,* qui continuent eandem charge apostolique, seu idem munus et officium apostolicum Petri. Singula ergo haec duo officia separatim consideremus.

Petrus fundamentum, auctore Cullmann, non habet nec potest habere successores. En argumenta Cullmanniana:

1. Secundum verba promissionis Petrus se habet ad Ecclesiam sicut fundamentum ad aedificium. Atqui in constructione aedifici fundamentum *semel tantum ponitur*. Ergo in constructione Ecclesiae fundamentum Petrinum semel tantum debet poni, et non repeti in successoribus.

Resp.: In constructione aedifici fundamentum semel tantum ponitur, ubi agitur de aedificio physico et materiali, Conc.; ubi agitur de aedificio spirituali et mystico, subd. ponitur semel continuandum in legitimis ac formalibus successoribus, Conc.; non continuandum in successoribus, nego. Ratio disparitatis est manifesta: Cum agitur de aedificio materiali ponitur fundamentum, quod non est obnoxium corruptioni, sed manet: e contra cum agitur de aedificio sociali et mystico, ponitur loco fundamenti homo, qui est obnoxius corruptioni et morte permanere prohibetur; paritas ergo non tenet.

2. Promisio de Ecclesia aedificanda super Petrum dirigitur non ad aliquem *episcopum,* sed ad unum *apostolum.* Atqui officium apostolicum suapte natura excludit omne successionis principium. « Cette parole est adressée, non à un éveque, mais à un apôtre ».

Resp.: *a*) Tempore promissionis factae a Christo Petrus nondum erat *actu* constitutus Apostolus nec episcopus Ecclesiae aedificandae, sed erat selectus et destinatus ad dignitatem tum apostolicam tum episcopalem: nequit ergo dici promissionem esse directam ad aliquem apostolum. *b*) Petrus erat destinatus ut foret non simplex episcopus particularis, sed episcopus episcoporum, id est, episcopus universalis et supremus; aliis verbis, Petrus erat designatus et destinatus ut foret *primas Ecclesiae*. Manet ergo quaestio examinanda et solvenda: num verba promissionis dirigantur ad Petrum *ut apostolum,* an ad Petrum *ut primatem.* Cullmann *praetermittit* totum hoc examen, et a priori ac gratuito *supponit* promisionem Christi dirigi ad Petrum ut apostolum; quod gratis ergo asseritur, gratis negatur. Sed nequaquam in isto sunt omnia. Minor quoque propositio argumenti Cullmanniani indiget accurata examinatione et explicatione. Est ne simpliciter verum *officium apostolicum* respuere omne transmissionis ac successionis principium? Cullmann hoc constanter supponit et repetit, sed numquam probat: rem ergo totam paulisper consideremus et examinemus. Apostolatus implicat duplicem dignitatem et potestatem. Apostoli sunt, non Ecclesiae universalis institutores, sed communitatum seu ecclesiarum particularium *fundatores ac rectores*. Apostoli *ut fundatores* non habebunt successores proprie tales (singuli singulos); sed ut rectores habebunt successores proprie tales in officio et potestate sacerdotali, magisteriali et regali. Christus instituit in Collegio apostolico sacrum ministerium, magisterium et imperium, voluitque triplex hoc officium iugiter continuatum ad finem usque saeculorum (Mt. 28, 19 sq.). Nequit ergo dici officium apostolicum respuere omne successionis genus.

3. Idem est sensus vocis « fundamentum » in Mt. 16, 18 ac in epistula ad Ephes. 2, 20: « Vos esis superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum ». Atqui vox fundamentum in hoc textu paulino excludit principium successionis. Ergo manet difficultas.

Resp.: Multa sunt notanda ad plenam intelligentiam huius difficultatis, eiusque solutionem: *a*) Primo quidem disputatur num

genitivus *apostolorum* recurrens in formula Paulina sit genitivus identitatis, an causalitatis. In priori casu sensus est: fundamentum quod *sunt* apostoli; ratio ergo fundamenti praedicatur de apostolis: in secundo casu sensus est; fundamentum *praedicatum* ab apostolis et prophetis; ratio ergo fundamenti praedicatur non de apostolis sed de Christo. Christus est fundamentum et lapis aedificii ecclesiastici; apostoli praedicant Christum esse fundamentum ac lapidem angularem. Hoc sensu Paulus affirmat in I Cor. 3, 10: « Tamquam sapiens architectus fundamentum posui (Christum) ». Hanc quaestionem recenter examinavit *Bover* S. J., et devenit ad conclusionem de genitivo causalitatis. Cullmann (cum multis aliis) supponit in nostro textu agi de genitivo identitatis; at praetermittit omnem rei examinationem; quin imo videtur ignorare ipsam cotroversiam.

b) Interim possumus supponere in textu paulino agi de genitivo identitatis, id quod est vere probabile. Facta ergo hac hypothesi, respondetur ad argumentum Cullmann negando prorsus maiorem syllogismi. Alius est sensus fundamenti in textu evangelico (Mt. 16, 18), alius in textu Paulino. Petrus est fundamentum *petreum;* apostoli non sunt fundamentum-petra. Notetur et alta mente repostum teneatur Petrum in textu evangelico non vocari *fundamentum,* sed petram = Kefa: Tu es Kepha et super hoc kepha aedificabo Ecclesiam meam. Aliud est esse fundamentum, aliud esse petram. Christus ipse clare distinguit has duas notiones apud Lucam 6, 49: « Omnis qui audit sermones meos, et facit eos, similis est homini aedificanti domum, qui fodit in altum, et *posuit fundamentum* (θεμελιον) *super petram* (πέτραν) ». Fundamentum ponitur super petram, et non viceversa. Notio petrae in Novo Testamento solum praedicatur de Christo et de Petro, numquam de Apostolis. E contra notio fundamenti praedicatur tum de Christo, tum de Petro, tum de apostolis, sed aliter et aliter. Christus est fundamentum soteriologicum simul et iuridicum. Petrus est fundamentum non soteriologicum sed tantum iuridicum, et quidem Christo subordinatum. Apostoli sunt fundamentum iuridicum subordinatum tum Christo, tum Petro. In textu evangelico Mt. 16, 18 *tota Ecclesia* exhibetur aedificanda super Petrum. Atqui pars nobilissima Ecclesiae sunt apostoli et episcopi. Ergo

ipsi quoque aedificantur super Petrum. In textu paulino Ephes. 2, 20 non tota Ecclesia, sed fideles christiani, praeprimis gentiles (de quibus proxime agitur) exhibentur aedificati vel potius superaedificati super apostolos: certe unus apostolus non aedificatur super alium apostolum, multoque minus Petrus potest dici aedificari super fundamentum apostolorum. Falsa est ergo *maior* in syllogismo Cullmann, qui non advertit ad praefatum discrimen.

Falsa quoque est propositio *minor*. Cullmann asserit notionem fundamenti apud Ephes 2, 20 excludere principium successionis; sed agitur de assertione pure gratuita cuius nulla affertur aut tentatur probatio. Ibi agitur de ratione fundamenti communi apostolis et *prophetis;* si prophetae dicuntur fundamentum ratione praedicationis, non apparet ulla ratio quare apostoli non possint habere successores in hoc praedicationis officio.

4. Methaphora petrae, fundamenti — observat Cullmann — applicatur tantum Christo et apostolis, dum aliae metphorae biblicae applicantur passim aliis quoque ministris. Atqui hoc iterum signum est biblicam notionem fundamenti et apostolatus respuere omne successionis genus. Ergo manet difficultas. « Alors que d'autres métaphores du Nouveau Testament y sont reportées de Jésus sur les apôtres et de ceux-ci sur les ministère ultérieurs, la image du roc, du fondement, n'est utilisée que pour ler apôtres: ce fait montre bien le caractère unique et intransmissible de l'apostolat ».

Resp.: *a*) Auctor videtur supponere imaginem petrae (roc) praedicari de Christo et apostolis: at haec suppositio est falsa: metaphora petrae in N.T. nonnisi de Christo et Petro praedicatur. *b*) falsum itidem est metaphoricam imaginem fundamenti de solis apostolis praedicari; prophetae quoque a Paulo appellantur fundamenta. *c*) Data et non concessa hac exclusivitate applicationis, non demostratur hanc exclusivitatem fieri ideo praecise quia excluditur principium successionis. Nos positive ostendimus notionem fundamenti penes Mt. 16, 18 postulare principium successionis. Quam sit vacua et inanis responsio data a Cullmann ad nostrum argumentum ex modo dicendis manifeste apparebit.

5. Petrus — fundamentum est Petrus — pastor. Atqui Petrus — pastor non habet successores. Ergo nec Petrus — fundamentum. Iterum ergo constat fundamentum Petrinum excludere principium et factum successionis.

Resp.: Concessa maiori, negatur prorsus minor, cuius nulla probatio exhibetur ab auctore. Non parvam admirationem movet facilitas ac securitas qua Cullmann supponit et asserit Petrum pastorem nullos habere successores, id quod ei adeo obvium et evidens esse videtur, ut nulla probatione, nullo probationis tentamine indigere videatur. « La charge confiée à Pierre en Jn. 21, 16 ss., elle, *cesse certainement* à son martyre! » p. 188 o. c. Superius ostendimus ex verbis promissionis et collationis sive seorsim sumptis, sive collective et mutuo comparatis primatum petrinum ipsa Christi institutione postulare perennes successores. Quo posito et retento, retorquetur argumentum sic: Petrus — fundamentum est Petrus — Pastor. Atqui Petrus — fundamentum habet successores. Ergo...

6. Petrus — fundamentum est Petrus confirmator fraternitatis christianae (Lc. 22, 32). Atqui Petrus confirmator fraternitatis christianae non habet successores. Profecto Petrus confirmator fraternitatis christianae est Petrus subiectum conversionis a peccato trinae negationis: « et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos ». Atqui Petrus subiectum huius talis conversionis certe non habebit successores. Ergo...

Resp.: Concesa maiori, negatur rursus minor; ad probationem vero minoris respondetur sic: Petrus confirmator fraternitatis christianae est Petrus *qui* est subiectum conversionis a peccato trinae negationis (?), non vero *quatenus* est peccator convertendus. Ceterum disputatur quid veniat nomine *conversionis* in praefato textu. Cullmann videtur ignorare hanc controversiam. Recurret sermo de hac quaestione in tractatu de magisterio ecclesiastico. Et haec sint dicta de Petro — fundamento.

Petrus-director Ecclesiae. Cullmann concedit metaphoram *clavium* — coniunctam cum metaphora ligandi — solvendi penes

Mt. 16, 19 implicare potestatem dirigendi seu regendi Ecclesiam, quae debet perseverare in Ecclesia post mortem Petri. Petrus ergo et ceteri apostoli habebunt continuatores in directione Ecclesiae, non tamen veros ac formales successores. « Les apôtres transmittent à leur successeurs la direction de l'Eglise, *mais non leur charge apostolique* » p. 197, o.c. At hic surgit quaestio summi momenti summaeque gravitatis circa *modum constituendi* hos continuatores seu materiales successores apostolorum. Ad quem spectat in Ecclesia munus et potestas eligendi et constituendi hos ministros? *En responsum Cullmann*: Haec quaestio non potest *directe* solvi per Scripturam, quippe quae nullam determinatam normam seu regulam tradit in hac materia. Habita tamen prae oculis tum praxi biblica, qua constat apostolos solitos esse constituere episcopos et presbyteros per civitates, tum monito Paulino de episcopis positis ab Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei (Act. 20, 28), habita quoque prae oculis doctrina Christi in sua oratione sacerdotali penes Ioannem c. 17, potest tota haec quaestio sufficienter solvi. Profecto *unicus textus biblicus* qui agit de successoribus apostolorum reperitur in evangelio Ioannis 17,20: « Non pro eis autem rogo tantum, sed et pro eis qui credituri sunt per *verbum eorum* in me ». Cullmann interpretatur particulam *verbum eorum* verbum apostolorum *scriptum*, seu consignatum in Scripturis. Duo inde consequuntur: primo successores apostolorum esse totam Ecclesiam; secundo potestatem constituendi in Ecclesia episcopos, presbyteros ceterosque ministros ac verbi Dei praecones spectare ad ipsam Ecclesiam. « Après avoir prié pour les apôtres, il passe à ceux qui croient par la parole des apôtres (In. 17, 20). C'est donc toute l'Eglise des croyants qui succède aux apôtres. Puis l'Eglise dispose de la charge épiscopale et doit le faire conformément aux inspirations du Sant-Esprit (Act. 20, 28) » p. 298, o. c.

Resp.: Tota haec auctoris doctrina de Petro — directore Ecclesiae est difficilis intellectu et acceptatione, quippe que sit innixa multiplici gratuito et falso supposito:

a) Auctor primo supponit potestatem *clavigeram* Petri realiter distingui a potestate significata per metaphoram *fundamenti*, ita ut prior tantum sit continuanda per successores. At haec sup-

positio est gratuita et falsa. Una et eadem est potestas Petro promissa, quae triplici metaphora gradatim progredienti exhibetur a Christo, ut in thesi praecedenti explicavimus, potestas videlicet primatialis; sicut potestas clavigera, sic etiam potestas fundamentalis debet in Ecclesia continuari per legitimos successores.

b) Auctor secundo supponit textum Ioanneum (17, 20) esse unicum textum biblicum in quo agitur de successoribus apostolorum. Atqui haec quoque suppositio gratuita et falsa est. Christus haud obscure loquitur de successoribus apostolorum in epilogo evangelii Matthaei. Ubi post solemne mandatum missionarium apostolis datum ait: « Et ecce ego *vobiscum* sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ». Christus certe non erit usque ad consummationem saeculi *cum apostolis* personaliter consideratis; erit ergo cum eorum successoribus. Non minus clare loquitur Christus de successoribus apostolorum apud Paulum I Cor. c. 11. Ubi datur apostolis mandatum celebrandi ritum eucharisticum usque ad parusiam: « hoc facite in meam commemorationem... quotiescumque manducabitis panem hunc, et calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis *donec veniat* ».

c) Auctor tertio supponit Christum loqui apud Ioannem (17, 20) de verbo *scripto apostolorum* (per verbum eorum). Atqui haec suppositio gratuita est, falsa est. Etenim Christus ibi loquitur de *omnibus* apostolis, pro quibus Patrem rogaverat in secunda parte suae orationis sacerdotalis. Atqui multi ex apostolis nullum relinquent verbum *scriptum* pro his qui credituri sunt. Christus ergo evidenter loquitur de verbo praedicationis oralis, quod reapse spectabit ad omnes apostolos eorumque successores.

d) Doctrina auctoris statuens nullam dari in Scripturis normam circa modum constituendi episcopos, presbyteros ceterosque Ecclesiae ministro indiget explicatione. Notentur ergo sequentia: Scriptura imprimis tradit doctrinam de iuridico Petri primatu perennando in legitimis suis successoribus. Potestas porro constituendi ministros ecclesiasticos spectat ad eum qui detinet supremum Ecclesiae regimen. — Scriptura dein docet Paulum fuisse divinitus constitutum apostolum. Paulus porro sibi tribuit

potestatem fundandi communitates christianas et constituendi ministros ecclesiasticos; quin imo Paulus tribuit ministris a se constitutis potestatem constituendi alios ministros secundum regulas a seipso statutas. Paulus ergo sua praxi et doctrina docet potestatem constituendi ministros in Ecclesia non spectare ad ipsam communitatem christianam. — Demum doctrina auctoris secundum quam successores apostolorum sunt omnes fideles, et potestas constituendi ministros ecclesiasticos spectat ad totam Ecclesiam est conclusio illegitima deducta ex verbis Christi apud Ioannem (17, 20) perperam interpretatis, ut superius ostendimus.

8. Remanet considerandum punctum maxime neuralgicum in tota hac controversa quaestione. Cullmann ex una parte perfracte negat principium successionis pro primatu petrino, et iterato repetit Petrum nullum habuisse, nullum potuisse habere veri nominis successorem in primatu, quippe qui ei *ut apostolo* fuerit a Christo promissus et collatus. Ex alia vero parte admittit et docet Petrum historicum manere tamquam actuale et perenne Ecclesiae fundamentum super quod continuo aedificatur et aedificabitur Ecclesia iuxta promissa Christi: super *hanc petram* aedificabo Ecclesiam meam. Exinde oritur grave et arduum problbema: quomodo Petrus olim mortuus possit *citra viam successionis* permanere tamquam actuale et perenne Ecclesiae fundamentum. Persentit auctor difficultatem, eamque candide fatetur scribens: « Mais alors la question se pose: si l'on enentend le fondement au sense chronologique, comment peut-il conserver le même rôle pour l'Eglise de tous les temps? Comment Pierre peut, il à chaque génération devenir « actuel » pour l'Eglise au sens étymologique, lorsque par Pierre, nous entendons bien Pierre et non de soi-disant successeurs? Comment l'Eglise peut-elle, aujord'hui encore, être fondée sur la personne historique de l'apôtre Pierre?

En responsum auctoris: Ce n'est possible que si l'on respecte le caractère temporellement unique du fondement constitué par les apôtres, c'est-à-dire si leur personne et leur oeuvre unique dans l'histoire ont laissé un temoignage qui subsiste aujord'hui sous

la forme d'une donnée concréte remontant aux temps de la révélation apostolique. Cette donnée unique qui signific la survie des apôtres dans le temps de l'Eglise, ce sont les *ecrits apostoliques* » p. 199, o. c. En ergo solutionem genuine protestanticam difficultatis propositae: Petrus et ceteri apostoli manent ut actuale et perenne fundamentum, super quod aedificatur Ecclesia, non per viam successionis, sed per sua scripta apostolica.

Crisis. Perpendamus paulisper quid valeat praefata solutio.

a) Notetur imprimis levis quaedam fuga et deviatio in mutato statu quaestionis. Quaestio solvenda erat quomodo *Petrus* maneat citra viam successionis tamquam actuale et perenne fundamentum super quod continuo aedificatur Ecclesia: et respondetur: *apostoli* manent ut fundamentum actuale per sua scripta; at Christus loquebatur de Ecclesia aedificanda non super apostolos-fundamenta, sed super Petrum-Kefa: Tu es Kepha et super *hoc* Kepha aedificabo Ecclesiam meam.

b) Si Petrus dicitur manere ut actuale Ecclesiae fundamentum per sua scripta, omnes apostoli, qui scripserunt libros inspiratos, possent dici Ecclesiae fundamentum *non minori iure* quam Petrus. Cullmann respondet notando testimonium Petri habuisse singularem quandam praestantiam et maiorem quandam auctoritatem prae testimonio reliquorum apostolorum; quia Petrus fuit *primus* qui vidit Christum resuscitatum. At haec ratio ut summum posset valere pro testimonio *orali* Petri in primitiva Ecclesia; sed hic agitur de testimonio *scripto*: testimonium porro scriptum *Pauli* cum circa resurrectionem, tum circa reliqua Christianismi mysteria non fuit minoris, sed maioris momenti quam testimonium Petri.

c) Insuficientia solutionis Cullmann manifesta redditur ex hac potissimum ratione: Petrus fuit a Christo constitutus fundamentum Ecclesiae ut foret principium visible *unitatis et firmitatis* obtinendae in ea. Atqui Petrus nequit esse principium unitatis et firmitatis ecclesiasticae per sua scripta. Enimvero duplex unitas efficienda et conservanda est in Ecclesia: una *disciplinaris*, altera *doctrinalis*. Unitas porro disciplinaris nequit

evidenter effici et conservari per scripta Petri; sed nec ipsa unitas doctrinalis potest sive induci sive conservari in Ecclesia per sola scripta petrina. Auctoritas quippe horum scriptorum sive humana sive divina potest in dubium et controversiam vocari. Haec dubia et controversiae non possunt convenienter solvi et dissipari scriptis petrinis. Sed nequaquam in isto sunt omnia. Dubia, iurgia et dissidia possunt oriri circa scripta inspirata non tantum Petri, sed etiam Pauli aliorumque scriptorum sacrorum: cogita imprimis epistulas Paulinas, de quibus ipse Petrus in suis scriptis notabat multa ibi recurrere difficilia intellectu quae indocti homines depravant. Hae porro depravationes vehementer auctae sunt, complicatae sunt opere potissimum lutherano et protestantico. Sufficiat in mentem revocare quaestiones de iustificatione, de peccato originali, de sacrificio et sacramento eucharistico, de Christi praecellentia et dignitate, de opere Christi soteriologico, de mystico Christi corpore, de parusia... Nonne in his omnibus multa sunt reapse intellectu difficilia atque in varias ac contrarias partes controversa? Quis non videat has omnes contentiones non posse per sola scripta petrina convenienter superari?

Novum et ultimum solutionis tentamen reperio in his quae noster auctor scribit p. 200 o. c.: « Les catholiques posent ici une question: qui garantit aujord'hui que l'Eglise revient bien aux apôtres à traves l'Ecriture? C'est une question legitime, mais on ne peut pas y repondre en partant de Mt. 16, 17 ss., de *le parole sur le roc,* qui est une « parole d'institution ». Le roc, en effet, est et reste posé une fois pour toutes. Certes, il faut à l'Eglise des ministres vigilants, des garants, des évêques, des interprètes... Eléments indispensables, ils sont utilisés par le Christ au cours de l'édification de son Eglise... Les ministres ultérieurs sont donc des instruments dont Jésus se sert pour bâtir son Eglise sur Pierre, comme il l'avait promis. »

Habemus ergo confitentem adversarium: Scripta Petri non sufficiunt ad fundandam et firmandam Ecclesiam; opus est ministris, episcopis, presbyteris, interpretibus. Quod si hoc admittitur, non potest dici Ecclesiam continuo aedificari super Petrum histo-

ricum, vel super scripta Petri; proxima quippe regula fidei pro fidelibus non sunt scripta Petri vel Pauli, sed sunt interpretationes horum ministrorum. At hic surgit nova quaestio quam Cullmann effugit et praetervolat (escamotea): Quid porro fiet, ubi hos ministros, episcopos, interpretes dissentiri inter se et discrepare contingat in interpretandis scriptis petrinis et paulinis? Hae porro dissensiones non tantum sunt possibiles, sed sunt reales et effectivae. Evidens est ministros et interpretes catholicos non consentire cum interpretibus et ministris protestantibus. Non minus evidens est interpretes et praedicatores protestantes dissidere et digladiari inter se. Velint nolint nostri cari fratres dissidentes et separati; quandiu non admittetur organon aliquod magisteriale vivum, authenticum, charismate veritatis ornatum ac ditatum, erumpet divisio, et manebit divisio. Sed longa demonstratione opus iam non est; probatio est facilis compendio veritatis. Solemnem et palmariam demonstrationem exortae et manentis divisionis habemus nostris diebus in tot congressibus panchristianis. Ubi quaeritur, et non invenitur; pulsatur, et non aperitur. Ubi omnes canunt quidem et celebrant orationem Christi petentis ut omnes unum sint, nemo vero attendit sermoni Christi vaticinantis: tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam; et portae inferi non praevalebunt adversus eam.

Cullmann vult atque contendit episcopos, presbyteros, ministros atque interpretes diversarum Ecclesiarum esse instrumentum a Christo electum ad aedificandam Ecclesiam super Petrum secundum promissa ipsius Christi. Sed Christus voluit Ecclesiam *unam*: Christus petivit, promisit, praedixit Ecclesiam unam. Atqui Ecclesia aedificata ab his ministris atque interpretibus non est una, sed multifariam divisa. Evidens ergo est hos tales ministros non esse instrumentum selectum a Christo ad aedificandam Ecclesiam super Petrum.

Nota bene: Cullmann satagit confirmare suas conclusiones biblicas traditione historica primatus romani in ecclesia primaeva. At de hoc argumento historico agemus in thesi sequenti. — Alia puncta theoriae Cullmann, etsi fundamentalia, praetermisimus,

quia nostram quaestionem directe non tangunt. Illud prae ceteris novum, insolitum, audax nimis; quod Petrus primatui renuntiaverit, illumque in manus Iacobi tradiderit (!).

Ipso rerum motu et cursu naturali deferimur in novum territorium ecclesiologicum, de Traditione et Magisterio ecclesiastico nuncupari solitum; ubi sermo de his omnibus recurret uberior, accuratior.

Obiectiones solvuntur

1. Tempore sedis vacantis Ecclesia manet firma. Sed non firmitate mutuata a primatu quippe qui nullus actu adsit. Ergo falsum est firmitatem ecclesiasticam pendere causaliter a firmitate primatiali, ruit ergo fundamentum primi et principalis pro thesi argumenti.

Resp. Dist. maior. Tempore sedis vacantis Ecclesia manet firma firmitate, quae sit fructus exercitii primatus, C.; firmitate quae sit efformata indipendenter a primatu, N. Simili argumento posses probare nullam esse connexionem causalem inter animam humanam et unitatem organicam compaginis corporeae, quippe quae manet aliquo tempore in corpore etiam post animae recessum (!) Tempore sedis vacantis ecclesia eiusque unitas manet firmitate supponente cum antecedens primatus exercitium, tum actualem Christi legem ac providentiam, quae vetat sive transformationem regiminis monarchici in collegiale, sive dissolutionem unius Ecclesiae in plures autocephalias. Sicut unitas organica perenni animae influxui subducta illico tendit in dissolutionuem, sic unitas corporis ecclesiastici subducta dynamico influxui papatus serius ocius fataliter vergit in dissolutionem ac divisionem, cuius rei habes luculentum argumentum sive in confracto usque ad pulverem Protestantismo, sive in dissoluto ad autocephalias nationales Orientalismo.

2. At verba promissionis hoc unum probare possunt: fundamentum seu iurisdictionem supremam debere in Ecclesia manere perpetuum; porro iurisdictio suprema potest perdurare *vel* in una persona physica seu monarchice, *vel* in pluribus seu collegialiter. Ergo perpetuitas primatus in forma monarchica demum non probatur.

Resp. Negatur prorsus antec.: Verba Christi ostendunt fundamentum petrinum debere perseverare *integrum*. Porro primatus a Christo in Petro institùtus implicat iurisdictionem supremam *unius* in omnes (Apostolos, episcopos, fideles) *etiam collective* spectatos. Quod si hanc potestatem supremam subiectari fingas in pluribus episcopis *aequalibus* et mutuo indipendentibus, iam nulla est in Ecclesia potestas suprema qua possit *unus* omnibus *collective* sumptis imperare. Vides iam petram Ecclesiae confringi in plures particulas, eoque ipso dissolvi principium *unificans ipsum corpus episcopale.*

3 Privilegia personalia non transeunt ad successores. Atqui primatus fuit privilegium mere personale Petri. Ergo ...

Resp. Dist. maior. Privilegia mere personalia i. e. uni, ut personae *privatae*, concessa non trasmittuntur, C.; si haec privilegia uni et personae *publicae* conceduntur,N. Ceterum potest negari suppositum; etenim primatus non est privilegium stricte dictum, nec enim continent ullum ius speciale a superiore concessum contra vel praeter ius commune.

4. Sed primatus videtur fuisse privilegium mere personale: siquidem fuit datus Petro tamquam remuneratio pro confessione fidei, quam ille ut singularis persona edidit. Atqui haec singularis confessio non transmittitur ad posteros. Ergo nec remuneratio quae eidem respondet.

Resp. Dist. maior. *Ipsa institutio primatus* fuit remuneratio pro fidei confessione a Petro edita, N.; *selectio Petri* prae aliis ad hoc tale munus fuit remuneratio pro singulari ipsius confessione, Trans.

5. Verba subsequentia: *vade post me Satana* spectant ad Petrum ut singularem et privatam personam. Ergo a pari illa alia: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* dicenda sunt et ipsa respicere Petrum ut privatam personam.

Resp. Negatur paritas, quae nulla est in argumento facto. Ostendimus haec posteriora verba nexu causali cohaerere cum aliis subsequentibus, in quibus Ecclesia exhibetur perpetuo duratura usque ad finem mundi. Porro nihil tale dici potest de aliis verbis, quibus Christus Petrum increpat.

6. At videtur divinam sapientiam dedecere, ut res tanti momenti, qualis est supremum regimen totius ecclesiae in manu *unius hominis* relinquatur. Ergo potius credideris supremam hanc potestatem transivisse in universum episcoporum collegium.

Resp. Dist. antec. Divinam sapientiam hoc dedeceret, si ille unus homo suae propriae debilitati subiectus relinqueretur, C.; si ille unus homo infallibilitate personali ceterisque aptis donis communiatur, N. Ceterum periculum divisionis et schismatis facilius erumpit, si potestas suprema inter multos condividitur.

7. Deus liber est in operationibus ad extra. Ergo, sicut libere fundavit Ecclesiam super unum Petrum, ita potest deinde hanc potestatem primatialem multis, puta collegio episcoporum communicare.

Resp. Dist. conseq. Potest Deus primaevum Ecclesiae regimen mutare potentia antecedenti divinum decretum de regimine ecclesiastico semper futuro monarchico, C.; potentia consequente hoc tale decretum, N. Argumenta nostra ostendunt Deum decrevisse dare Ecclesiae regimen monarchicum perpetuo duraturum.

8. Sed permanentia huius regiminis tandem pendet a libertate hominum, qui, mortuo papa, personam successoris eligunt. Atqui homines *possunt* non

eligere unum prae aliis. Ergo regimen Ecclesiae monarchicum potest mutari.

Resp. Dist. maior Permanentia illa pendet a libertate humana divinae providentiae subiecta, C.; huic providentiae subducta, N. Deus ab aeterno praevidit quid homines libere facerent, si in certis ac determinatis adiunctis ponerentur. Et nonnisi sub hac divina praescientia decrevit determinatam quandam regiminis formam perpetuo in Ecclesia mansuram. Consequenter ad hoc divinum decretum non datur iam potentia futuritionis pro mutando Ecclesiae regimine.

9. At nequit sufficienter assignari *causa efficiens* seu communicans primatum successoribus Petri. Etenim Cardinales seu electores non possunt alii dare potestatem, qua ipsi carent; Christum vero *novo aliquo actu* communicare potestatem primatialem toties quoties persona successoris eligitur, ostendi non potest. Ergo...

Resp. Negatur antecedens eiusque suppositum. Christus illo uno eodemque actu quo Petro contulit supremum pastoratum super universam suam Ecclesiam, eundem contulit etiam omnibus Petri successoribus. Posito quippe illo priori actu (primatus promissi et collati), instituta est lex divina de primatu semper continuando in legitimis Petri successoribus. Hi ergo accipiunt primatum iurisdictionis non ab electoribus humanis, sed ab ipso Christo *in persona Petri,* quippe cui concessa est illa talis potestas ut personae publicae continuandae in suis successoribus.

10. Sed munera quoque apostolatus sunt instituta in publicam Ecclesiae utilitatem. Atqui tamen non transeunt ad successores. Ergo idem dicendum est de munere primatiali.

Resp. Dist. maior. Munera apostolatus, ex qua parte implicant pastoratum episcopalem, non transmittuntur posteris, N.; ex qua parte implicant praerogativas extraordinarias Apostolis in bonum Ecclesiae *nascentis* concessas, C. Potestas iurisdictionis universalis et magisterii infallibilis concessa *collegio* Apostolico transmittitur *collegio* episcoporum, ut suo loco videbimus. Certae quaedam praerogative *singulis* Apostolis concessae respiciebant bonum Ecclesiae *fundandae,* hinc non est quare transmittantur ad futuros Ecclesiae fundatae et conservandae praepositos. Simile responsum apponas difficultati, quae ex Ephes. 4, 11 sq. peti potest.

Corollarium. Demonstrata thesi de perpetuitate primatus, sequitur magni momenti corollarium: *Veram Christi Ecclesiam non esse aliam, quam Romano-catholicam.* Siquidem vera Christi Ecclesia debet habere formam regiminis constanter monarchicam. Atqui inter omnes aemulantes coetus christianos unus Romano-catholicus retinet primatum monarchicum. Ergo vera Christi Ecclesia vel nullibi est, id quod promissis Christi repugnat, vel nonnisi apud Romanos reperitur.

Scholion dogmaticum. Doctrina de perpetuitate primatus expressis verbis traditur et solemniter definitur a *Concilio Vaticano*: « Quod autem in beato Petro Apostolo princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus in perpetuam salutem ac perenne Ecclesiae bonum instituit, id, eodem Auctore, in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, iugiter durare necesse est ... Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi institutione seu iure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam Ecclesiam habet perpetuos successores: anathema sit ». DB. 1824 sq.

THESIS X

Romanus Pontifex est iure divino successor Petri in primatu iurisdictionis super universam Ecclesiam.

Cohaeret haec thesis cum immediate praecedenti. Vidimus enim Petrum e divina Christi institutione habiturum esse perpetuos successores in primatu. Quaeritur iam quisnam ille sit. Habet haec quaestio, ut superius notavimus, momentum apologeticum vere insigne; ex ea enim sola facile et secure determinatur quaenam inter aemulantes sit vera ac legitima Christi sponsa: ubi Petrus, ibi Ecclesia. Hinc iure mireris quod auctores nonnulli totam hanc de primatu quaestionem ad partem dogmaticam Tractatus amandandam esse censeant, imo et contendant.

Praenotanda

1. *Romanus Pontifex* in thesi consideratur ille, qui legitime creatur in episcopum seu praepositum dioecesis romanae. Duo ad hoc requiruntur et sufficiunt: legitima *electio,* et electi *acceptatio* apte manifesta. *Consecratio* episcopalis, etsi maxime consentanea et practice semper coniuncta, iure divino per se non requiritur. Ipsa vero *investitura* papalis seu potestatis primatialis collatio non fit ab Ecclesia vel a Cardinalibus electoribus, sed immediate ab ipso Christo, idque vi ipsius legis stabilientis perennem

primatus institutionem. — Idem Pontifex romanus vocari consuevit *metropolita* regionis ecclesiasticae suburbicariae, *patriarcha* Occidentis, *caput* supremum universae Ecclesiae. Una, non quadruplex, est potestas Romani Pontificis. Qui iura episcopalia *exercet* in dioecesi romana, metropolitana in suburbicaria vel in Italia, patriarchalia in Occidente, papalia vero in universo orbe ecclesiastico. Vides romani episcopi potestatem in solam Romam, vel eiusdem dignitatem patriarchalem in solum Occidentem nullatenus opponi potestati papali et supremae in universam Ecclesiam, sicut Antiocheni episcopi potestas in gregem suum particularem minime opponitur patriarchali eiusdem potestati in universum territorium ecclesiasticum sic dictum Orientem.

2. *Successio* intelligitur non mere materialis, sed vere formalis, i. e. suffectio unius in locum et munus alterius. Qui alteri in munere succedit, eo ipso acquirit omnia iura (et officia) non quidem personalia ipsius antecessoris, sed utique realia seu muneri ipsi annexa. Porro vidimus iura primatialia non essere personalia ipsius Petri sed cum munere transmittenda.

3. *Iure divino* facta successio asseritur in thesi; id quod duplici sensu intelligi potest: *a*) iure divino statuente tum *legem successionis* = aliquem debere esse successorem Petri, tum *modum seu conditionem successionis* = hunc successorem debere esse *episcopum romanum*. In hoc casu legitimus Petri in primatu successor est ille qui est et *quatenus* est episcopus romanus: *b*) iure divino statuente *saltem legem successionis*, quidquid sit de necessaria connexione inter sedem episcopalem romanam et iura primatialia. In hoc casu legitimus Petri successor in primatu est *qui* est de facto episcopus romanus, sed non *qua* episcopus romanus. — Ius divinum intleligimus hoc altero sensu. Asserimus ergo Romanum Pontificem *fuisse* hucusque et *etiamnum esse* legitimum Petri in primatu successorem, quidquid sit de reliquo futuro tempore. In thesi non attingitur quaestio num connexio primatus cum sede romana sit iuris divini perpetuo incommutabilis, an iuris tantum humani, ideoque mutabilis. Sic explicat rem episcopus Pie relator deputationis fidei in Concilio Vaticano: « Et hoc quidem

intelligitur de Romano Pontifice ut historice et de facto habetur in Ecclesia absque interruptione ab initio temporis, relictis quaestionibus et hypothesibus in schola plus minus libere agitatis quoad perpetuitatem urbis Romae et coniunctionem primatus cum sede romana ». Cf. Coll. Lac. VII, p. 293, 364 sq.

Thesi adversantur quicumque negant divinam primatus institutionem eiusve perpetuitatem. Sic Tertullianus, Marsilius Patavinus, Richer eiusque sequaces, Protestantes universi, Orientales separati, Rationalistae demum et Modernistae (cf. DB. n. 2056). Hi omnes factum historicum primatus romani iam inde ab antiquissimis temporibus erumpentis explicare satagunt prolatis in medium causis pure naturalibus. Huc spectant splendor Urbis eiusque dignitas imperialis, ambitio cleri romani, ecclesiae romanae caritas et sollicitudo erga alias communitates christianas, necessitas demum alicuius centri communis, quod partes omnes diffusae per orbem familiae christianae connexas et compactas teneret. Ceterum adest inter criticos acatholicos ingens quaedam confusio ac dissensio, ut ostendunt tentamina recentius instituta.

E. Caspar in opere Primatus Petri (1927) diligenter inquirebat in originem primatus Romani; quaerit nempe quandonam inceptum sit applicare textum Mt. 16, 18-19 episcopo vel cathedrae romanae. En conclusionem: Primus auctor applicationis est Tertullianus montanista, qui in sua disputatione cum Callixto episcopo romano tribuit ei fictam argumentationem innixam laudatis Domini verbis: « Sed habet, inquis, potestatem ecclesia delicta donandi ... De tua nunc sententia quaero, unde hoc ius ecclesiae usurpes. Si quia dixerit Petro Dominus: Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam ... idcirco praesumis et ad te derivasse solvendi et alligandi potestatem...? ». De Pudicitia, c. 21 (cf. R. I. n. 387). Item Cyprianus scribens alteram editionem cap. 4 De Unitate ecclesiae accommodatam conditionibus schismatis Novatiani: « Primatus Petro datur Qui cathedram Petri, super quam Christus aedificavit ecclesiam, relinquit, in ecclesia se esse confidit? » Has concessiones imprudenter factas libenter arripiebant Callixtus et Stephanus. Vides originem primam romani primatus quaerendam esse non Romae, sed in Africa (!).

Ch. Papadopulos, archiepiscopus atheniensis a. 1930 edebat dissertationem *historicam et criticam* « Τὸ πρωτεῖον τοῦ ἐπισκόπου Ῥώμης » Conclusio operis est: Primatus Petri nequit probari nec ex S. Scriptura nec ex Traditione. Primatus episcopi romani non fuit cognitus nec exercitus usque ad saeculum IX; quo tempore fuit falso inductus propter decreta pseudoisidoriana: haec fuit vera causa schismatis Orientalis, et manet verum obstaculum unionis inter Orientem et Occidentem.

I. Haller in opere « Das Papsttum. Idee und Wirklichkeit » vol. I (1934) docet hodiernam Papatus ideam esse alienam a mentalitate christianitatis primaevae. Primatus hodiernus significat potestatem iuridicam et *religiosam;* at prima papatus significatio era *mere iuridica.* Facta est ergo evolutio quaedam transformativa. Ubinam? a quibus? En conclusionem longae inquisitionis: Haec transformatio peracta est saeculo VII — habuit auctores Germanos et anglo-saxones — nacta est formulam suam definitivam in celebri controversia Wihtby habita a. 664 coram rege Oswino (cfr. PL. 95, 160-163).

B. I. Kidd eminet fere inter theologos historicos anglicanos. In opere « The Roman Primacy to A. D. 461 » (1936) admittit a Leone M. doceri iam primatum rimanum sensu pleno ad mentem fere c. Vaticani. Pro saeculis prioribus admittitur primatus quidam realis at non iurisdictionis, sed directionis = leadership. Porro subiectum primigenium huius potestatis non erat episcopus romanus, sed ecclesia romana et quidem propter suam originem a Petro et Paulo.

Turmel in Gallia (Histoire des dogmes, t. III La Papauté, 1933) assignat originem Papatus romanam eamque imperialem saeculo IV erumpentem. Praecedebat evolutio multiplex: potestas presbyterialis et collegialis primaeva fit gradatim primo quidem episcopalis (monarchica), dein partiarchalis, demum papalis. Auctor potestatis papalis exhibetur imperator Gratianus edens a. 378 decretum, in quo confertur episcopo romano potestas iudicandi omnes alios episcopos, et auctoritati civili praecipitur ratihabere ac confirmare decreta disciplinaria papalia. Novae potestati apponebatur basis iuridica per canones Sardicenses. Demum sae-

culo V Pontifices romani incipiunt fundare ius divinum papatus in verbis Christi ad Petrum (Mt. 16, 18-19).

H. A. Moreton (Rome et l'Église primitive, 1938) opinatur primatum romanum carere omni fundamento biblico et historico. Verba Christi evangelica apud Mt. Lc. et Io. non continent verum quendam primatum iuridicum uni B. Petro prae caeteris collatum. — Actus Apostolorum exhibent quidem in sua parte priori aliquem Petri primatum; at hic subito evanescit, et transit in Paulum. — Historia ecclesiae primaevae ignorat primatum episcopi romani. — Scripta demum pseudo-clementina et Acta Petri apochrypha ansam praebent doctrinae primatiali saeculo II collabente.

Fr. Heiler in suo grandi opere Ecclesia catholica « Orientis et Occidentis » negat originem divinam primatus romani, quem vult esse fructum lentae cuiusdam et complexae evolutionis naturalis saeculo demum nono penitus consummatae. Heiler distinguit duplex stadium ecclesiasticum: unum primaevum, in quo adsunt plures ecclesiae particulares et autocephalae: ecclesia italica, africana, gallica, hispanica, celtica... Hae omnes ecclesiae habent quidem similem constitutionem hierarchicam et liturgicam, sed sunt penitus autonomae.

Succedit alterum stadium in quo omnes ecclesiae autonomae centralizantur, absorbentur, subiiciuntur ab ecclesia romana sub papatu. Triplex elementum concurrebat ad istam centralizationem et dominationem: a) *Petri adventus* in Romam, cuius tamen episcopatus romanus prorsus reiicitur. Idea quoque *cathedrae Petri* romanae ignorabatur toto saeculo primo et secundo. b) *Idea Cyprianica* de cathedra Petri romana fonte episcopatus universi et symbolo unitatis ecclesiasticae. c) Quaedam realis ac multiformis eminentia romana, quae iam saeculo secundo clare manifestatur. Roma eminet charismate gubernationis et pastoratus — sensu magis acuto definitionum dogmaticarum et disciplinarium — sensu et praxi caritatis et beneficentiae universalis. d) Accedit quaedam tendentia aggressiva simul et progressiva satagens captare primatum et dominationem universalem; quidam ergo iam primatus realis plus quam honorificus, mondum tamen vere iuridicus.

Fructus huius aggresionis apparet iam saeculo quarto post Concilium Nicaenum, ubi erumpit primatus iuridicus et dominativus. Saeculo quinto apparet idea *plenitudinis potestatis papalis* apud Leonem Magnum. Tandem saeculo nono penitus consummatur factum *imperialismi papalis* sub Nicolao I, id quod ansam praebet rebellioni et schismati Photiano.

Probatur thesis

Triplicem viam ingrediuntur quamplurimi apologetae ad demonstrandum iuridicum Romani Pontificis primatum successioni Petrinae innixum: viam geneticam, viam exclusionis, viam historicam. Via sic dicta *genetica* nobis non apparet sufficienter clara et secura. Nolumus tamen lectorem privare hoc subsidio seu argumento, quod pluribus et gravibus auctoribus videtur apodicticum. Seligimus duos praeclaros ecclesiologos, qui suasivam argumenti vim speciali claritate et vigore proponunt: *Lercher,* Institutiones Theologiae Dogmaticae, vol. primum, 1927, Liber secundus, Thesis 32, n. 371. *Wilmers,* De Ecclesia Christi, 1897, Propositio 39, pag. 205 sq. Utramque argumenti formam proponimus et crisi subiicimus. Velit lector ipse iudicare de valore nostre argumentationis.

Forma Lercheriana progreditur quadruplici gressu:

1° Aliquis debet esse successor Petri in primatu. 2° Hic successor debet constitui secundum modum successionis stabilem. 3° Hic modus stabilis non potuit constabiliri ab Ecclesia sine Petro. 4° Petrus potuit determinare hunc modum stabilem bifariam: vel aliquo decreto explicito; vel aliquo facto seu decreto pragmatico. De priori silet prorsus historia ecclesiastica. Remanet ergo secundum = susceptio sedis episcopalis romanae, eiusque usque ad mortem retentio. Quicumque ergo succedit Petro in episcopatu particulari romano, succedit eidem in episcopatu universali et supremo.

Crisis: Singula quatuor puncta breviter examinemus:

Primum punctum est verum et evidens ex thesi nona.

Secundum punctum est obscurum. Non apparet ratio illius stabilitatis immutabilis iam ab initio instituendae. Modus electio-

nis papalis non semper fuit idem. Primum testimonium historicum hac de re est Irenaei, secundum quem ipse Petrus et Paulus tradiderunt Lino administrationem episcopatus romani; hic certe modus electionis et successionis non conservatur in Ecclesia.

Tertium punctum quod attinet, conceditur Ecclesiam non potuisse sine Petro stabilire illum modum stabilem successionis; at inde non sequitur quod iste modus fuit stabilitus (vel stabiliendus) ab ipso Petro; potuit enim id fieri vel ab ipso Petro, vel ab aliquo eius successore.

Quartum punctum est omnium obscurissimum et difficillimum. Duo notentur: a) Solum factum sedis romanae susceptae et ad mortem usque retentae non videtur sufficienter manifestare voluntatem *praeceptivam* Petri, qua ipse voluerit iura primatialia parenniter ligare cum sede romana, et omnes suos successores obligare ad occupandam hanc sedem. b) Quin imo, Petrus videtur *non potuisse* hanc talem connexionem instituere, et omnes suos successores obligare. Tota quippe potestas iuridica Petri transit ad suos legitimos successores, qui eodem iure ac Petrus potuissent iura primatialia cum alia sede ligare. Advertas diligenter suppositum totius argumentationis: non sufficienter constare de connexione primatus cum sede romana *iure divino* inducta.

Nota: Ad nostrum argumentum respondet *Salaverri* scribens o. c. 226: « Algunos ejemplos de polémica frustrada. Supone (Z) que Lercher funda la prueba del Primado Romano sobre el hecho del martirio del Episcopado de Pedro en Roma y *en tal supuesto* procede la crítica de Zapelena. Pero no advierte que Lercher no pretende probar el Primado Romano en la tesis 32, como *parece suponer* Zapelena ». — Respondetur: Tota haec *suppositio* Salaverri est gratuita, falsa, audax nimis. Nihil supposui ex his quae mihi tribuuntur. Ruit erga tota argumentatio S. En exemplum de *crítica frustrada.*

Forma Wilmersianae argumentationis sic procedit.

De iuribus sedi romanae annexis est iudicandum eodem criterio, ac de aliis sedibus episcopalibus. Atqui in omni alia sede episcopali hoc obtinet, ut si quae iura specialia, puta archiepisco-

palia, sint alicui sedi legitime inserta, quicumque occupat illam sedem, eo ipso occupat et obtinet haec iura specialia et archiepiscopalia. Ergo idem consendum est de sedi episcopali romana. Porro Petrus mero facto sedis romanae susceptae et ad mortem usque retentae elevavit hanc sedem ad dignitatem primatialem; etenim *una eademque potestate* Petrus gubernavit et ecclesiam romanam et ecclesiam universalem. Quicumque ergo succedit Petro in episcopatu particulari, romano, eidem succedit in episcopatu universali et supremo, i. e. in primatu iurisdictionis super universam Ecclesiam.

Crisis: 1° Primum antecedens argumenti non est clarum; datur quippe manifesta disparitas. Quum agitur de aliqua sede episcopali *subordinata,* potestas ecclesiastica suprema sive papalis sive conciliaris potest hanc sedem ad certam quandam dignitatem elevare, eamque imponere omnibus huius sedis episcopis. Cum vero agitur de sede episcopali *suprema,* nullus papa potest suos successores iuridice ligare. 2° Minor quoque subsumpta non est clara: Petrus elevavit sedem episcopalem romanam ad dignitatem primatialem pro tempore vitae suae, conc.; pro tempore subsequenti, peto probationem. 3° Demum recurrit duplex quaestio superius proposita: num Petrus *voluerit* inserere iura primatialia sedi romanae pro semper; num Petrus *potuerit* id valide ac legitime praestare. Sit ergo conclusio: *Via genetica* ad probandum primatum romanum saepe frequentari solita, licet gaudeat patrocinio et auctoritate multorum et optimorum doctorum, non tamen videtur sufficienter clara et secura.

Via exclusionis celerius ac securius ad optatum terminum devenitur in hunc fere modum: Ex superius demonstratis constat Christum instituisse primatum iurisdictionis tamquam perpetuum Ecclesiae fundamentum. Ergo alicubi nunc debet esse primatus. Atqui nullibi est, si non sit in ecclesia romana. Etenim nullus alius coetus christianus sibi attribuit primatum super universam ecclesiam, illumve exercet *iuri divino* innixum; ex alia vero parte ecclesia romana multo abhinc tempore nunc sibi tribuit primatum illumque exercet in orbe catholico. Ergo primatus non est alibi quam in ecclesia romano-catholica. *Dices*: Episcopus Constantino-

politanus sibi attribuit patriarchatum *oecumenicum*. Ergo falso asseritur primatum Romae solum vindicari ac exerceri. — *Resp.* E. Constantinopolitanus sibi attribuit patriarchatum oecumenicum *iuri divino* fundatum, N.; conditioni ac dignitati urbis imperialis innixum. C. Ceterum patriarchatus Constantinopolitanus ad limites angustiores restrictus est, nec eius potestas suprema ab aliis ecclesiis autocephalis practice agnoscitur.

Via historica longiorem habet processum. Quem ut melius intelligas et aequius interpreteris iuvabunt, opinor, equentia praenotamina.

a) Primatus implicat quidem protestatem iuridicam vere supremam, at non significat suppressionem aut absortionem episcopatus. Ipse Christus qui instituit primatum in Petro, condidit quoque episcopatum in Collegio apostolico. Vult ergo Christus suam Ecclesiam gubernatam tum potestate ordinaria episcoporum localium, tum potestate universali supremi Pastoris.

b) Primatus de se minime significat totius administrationis ecclesiasticae centralizationem curialem. Rei ecclesiasticae hodierna centralizatio, iustis ceteroquin de causis inducta, fructus est sequioris aetatis. Primis saeculis aetatis christianae magnae quaedam ecclesiae sive primatiales in Occidente, sive patriarchales in Oriente fruebantur quadam sat ampla autonomia maxime in re disciplinari.

c) Potestas primatialis est certe iuridica, at minime dictatorialis, sed spiritu humilitatis vere paternali ab eo exercenda, qui, quum sit maior omnium, debet fieri sicut minor. Ergo in rarioribus, quae ceteroquin prostant primaevae ecclesiae documentis immerito expectaveris a principio rei christianae exercitium primatus frequens, intensum, sollemne. Pondus argumenti historici in favorem primatus romani reponendum videtur non tam in singulis documentis aut factis etiam primaevis, sed in tota simul et immensa serie testimoniorum, quorum initia saeculum iam primum attingunt.

Clemens Romanus

Prima *indicia* primatus romani haud obscure manifestantur in epistula sic dicta Clementis Romani ad Corinthios. Cf. F. X. *Funk,* Patres Apostolici, 1901, p. XXXII sq. ubi de epistulae auctore, tempore, occasione etc. accurate disseritur. Clementem epistulae *auctorem* exhibent iam in antiquitate Dionysius Corinthius, Clemens Alexandrinus et Origenes. Eusebius et Hieronymus tradunt epistulam esse conscriptam a Clemente ex persona ecclesiae romanae. Irenaeus attestatur ecclesiam romanam *sub Clemente* constitutam scripsisse potentissimas litteras ad Corinthios. Clerum vel synodum romanam aliquas partes habuisse in praeparatione huius documenti admitti potest. Illud maxime premendum, cleri vel communitatis partes qualescumque spectare ad ecclesiam *sub Clemente constitutam,* id quod expresse docet vel ipse Irenaeus. — *Tempus* quod attinet, critici iam vix non unanimes illud reponunt in ultimo decennio saeculi I = a. c. 96. — Epistulae *ansam seu occasionem* dabat « seditio impia ac detestanda quam pauci homines temerarii et audaces accenderunt » contra presbyteros legitime constitutos, quos ab episcopatu eiecerunt; hinc ingens intus et foris scandalum, necnon grave periculum pro ipsa communitate corinthiaca.

Nullum primatus romani explicitum testimonium continetur in hac epistula; at *exercitium potestatis primatialis* sat clare manifestari videtur ex ipso interventus romani facto, motivo, forma, effectu, historica demum resonantia deinceps provocata.

a) *Factum* ergo *ipsum interventus* imprimis notandum: quod ecclesia romana et occidentalis sese immisceat in negotio sat delicato, difficili et periculoso spectante ad ecclesiam potius orientalem, dum aliae tot ecclesiae orientales et apostolicae, Corinthiis multo propinquiores, tacent et ab omni interventu abstinent, suspicionem iam movet singularis cuiusdam auctoritatis in ecclesia et episcopo romano vigentis.

b) *Motivum interventus* clare enuntiatur in ipso epistulae prooemio: « Propter subitas ac sibi invicem succedentes calamitates et casus adversos, qui nobis acciderunt, tardius, fratres, nosmetipsos convertisse existimamus ad res, quae desiderantur apud vos,

dilecti, et ad seditionem impiam... ». Auctor epistulae excusat se quod non citius intervenerit ad componendum hoc scandalosum dissidium. Putat ergo ad suam sollicitudinem pastoralem spectare curam de tollendo schismate in aliena communitate, de restaurando ordine hierarchico divinitus constituto audacius conturbato, de avertendo periculo corinthiis fratribus imminente. Apparet sensus responsabilitatis, quae officium et inde ius supponit.

c) *Forma interventus* dein consideranda venit. Clemens ut plurimum rogat, suadet, consiliat, hortatur, ad auctoritatem Dei et Sacrae Scripturae appellat, sicut moris est vel in ipsis epistulis apostolicis; sed tota epistulae tonalitas prodit superiorem suae responsabilitatis conscium, filios suaviter simul et fortiter paterna auctoritate monentem, increpantem, allicientem. Nec desunt loca in quibus limites consilii exorbitari videntur, et ad obedientiam praecepto debitam appellari. Potiora sunt sequentia: Primo in cap. 59: « Sin quidam non *obtemperaverint* iis quae ille (Deus) per nos dixit, cognoscant offensioni et periculo non parvo sese implicaturos esse, nos autem innocentes erimus ab hoc peccato ». Item in cap. 63: « Gaudium et laetitiam nobis praestabitis si *obedientes facti iis quae scripsimus* per Spiritum sanctum, resecetis illegitimum zeli vestri studium ». Ubi non mera docilitas, sed vera obedientia imponitur iis quae Clemens auctoritate divina praecipit.

d) *Effectus interventus* manifestatur in reparata illico pace. Epistulam fuisse acceptatam a Corinthiis, et subsecutam inde rebellium obedientiam sat clare infertur ex iis quae Dionysius Corinthiacus scribit ad Soterem episcopum romanum versus a. 170: « Hodie sacrum diem dominicum transegimus, in quo epistulam vestram legimus, quam quidem perpetuo deinceps legentes, perinde ac priorem illam nobis a Clemente scriptam, optimis monitionibus abundabimus » (apud Euseb. Hist. E. IV, 23, 13). Item Irenaeus, laudata potentiore principalitate ecclesiae romanae, commemorat potentissimas litteras, quas haec ecclesia scripsit ad Corinthios « ad pacem eos congregans et reparans fidem eorum » (Adv. haer. l. 3, cap. 3). Eusebius H. E. III, 16, 38 epistulam Clementis vehementer laudat eamque ab omnibus esse receptam testatur.

e) *Resonantiam historicam* hoc documento provocatam, necnon auctoritatem singularem eidem ab aliis ecclesiis concessam

produnt varii generis documenta, quae videsis apud Funk l. c. Hic sufficiat exscribere quae ibi pag. XLIV dicuntur: « Veteres epistulam etiam dignam habuerunt, quae pubblice in ecclesia legeretur... In codice Alexandrino qui Constantino Tischendorf saeculo quinto scriptus esse videtur, duae Clementis epistulae libris Novi Testamenti subiunctae sunt ». — Illud demum notandum: episcopus et ecclesia romana simul cum epistula legatos quoque mittit, qui « testes erunt inter vos et nos ».

Age iam; haec omnia et singula explicationem habent obviam et connaturalem supposito primatu romano, quem si renuas, vix ullam aptam rerum explicationem invenies. Minime contendimus hoc uno argumento primatum episcopi romani apodictice demonstrari; at negari non posse videtur *prima indicia* hic iam manifestari singularis cuiusdam auctoritatis romanae, cuius naturam et ambitum successiva documenta ulterius illustrabunt. Ceterum argumenti valorem agnoscunt e catholicis Duchesne, Batiffol, Bardenhewer, Tixeront, Godet, Hemer, Cayré et auctores de Ecclesia passim. Accedunt quadantenus ex acatholicis Harnack et Caspar.

Nova rerum explicatio

Testimonium Clementis R. pro primatu romano vehementer impugnatur nostris diebus a R. *van Cauwelaert* O. S. B. in periodico Lovaniensi Rev. Hist. Eccles. vol. 31, a. 1931, p. 267-305. Miratur in primis C. quod auctores catholici adhibeant hanc epistulam in favorem primatus romani. Hoc testimonium numquam fuit serio examinatum; hinc oportet illud profundiori et diligentiori examini subiicere. Peracti examinis conclusio est: in tota epistula nihil contineri quod primatum romanum evincat vel suadeat. Sane, quatuor sunt fundamenta quibus innitur tentata argumentatio: Ipsius epistulae contentum — tonalitas auctoritativa — effectus obedientiae subsecutae — abstentio apostoli Iannis in toto hoc negotio. Porro ista quatuor, *profundius* examinata, omni vi probativa destituta apparent. Nova ergo explicatio interventus romani proponitur ad lumen recentiorum investigationum quas perfecit schola americana studiorum classicorum Athenis constabilita. Huiusmodi nempe investigationes veram faciem Corinthi nobis reve-

laverunt. Nova Corinthus, a Caesare fundata, est vera quaedam colonia Romae, alto colore romano tincta et informata in ordine civili, militari, religioso, litterario etc. Aderant ergo intimae et frequentes relationes inter *civitates* romanam et corinthiacam. Possumus iure *supponere* similes relationes viguisse inter has duas *ecclesias* seu communitates christianas. Huiusmodi intimae relationes in causa fuerunt, quare apud Romanos vividius excitaretur sentimentum solidarietatis christianae, qua cohaerent inter se diversae partes unius corporis mystici. Hic sensus solidarietatis movebat Clementem ad interventum, quo turbatam inter fratres Corinthios pacem repararet.

Crisis novae theoriae

Reliquum est ut novae huius theoriae fundamenta examinemus. Explicatio R. van Cauwelaert duplici parte constat: priori destructiva, altera constructiva. Utraque crisi subiicienda est. In parte destructiva C. fere repetit obiectiones iam olim motas a criticis acatholicis, maxime a Lightfoot, Salmon, Schnitzer et Langen.

Ipsa epistula monet, consiliat, hortatur; at non accusat, non praecipit, non minatur: sola auctoritas divina invocatur atque urgetur, prae qua ipsius Clementis auctoritas penitus evanescit atque dissipatur.

Resp. a) Etiam hodie episcopi et Romani Pontifices in suis litteris sive pastoralibus sive encyclicis monent, hortantur, divinas scripturas urgent; qui imo ipsi apostoli in suis litteris canonicis hoc genere exhortandi ut plurimum utuntur. Vides Clementem apprime conscium suae auctoritatis paternalis, necnon memorem moniti sui antecessoris Petri, qui vult ut episcopi pascant suos greges *non dominantes* in clero. Ceterum ipse Clemens clare explicat rationem quare ad auctoritatem Dei et divinarum scripturarum in sua epistula appellet (cfr. cap. LXII, n. 3).

b) Cauwelaert, ut recte monet Altaner, prorsus ignorare videtur opus H. Getzeny « Stil und Form der ältesten Paptsbriefe bis auf Leo », ubi examinatur problema de forma et charactere stili in epistulis Pontificiis. (Cf. Theol. Rev. 1936, p. 41 sq.).

c) Adsunt in epistula duae pericopes, in quibus Clemens personam praecipientis assumere videtur: in cap. 59 legitur: « Sin autem quidam non *obtemperaverint iis quae Deus per nos dixit*, cognoscant offensioni et periculo non parvo sese implicaturos esse... ». Cauwelaert interpretatur hunc locum de praeceptis *a Deo* datis, quorum Clemens est *merus praeco* et promulgator. Sed huic interpretationi obstat, quod Deus nullum praeceptum *Corinthiis* dederit a Clemente promulgandum. Hic potius agi videtur de praecepto dato ab ipso Clemente auctoritate divinitus accepta: « Vos igitur, qui seditionis fundamenta iecistis, in obedientia estote praesbyteris, et correctionem suscipite in paenitentiam » cap. 57, 1). Hoc praeceptum dicitur a Deo datum per Clementem, quia Clemens praecepit auctoritate divinitus constituta, eo fere modo quo Paulus praecipiens ordinem servandum a charismaticis in conventu ecclesiastico scribit: « Si quis videtur propheta esse aut spiritualis, cognoscat quae scribo vobis, quia *Domini sunt mandata* » (I Cor. 14, 37). Cauwelaert bene dicit Clementem agere hic *ut intermediarium* inter Deum et fratres Corinthios; sed non advertit dari intermediarios, qui sint non *mere praecones*, sed vere legati authentici. « Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam *Deo exhortante per nos* » (II Cor. 5, 20).

His gemina sunt quae asseruntur in cap. 63: «Gaudium et laetitiam nobis praestabitis, si *obedientes facti iis quae scripsimus* per Spiritum Sanctum resecetis illegitimum zeli vestri studium ». Cauwelaert opinatur hic postulari obedientiam debitam Deo praecipienti per Sacras Scripturas a Spiritu S. conscriptas, et a Clemente in hac epistula recitatas. At novus est hic sermo et ita extraneus, ut ne ipsis quidem rationalistis in mentem venerit: ceterum recurrit obiecta superius observatio, nullam esse in Scripturis praeceptum a Deo *Corinthiis* impositum; multo connaturalius locum intelligas de praecepto dato per Clementem, quod eatenus tribuitur Spiritui S. quatenus Clemens scribit et imperat sub motione Spiritus Sancti: primum sensum reclamare videtur analogia huius loci cum pericope superius laudata ex cap. 59 Clementem alludere ad *inspirationem* proprie dictam, cuius conscientiam habuerit, excludendum videtur.

Novum argumentum invenit Cauwelaert pro sua thesi, quod

eiusmodi est: relationes inter fideles corinthios et suos proprios superiores seu presbyteros exprimuntur constanter a Clemente ope verbi ὑποτάσσεσθαι et substantivi ὑποταγή, quo verbo utitur etiam ad exprimendas relationes inter milites romanos et duces, cives et principes, mulierem et maritum; contra vero Clemens utitur verbo ὑπήκοος γενέσθαι (= praebere aures, docilem se exhibere) ad exprimendas relationes inter communitatem corinthiacam et auctorem epistulae; eodem verbo utitur Clemens ad significandam docilitatem debitam verbo Dei scripto. Ergo iterum constat Clementem non praecipere, sed hortari et suadere.

Resp. a) Licebit in primis retorquere argumentum sic: Teste Cauwelaert Clemens significat formula ὑπήκοος γενέσθαι docilitatem debitam verbo Dei scripto. Atqui huic tali verbo debetur non mera docilitas, sed vera et stricte dicta obedientia. Ergo praefata formula significat vel significare saltem potest actum, qui sit obedientia vero praecepto debita.

b) In capite X igitur de vera obedientia qua « Abraham amicus vocatus, fidelis inventus eo quod verbis Dei obtemperavit ». Porro haec obedientia exprimitur verbo ὑπήκοον γενέσθαι (cfr. n. 7 eiusdem cap.). Rursus idem verbum ὑπηκόους γινομένους recurrit in cap. 60, n. 4 ad significandam obedientiam dandam *Deo, principibus et praefectis* nostris in terra. Vides totum hoc argumentum philologicum converti contra suum auctorem.

Tonalitas epistulae secundum Cauwelaert minime est auctoritativa. Auctor epistulae constanter alloquitur aequalis cum aequali. Nuspiam resonat vox superioris.

Resp. Tardior ad audiendum videri Cauwelaert forte possit. Harnack asserit linguam epistulae esse « expressionem officii, caritatis simulque auctoritatis ». Salmon (anglicanus) miratur « tonum auctoritarium adhibitum ab ecclesia romana in sua non sollicitata ingerentia in rebus spectantibus ad aliam ecclesiam ». — Libertas sane in loquendo, gravitas in monendo, severitas in corrigendo, zelus in hortando, instantia atque conatus in revocanda ad pacem fraternitate corinthiaca sat clare produnt pastorem sollicitum qui non tam vult dominari in clero, quam forma gregis factus oves devias in bonam frugem revocare.

Effectum epistulae quod attinet, contendit Cauwelaert nihil prorsus sciri de subsecuta obedientia ex parte Corinthiorum.

Resp. a) Epistula Dionysii Cor. ad Soterem Rom. ostendit inductam Corinthi consuetudinem publice legendi epistulam Clementis. Porro haec consuetudo, necnon ipsum factum quod Dionysius praefatam epistulam commemoratam voluerit *simul* cum alia Soteris, certe acceptata, ut optimis commonitionibus abundent, clare supponere videntur priorem illam Clementis minime fuisse reiectam.

b) Irenaeus celebrat potentissimas litteras Romanorum postquam laudavit « potentiorem ecclesiae romanae principalitatem », et inculcavit necessitatem universalem *conveniendi cum hac ecclesia.* Epistulae commemoratio et exaltatio *in hoc tali contextu* rursus sat clare indicare videtur interventum epistularem romanum fuisse a Corinthiis acceptatum. — Eusebius demum consentire videtur notans l. c. epistulam ab omnibus fuisse receptam.

Abstentio Ioannis Apostoli in conflictu corinthiaco explicanda foret secundum Cauwelaert ex eo quod apostolus toto hoc tempore relegatus fuerit in insulam Patmos, ubi nulla fuerit sive facti notitia, sive interveniendi opportunitas. Ergo perperam invocatur abstentio praefata ad conciliandam maiorem quandam auctoritatem interventui romano.

Resp. a) Hypothesis Ioannis retenti in Patmos *toto illo tempore* dissidii Corinthiaci est possibilis quidem, at mere gratuita. Facta dein hac hypotesi, nonne potuerit Apostolus litteras mittere ad Corinthios, sicut misit ad septem ecclesias Asiae?

b) Vis argumenti non tam reponitur in abstensione A. Ioannis, quam in abstensione aliarum ecclesiarum vicinarum, quarum nonnullae erant apostolicae originis; ideo nos in argumento nullam mentionem abstensionis Ioannis fecimus. Oportet explicare quare non intervenerint ecclesiae Cretensis, Mileti, Colossensis, Philadelphiensis, Thessalonicensis, Smyrnensis, Atheniensis, Anthiochena. Cauwelaert de his omnibus prudenter tacet. Vides totum opus *destructivum* Cauwelaert esse sat fragile ac labile.

Nec felicior fuit R. P. *in costruendo.* Nova theoria fundatur demum in gratuita *suppositione*: ex eo quo adsint relationes intimae inter *civitatem* corinthiacam et romanam, concluditur: pos-

sumus *supponere* similes relationes viguisse inter utramque *ecclesiam*. Sed transitus ex ordine mere civili et profano ad ordinem ecclesiasticum et hierarchicum non licet, nisi adsit positivum aliquod fundamentum. Relationes civiles tandem fundantur in *origine romana* novae Corinthi; at *ecclesia* Corinthiaca non habuit originem romanam, sed apostolicam et Paulinam. Paulus plantavit, Apollo rigavit, Deus incrementum dedit.

Sit ergo conclusio: Relictis hypothesibus et suppositionibus gratuitis, retineamus facta certa et bene constabilita. Porro historice constat Christum contulisse Petro patoratum *universalem* — Petrum fundasse et ad mortem usque retinuisse cathedram episcopalem romanam — Clementem successisse Petro in hac cathedra. Ergo ratio obvia et connaturalis interventus romani stat in hoc quod Clemens tenet cathedram cui est annexum officium et responsabilitas pastoratus universalis. Cauwelaert, ut notam novitatis a se avertat, monet se ingredi demum in viam iam *praevisam* ab Altaner et Harnack. At mirabili et ironica rerum conversione factum est, ut Altaner recensens hanc novam theoriam (Theol. Rev. 1936, p. 41-45), asserat ultimam explicationem Harnack propius accedere ad obiectivam veritatem historicam, quam nova interpretatio proposita a Cauwelaert. Porro interpretatio et explicatio Harnack sic habet: « Nulla epistulae [Clementis] pericope prodit clare praetensiones (Ansprüche) specifice romanas (primatiales); omnia *possunt* explicari intra limites religiosos et fraternos: at factum, quod nulla alia communitas ecclesiastica intra Imperium i. e. nullus episcopus nequidem Ignatius in primitiva christianitate *hoc modo* sit locuta et operata, manet firmum. Hinc cohiberi vix potest suspicio, quod hic iam in mundo christiano (auf Christlichen Boden) spiritus, praetensio atque potentia (Kraft) romana iam praevaluerit (sich geltend gemacht haben): communitas romana audebat iam realiter conscendere in thronum, qui illi christianae communitati accessibilis erat ».

Ignatius Antiochenus

Saeculo secundo ineunte testimonium illustre primatui romano perhibet Ignatius A. Qui suo itinere e Syria in Romam martyrium passurus scripsit litteras septem: ad Ephesios, ad Magnesios, ad

Trallianos, ad Romanos, ad Philadelphienses ad Smyrnaeos, ad Polycarpum.

Authentia epistularum fuit quidem olim in acrem controversiam vocata, at hodie unanimi iam consensu recepta (recensio brevior). Cf. Funk, Patres Apostolici, I, p. LIX sq. Epistula ad Romanos eo tota collineat, ut huius ecclesiae fideles hortetur oretque ne intempestiva quadam caritate atque benevolentia suum martyrium impediant.

Inscriptio epistulae praeprimis notanda: « Ignatius, qui et Theophorus, ecclesiae misericordiam consecutae, in magnificentia patris altissimi et Iesu Christi, filii eius unici; ecclesiae dilectae et illuminatae voluntate eius, qui vult omnia, quae sunt, secundum caritatem Iesu Christi, dei nostri; quae etiam praesidet in loco regionis Romanorum (ἥτις και προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων) digna Deo, digna decore, digna quae beata praedicetur, digna laude, digna quae voti compos fiat, digne casta et universo caritatis coetui praesidens (προκαθημένη τῆς ἀγάπης), Christi legem habens, patris nomine insignita, quam et saluto in nomine Iesu Christi, filii patris; iis qui secundum carnem et spiritum cuivis ipsius praecepto sunt adunati, gratia Dei inseparabiliter repleti et ab omni alieno colore sunt expurgati, plurimam in Iesu Christo, deo nostro, et intaminatam opto salutem ».

Haec inscriptio differt ab aliis eiusdem Ignatii longitudine (duplo maiori), sollemnitate, *novitate formulae*: *Ignatius* ... ecclesiae quae *est* Ephesi in Asia ...; ecclesiae quae *est* Magnesiae ad Meandrum ...; ecclesiae quae *est* Philadelphiae in Asia ... verbo: aliae ecclesiae *sunt* in tali civitate talis provinciae. At ecclesia Romana non est Romae in Italia, sed *praesidet* (προκάθηται) in loco regionis Romanorum. Est ergo ecclesia romana pro Ignatio Ecclesia praeses. Cui praeest? Locus regionis Romanorum non est locus *cui* praeest ecclesia romana; sed est locus *in quo* vel *ex quo* exercet suam praesidis potestatem. Duae sunt huius asserti rationes: *primo* quidem id postulat analogia cum aliis inscriptionibus: omnes aliae ecclesiae dicuntur esse *in* tali loco; porro eadem particula adhibetur pro ecclesia romana quae est non mere praesens, sed praesidens *in* loco regionis romanorum: *accedit* quod in contraria hypothesi (protestantica) debuisset potius scribere: τόπου χώρίου vel Ῥώμης

potius quam ἐν τόπῳ χωρίου... Terminus ergo praesidentiae vel supponitur notus lectoribus, vel inferius designatur. Primam hypothesim tuentur aliqui auctores, ut Wilmers: « S. Ignatius hic eadem voce utitur, qua alibi episcopum praesidere significat, eidemque praesbyteros et diaconos postponit, « episcopo praesidente loco Dei (προκαθημένου τοῦ ἐπιρκόπου εἰς τόπον θεοῦ ad Magn. c. 6... Ecclesia, quae in loco regionis Romanorum «praesidet», non minus inter reliquas ecclesias prima est, quam episcopus est primus inter presbyteros et diaconos » (De ecclesia Christi, 1897, p. 217). Item recentius *Stoeckius* (potestans) die römische Gemeinde hat den Vorsitz an dem Ehrenplatz des römischen Landes, d.h. in Rom. spiegelt sich die Welthauptstadtstellung (ἥτις προκάθηται ἐν τόπῳ χωρίου Ῥωμαίων Archiv. Kath. Kirchenrecht, 1937, p. 62. Ibidem citatur et approbatur interpretatio *Weingartens*: « Der Principat der römischen Kirche ist im Wesentlichen die Uebertragung der heidnisch-religiösen Weltstellung Roms in der Keiserzeit in die Kirche — urbs aeterna, urbs sacra ». Ergo sic se habet communitas romana respectu ecclesiae universae, sicut se habebat Roma imperialis respectu universi imperii. Vides iam in hac interpretatione implicari primatum iuridicum universalem ecclesiae romanae. At alii communius opinantur terminum praesidentiae romanae designari paulo inferius, ubi post sex epitheta ornantia resumitur idem verbum: προκαθημένη τῆς ἀγάπης. Quaeritur iam legitima huius pericopes interpretatio. Triplex circumfertur sententia.

Prima protestantica (Pearson, Lighfoot, Zahn ...) interpretatur ecclesiam romana *eminere caritate* inter omnes alias ecclesias. Cui interpretationi duo potissimum obstant. *Primo* quidem natura verbi προκαθῆσθαι quae nuspiam significat *eminere*, se distinguere, sed constanter retinet sensum *praesidendi*: protestantes ne unum quidem exemplum pro sua interpretatione afferre potuerunt. Obstat *secundo* quod sic uni eidemque verbo in eodem contextu duplex diversa significatio tribuitur: verbum personale προκάθηται sumitur pro *praesidere;* verbum participium προκαθημένη pro *eminere.*

Altera interpretatio est D. *Harnack,* qui pericopen nostram interpretatur de ecclesia romana *protectrice operum caritatis,* quatenus ecclesia romana fovet caritatem, et opera caritatis etiam aliis

ecclesiis procurat. Fundatur in hoc quod in Pseudo-Clementinis c. 2 et 17 Clemens appellatur προκαθεζόμενος ἀληθείας = protector seu defensor veritatis. — At Harnack hanc significationem minime probat. Recurrit haec vox πρακαθεζόμενος ibidem in c. 6, 12 et 16 cum significatione *praesidis;* in locis allegatis a Harnack contextus agit non de veritate contra haereticos defendenda, sed de Clemente succedente in cathedra Petri super quem Christus fundavit Ecclesiam. En textum capitis 2[1]: « Propter quod ipsi [Clementi] trado [ego Petrus] a Domino mihi traditam potestatem ligandi et solvendi, ut de omnibus quibuscumque decreverit in terris, hoc decretum sit et in caelis. Ligabit enim quod oportet ligari, et solvet quod expedit solvi, tamquam qui ad liquidum Ecclesiae regulam noverit. Ipsum ergo audite, scientes quod quicumque contristaverit προκαθεζόμεηον ἀληθείας peccat in Christum, et Patrem omnium exacerbat Deum; propter quod et vita carebit. Ipsum autem, qui praeest ceteris (προκαθεζόμενον) oportet medici vicem agere, et non ferae bestiae furore commoveri ». — Textus porro capitis 17[1] sic sonat: « Et vero vos dilecti mei fratres et conservi προκαθεζομένω ἀλεθείας (praesidi veritatis) in omnibus obsecundate, illud scientes quod qui hunc contristaverit, Christum, cuius cathedram tenet, non recipit; et qui Christum non receperit, quasi qui Patrem reiecerit reputabitur, ideoque a bono regno eiicietur ». Habes in his textibus perfecte definitam positionem illius qui appellatur προκαθεζόμενος ἀληθείας. Est nempe ille qui tenet cathedram Christi — qui tenet cathedram Petri — qui succedit Petro in potestate suprema ligandi et solvendi — qui sic docet, ut eum obaudire oporteat sub poena offensi Dei et Christi, hinc sub poena amissae aeternae salutis. Talis porro doctor non est merus protector veritatis, sed verus ipsius *praeses,* quippe qui vere praesit his quos docet. Simili prorsus modo episcopos appellat *praesidentes veritatis* Cyprianus in ep. 73, Hartel, pag. 796. Vides iam quomodo argumentum Harnack facillime retorqueatur contra suum auctorem.

Tertia sententia est Funck, Duchesne, Chapman (et auctorum catholicorum passim) de ecclesia romana *praesidente universo coetui* caritatis seu ecclesiae universae. At iure quaeritur num vox

τῆς ἀγάπης hanc significationem *socialem et universalem* patiatur. Possibilem esse hanc talem significationem vehementer suadetur sequentibus indiciis:

a) Usus abstracti pro concreto familiaris est Ignatio; sic (ad Trall. 3, 2) coetus seu concilium apostolorum exhibetur voce abstracta σύνδεσμον ἀποστόλων = vinculum seu ligamen apostolorum: ipsa vox ἀγάπη = convivium christianorum in quo sacra celebrantur (Smyrn. 8, 2).

b) Vocem ἀγάπη posse significare ecclesiam seu communitatem christianam sat clare apparere videtur in epistula ad Trall. 3, 2: ubi Polybius (episcopus) exhibetur tamquam exemplar *caritatis vestrae* τῆς ἀγάπης ὑμῶν. Ibi non agitur de caritate fraterna, sed de disciplina ecclesiastica, qua fideles debent esse subiecti episcopo, presbyteris et diaconis: « *De his* ita vos sentire persuasum habeo. Exemplar *enim* caritatis vestrae accepi et mecum habeo in episcopo vestro, cuius ipse habitus magna *disciplina* est ». Polybius non exhibetur ut exemplar virtutis caritatis, sed (disciplinae et obedientiae) *ipsius communitatis.*

c) Ipsa epistula ad Rom. novam rei confirmationem suppeditare videtur in c. 9, 1: « Memores estote in precibus vestris ecclesiae Syriae, quae mei loco Deo pastore utitur. Solus Iesus Christus eam vice episcopi reget ἐπισκοπήσει et vestra caritas ἡ ὑμῶν ἀγάπη. Munus seu officium episcopale aptius tribuitur ecclesiae romanae, quam virtuti caritatis romanorum. Ceterum advertas affinitatem utrisque formulae: ἐκκλησία προκάθηται-ἀγάπη ἐπισκοπήσει, Sicut ἐπισκοπήσει perfecte respondet προκάθηται, sic ἀγάπη apprime cohaeret cum ἐκκλησία. Forsitan obicies cum Harnack, *preces* tantum postulari a Romanis. At notes quod preces postulantur etiam ab Ephesiis (12, 2), Magnesiis (c. 14) et Trallianis (13, 1); numquam tamen hic influxus exprimitur termino significante *curam pastoralem,* quae soli Christo et Romanis attribuitur.

d) Simile exemplum recurrere videtur in epistula ad Trall, 13, 1: « Salutat vos caritas ἡ ἀγάπη Smyrnaeorum et Ephesiorum: sensus videtur esse: salutat vos fraternitas seu ecclesia Smyrnaeorum, sicut superius (12, 1) dicitur: saluto vos e Smyrna una cum *ecclesiis Dei,* quae mecum sunt... cfr. Smyrn. 12, 1 et Philad. 11, 2.

e) Optima confirmatio merito petitur ex Martyrio S. Ignatii, quod Colbertinum dicitur. Ubi de S. Ignatio narratur: « beatam praedicavit (Ignatius) communitatem fratrum τῶν ἀδηλφῶν ἀγάπην illius loci » (Puteolos.) S. Martyr non potuit laudare *caritatem* horum fratrum, quippe quam non noverat, at gratulari poterat illam communitatem Christianam, quae Pauli hospitio honorata erat.

f) Demum manet firmum argumentum inde desumtum, quod vox προκαθῆσθαι ubicumque legitur, at sumitur absolute, aut refertur ad locum vel societatem (Funk). Atqui in nostro casu ad locum referri nequit. Ergo societatem (universalem) exprimat necesse est. Admissa ergo *possibilitate* huius significationis, *necessitas* ipsius imponi videtur, quum aliae interpretationes sufficienter sint exclusae

Novam lucem afferunt ea quae Ignatius Romanis scribit: «Nemini umquam invidistis, *alios docuistis*. Ego vero illa quoque firma esse volo quae *docetis et praecipitis* » (3, 1). Hinc constat romanam ecclesiam *alias ecclesias* docere, *eisque praecipere*. — « Non ut Petrus et Paulus vobis praecipio » (4, 3). Petrus ergo et Paulus fuerunt primi et praecipui Romanorum pastores; unde origo potestatis doctrinalis et episcopalis romanae erit revocanda ad hos binos apostolorum principes. Porro *centralis Petri positio* in collegio apostolico innuitur Smyrn. 3, 2): « Et quando ad *Petrum et socios eius* venit (Iesus redivivus) πρὸς τοὺς περὶ Πέτρον». Simili fere modo designatur a Iustino (Apol. 1, 65, 67) centralis illius positio qui coetui praeest.

Iuvat rem totam confirmare duplici testimonio adversariorum. *Langen* concedit vocem προκαθῆσθαι posse optime significare primatum romanum, si saeculo secundo ineunte posset supponi aliqua organizatio ecclesiastica adeo firma seu perfecta, qualis implicatur in hac interpretatione (Geschichte der röm. Kirche bis Leo I, pag. 94). Vides rationem negandi interpretationem catholicam non esse philologicam vel e contextu derivatam, sed *falsum praesuppositum* de organizatione ecclesiastica tunc temporis vigente.

Harnack scribit: « Ecclesia Romana tempore Ignatii non habet aliud momentum nec aliud ius nisi illud quod debetur suae

speciali positioni, magnitudini et suae sollicitudini oecumenicae versus omnes alias ecclesias. Illa sine dubio est prima inter omnes alias ecclesias totius christianitatis. Ignatius involuntarie praestitit servitium vere momentosum praetensionibus ecclesiae romanae; siquidem (scribens de illa) selegit talia verba, quae considerata in lumine aetatis posterioris, et applicata non ecclesiae, sed episcopo romano, possunt recte adhiberi ut argumentum seu testimonium pro stadio papatus valde consolidati ». (Sitzungberichte der K. Preussischen Akad. der Wissensch., febr. 1896).

Aliis verbis: conceditur interpretationem catholicam esse sat naturalem et obvio verborum sensui sat conformem; at contenditur hunc sensum obvium esse impossibilem, quia non cohaeret cum stadio organizationis ecclesiasticae illius temporis. At nonne satius foret organizationem ecclesiasticam pro illo tempore non a priori fingere, sed talem simpliciter acceptare, qualem portendunt testes veraces? Ecclesiam romanam gubernari serie episcoporum ascendente usque ad Petrum et Paulum asseveranter affirmat Irenaeus. Ceterum Harnack concedit ecclesiae romanae (ex Ignatio) quendam primatum in quo implicitur sollicitudo pastoralis oecumenica. At huius sollicitudinis ratio non est alia quam pastoratus universalis et supremus Petro a Christo concessus et inde ad episcopum romanum derivatus. Ad rem Ottiger: « Caeterum si ἀγάπην hic intelligas beneficentiam, Roma, ex Ignatii sententia ea erit, quae gubernet ac regat beneficientiam *omnium* Christianorum, id quod iurisdictionis primatum includit ». (Theol. Fund. II, p. 629). — Ignatius tribuit quidem primatum *ecclesiae* romanae; at huius auctoritatem totam in *episcopo* demum reponendam esse merito concluditur ex nota Ignatii ecclesiologia, pro quo « ecclesia non datur sine his » i. e. sine episcopo, presbyteris et diaconis (ad Trall. 3, 1).

Stoeckius et ipse protestans longius progreditur, cum pericopen Ignatianam sic commentatur: « Sie [ecclesia romana] stellt sich weiter als die *Kirchliche* Haupstadtstellung in Werken der Liebe und der Fürsorge für andere (καὶ προκαθημένη τῆς ἀγάπης). — Sie hat ferner den rechten christrichen Glauben ἀποδιϋλισμένοις ἀπὸ παντὸς ἀλλοτρίου χρώματος). Ihr Glaube ist der Glaube der Christenheit. — Sie hat schliesslich Lehrgewalt über alle übri-

gen (ἄλλους ἐδιδάξατε) aber niemad hat Lehrgewalt über sie ». Stoeckius ergo docet ecclesiam romanam pro Ignatio esse caput omnium ecclesiarum; et in hoc primatu implicari caritatem et sollicitudinem oecumenicam — orthodoxiam doctrinalem immaculatam — fidem regulantem totius christianitatis = potestatem ergo magisterialem authenticam et universalem; hinc primatum amoris, sollicitudinis pastoralis, magisterii doctrinalis. Citat demum et approbat iudicium *Weingartens*: Der Principat der römischen Kirche ist im Wesentlichen die Uebertragung der heidnisch — religiösen Weltstellung Rom's in der Kaiserzeit in die Kirche (l. c. p. 62). Vides ecclesiae romanae ex Ignatio concedi primatum amoris, sollicitudinis, magisterii et imperii.

Testimonium Ignatianum aureo commentario recenter illustravit *Othmar Perler* in periodico Friburgensi « Divus Thomas », 1944, pag. 413 sq.

Summa rei potest commode hisce punctis exhiberi:

1. Vis testimonii haurienda est e quadruplici loco mire convergenti et progredienti: primo quidem ex inscriptione, dein ex capitibus tertio, quarto et nono.

2. Inscriptio imprimis attestatur primatum quendam romanum vere realem, i. e. primatum in fide et caritate. Huius primatus fundamentum num sit aliqua auctoritas sive moralis sive iuridica hic nondum determinatur.

3. Caput tertium continet haud obscuram allusionem ad epistulam Clementis Romani eiusque interventum in ecclesia Corinthiaca. Hic porro interventus exhibetur ab Ignatio terminis qui auctoritarium eius characterem portendunt.

Caput nonum novam lucem suppeditat: Ignatius exoptat et sperat fore ut communitas romana exerceat in ecclesia antiochena simile officium episcopale ac Corinthi. Hinc primatus romanus, de quo agitur in inscriptione, consideratus ad lumen capitis tertii et noni demonstratur continere auctoritatem, qui limites mere morales transcendit. Ipsius tamen character iuridicus nondum clare apparet.

5. Caput quartum viam solutionis demum aperit. Ignatius novit et laudat primos communitatis romanae praesides Petrum et Paulum; hinc insinuatur iam character iuridicus primatus romani.

6. Conclusio finalis: hoc testimonium, consideratum in sua complexa integritate et in sua historica ac harmonica connexione cum testimoniis posterioribus, continet valorem minime spernendum in favorem primatus iuridici romani.

Irenaeus

Irenaus merito celebratur tamquam praecipuus testis primatus romani saeculo labente secundo. Cuius exstat praeclarum testimonium in opere adv. haeres. III, c. 3, n. 1 c.; « Traditionem Apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre: et habemus enumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in Ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt, quale ab his [haereticis] deliratur... Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo Romae fundatae et constitutae Ecclesiae, eam quam habet ab Apostolis traditionem et annunciatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquomodo, vel per sibi placentia, vel vanam gloriam, vel per caecitatem et malam sententiam praeter quam oportet colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem eius principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui undique sunt fideles, in qua semper ab his qui sunt undique conservata est ea quae ab Apostolis est traditio. Fundantes igitur et instruentes beati Apostoli Ecclesiam, Lino episcopatum administrandae Ecclesiae tradiderunt. Succedit ei Anacletus, post eum tertio loco ab Apostolis sortitur episcopatum Clemens... sub hoc igitur Clemente, dissensione non modica inter eos, qui Corinthi essent, fratres facta, scripsit quae est Romae Ecclesia potentissimas litteras Corinthiis, ad pacem eos congregans et reparans fidem eorum. Huic Clementi succedit Evaristus,

et Evaristo Alexander... Cum autem successisset Aniceto Soter, nunc duodecimo loco episcopatum ab Apostolis habet Eleutherius. Hac ordinatione et successione ea quae est ab Apostolis in Ecclesia traditio et veritatis praeconatio pervenit usque ad nos. Et est plenissima haec ostensio, unam et eamdem vivificatricem fidem esse, quae in Ecclesia ab Apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate ».

Totius sententiae hic est sensus manifestus: duplex est via certo cognoscendi traditionem in toto mundo manifestatam. Una est longior et difficilior, inquirere scilicet in fidem omnium et singularum ecclesiarum enumerando successiones episcopales in singulis ecclesiis. Altera est brevior et facilior, inquirere in fidem et traditionem ecclesiae romanae enumerando successionem episcoporum inde a Petro et Paulo; cognita quippe fide et traditione huius ecclesiae principalioris, eo ipso habetur plenissima ostensio et cognitio traditionis apostolicae in omni ecclesia unanimiter conservatae. Duo inde evidenti illatione consequuntur: *a*) ecclesiam romanam esse *centrum* orthodoxie oecumenicae; *b*) et quidem vera *infallibilitate* praeditum. Etenim si ecclesiam romanam errare aliquando contingeret, non posset ex ea certo cognosci fides *orthodoxa* totius reliquae ecclesiae. Porro haec positio centralis et infallibilis necessario implicat primatum romanum saltem magisterialem; si enim potestas romana foret aequalis (vel minor) potestate aliarum ecclesiarum, nulla apta ratione explicari potest quare illa una prae cunctis caeteris sit et centralis et infallibilis.

Eadem conclusio obtinetur analysi totius pericopes, ad cuius plenam intelligentiam tria potissimum examinanda occurrunt. Quaeritur nempe *a*) quid ferat *potentior principalitas; b*) qualis sit *necessitas* conveniendi cum ecclesia romana; *c*) quaenam sit ecclesia *in qua* semper est conservata ea quae est ab Apostolis traditio.

Principalitas non significat primatum iurisdictionis; sed est attributum aliis ecclesiis apostolicis commune, quod tamen in ecclesia romana gradu et sensu pleniori aut *potentiori* verificatur. Qualis sit huius attributi propria apud Irenaeum significatio controvertitur. Quadruplex potissimum circumfertur sententia. Alii interpretantur principalitatem = *auctoritatem*: sic critici catho-

lici passim et antiqui protestantes. Alii intelligunt principalitatem = *originem apostolicam* sic Harnack, Hagemann et recentius nonnulli catholici. Aliis principalitas est idem ac *origo* seu principium: sic Van den Eynde, Straub... Alii demum principalitatem sumunt pro *episcopatu*: sic Savio. Infra ostendemus omnes has sententias fundamentaliter coincidere.

Necessitas (conveniendi cum ecclesia romana) triplicem interpretationem nacta est. Catholici passim intelligunt necessitatem *moralem* seu obligationem. Harnack et protestantes recentes passim tuentur necessitatem *logicam* et mere naturalem = unde necesse est cum e. romana consentire omnes alias ecclesias vere orthodoxas. Praecesserat (in eadem interpretatione) Hagemann cui nunc adstipulantur non pauci critici catholici. Tertia sententia defendit necessitatem *logicam simul et moralem* ortam ex ipsa divina institutione. Christus nempe fundavit *totam* Ecclesiam suam super Petrum eiusque cathedram, quae nunc est romana. Hinc oritur pro omni ecclesia orthodoxa necessitas logica simul et moralis adhaerendi huic centro divinitus constituto: sic Straub, Chapman, alii.

Particula « *in qua* » duplicem interpretationem invenit apud auctores. Alii docent relativum « in qua » cohaerere cum *ecclesia romana;* unde sensus est: hi qui sunt undique fideles servaverunt traditionem apostolicam puram in ecclesia romana seu per ecclesiam romanam, adhaerendo nempe eiusdem praedicationi et magisterio: sic catholici passim. Alii referunt relativum « in qua » ad subiectum proximius = *omnem ecclesiam*; unde sensus est: cum ecclesia romana, certe orthodoxa, logica necessitate convenient omnes aliae ecclesiae in quibus traditio apostolica illibate est conservata: sic Harnack, Hagemann, critici protestantes passim, et nonnulli etiam catholici. — Brevitatis causa praetermittimus antiquas et obsoletas iam controversias de sensu vocis « convenire » quam omnes iam unanimiter interpretantur de conventu non locali, sed *doctrinali.*

Hisce praelibatis, apparet triplicem esse possibilem et utcumque probabilem constructionem et interpretationem testimonii Irenaei. Ostendemus primatum romanum implicari in triplici hac interpretatione. Sit ergo

Prima interpretatio: Principalitas = auctoritas: Necessitas = moralis: In qua = Ecclesia romana: Habes hic primatum romanum trifariam expressum. *a*) Principalitas significat auctoritatem. Atqui Ecclesia romana habet principalitatem potentiorem. Ergo auctoritatem potiorem seu primatum in auctoritate. *b*) Necessitas conveniendi cum Ecclesia romana est moralis seu obligatio. Atqui haec obligatio afficit omnes fideles et ecclesias. Ergo ecclesia romana est iuridice suprema.

c) Si particula « in qua » refertur ad ecclesiam romanam, eo ipso asserit Irenaeus eos qui sunt undique fideles et ecclesias conservasse illibatam suam fidem adhaerendo traditioni et praedicationi ecclesia romanae, ubi continetur *exercitium* magisterii centralis ac supremi.

Altera interpretatio: Principalitas = origo apostolica: Necessitas = logica: In qua = omni ecclesia. Habes hic primatum bifariam significatum: *a*) Origo apostolica secundum constantem Irenaei doctrinam implicat *potestatem* apostolicam tum magisterialem tum iurisdictionalem. Atqui ecclesia romana habet originem apostolicam *potentiorem*. Ergo potestatem maiorem sue primatum in potestate magisterii et regiminis: ideo praecise sola principalitas romana infert necessitatem consensionis universalis: *b*) Si necessitas est logica et particula in qua refertur ad *omnem* ecclesiam orthodoxam, eo ipso asseritur ab Irenaeo positio centralis et infallibilis ecclesiae romanae, ubi implicatur potestas suprema (saltem magisterialis) ut superius notavimus.

Tertia interpretatio: Principalitas = origo: Necessitas = logica simul et moralis: In qua = ecclesia romana. Habes hic triplicem expressionem primatus romani: *a*) Haec origo non est alia quam apostolica; porro origo apostolica secundum Irenaeum continet veram potestatem. Sed ecclesia romana habet originem potentiorem. Ergo et potestatem. potentiorem seu primatum in potestate. *b*) Si necessitas est logica *simul et moralis*, eo ipso asseritur caeteras omnes ecclesias obstringi vinculo hierarchicae subordinationis erga ecclesiam romanam. *c*) Si particula « in qua » refertur ad e. romanam, argumentatio procedit sicut supra in prima interpretatione. Eadem triplex assertio primatus recurrit in hypothesi

P Savio, ubi ecclesiae romanae attribuitur ab Irenaeo *episcopatus potentior* seu primatus.

Duplici via quaesitum est ab adversariis aliquale effugium contra hanc argumentationem. Primam ingressi sunt veteres protestantes concedendo potentiorem principalitatem continere potestatem supremam, at negando eam ab Irenaeo tribui *ecclesiae* romanae, sed *urbi imperiali* romanae. Sed haec solutio est desperata: Irenaeus expressis verbis loquitur de potentiore principalitate *ecclesiae* romanae antiquissimae, maximae etc... Nec vis argumenti eliditur aut minuitur in hypothesi falsa protestantica (et catholici Funk) vocis « convenire » pro conventu *locali*. Etenim si hic talis oecumenicus conventus provocatur a potentiore potestate ecclesiae romanae, recurrit conclusio de primatu potestatis romanae. Ceterum nimis clare patet ex toto contextu Irenaeum agere de conventu *doctrinali*. Ideo additur in conclusione: « Et est haec plenissima ostensio *unam et eandem* vivificatricem *fidem* esse... ». Subtiliorem viam ingreditur Harnack, qui locum nostrum sic interpretatur: Ecclesia romana propter suam originem apostolicam est orthodoxa seu infallibilis; hinc necessario fiet, ut concordent cum illa omnes reliquae ecclesiae apostolicae quoque originis, quippe quae sint et ipsae orthodoxae et infallibiles. Principalitas romana dicitur potentior non ratione maioris auctoritatis, sed maioris cuiusdam perfectionis accidentalis; haec maior perfectio continetur in quatuor attributis de ecclesia romana ab Irenaeo praedicatis: profecto haec est ecclesia antiquissima, maxima, omnibus cognita, a Petro et Paulo fundata. Irenaeus vult proferre unum exemplum illustrius inter varia possibilia.

Haec interpretatio, etsi subtilior, aperta tamen falsitate laborat. Etenim: *a*) Teste Irenaeo necessitas consensionis universalis cum ecclesia romana oritur ex *potentiore* eiusdem principalitate. Atqui in hypothesi Harnack haec necessitas derivatur ex mera eius principalitate seu origine apostolica. Ergo haec explicatio destruit rationem allatam ab Irenaeo: *b*) Teste Harnack maior perfectio principalitatis romanae continetur in quatuor laudatis attributis. Atqui in his quatuor attributis continetur perfectio substantialiter maior seu primatus *e cathedra Petri derivatus*. Harnack quidem non admittit primatum Petri, sed turpi-

ter errat nesciens Scripturas. At Hagemann, etsi eodem prorsus modo ac Harnack interpretetur voces « principalitas », necesse est, « in qua » teneatque rationem *potentioris* principalis indicari in quatuor praefatis attributis, fidenter concludit ad primatum romanum, quia catholice sentit de primatu Petro divinitus promisso et collato: *c*) Ratio quare Irenaeus ingreditur in viam Romanitatis est, quia nimis longum foret referre tot ecclesiarum successiones episcopales. Atqui in hypothesi Harnack Irenaeus posset ingredi in multas vias aeque breves ac securas, ac romanam. Irenaeus non distinguit inter duas vias quarum una foret clarior. alia obscurior; sed agit de duplici via quarum una est *longior* implicans successiones *omnium* ecclesiarum, alia *brevior* sed aeque tuta, eaque romana: *d*) Irenaeus secundum Harnack admittit infallibilitatem omnium et singularum ecclesiarum apostolicarum. Atqui haec hypothesis opponitur contextui, in quo recurrit casus ecclesiae apostolicae seu Corinthiacae, cuius fides *debuit reparari* per epistulam Clementis: *e*) In sententia Harnack particula « in qua » habet vim *limitativam*: cum ecclesia romana debent necessario consentire non omnes prorsus ecclesiae, sed illae tantum quae sunt apostolicae originis. Atqui id rursus opponitur contextui immediato, ubi vox « omnem ecclesiam » explicatur sensu absolute universali = « id est, eos qui sunt udique fideles ». Ergo... Vides laboriosam istam exegesim Harnack scatere multiplici falsitate, cuius radix ultima demum reperitur in falsa suppositione exclusi primatus Petrini.

Inquisitio ulterior

Dedimus plures nostri loci interpretationes; ostendimus in omnibus illis implicari primatum romanum plus minus plene expressum. Remanet examinanda quaestio, quaenam illarum ad obiectivam rei veritatem propius accedat. Varietas porro sententiarum oritur ex triplici voce controversa; reliquum est ut has tres voculas accuratiori analysi subiiciamus.

Potentior principalitas

Vel mera vox comparativa « potentior » ostendit *principalitatem* non significare primatum iurisdictionis, sed attributum quodam commune omnibus aliis ecclesiis saltem apostolicis. Duplex via patet ad determinandam genuinam eius significationem: *a*) examen vocis « principalitas » in versione latina; *b*) examen vocabuli huic principalitati correspondentis in textu originali graeco, magnam partem deperdito.

Principalitas *in versione latina* saepe significat *auctoritatem*. Speciminis gratia accipe nonnulla exempla ex opere « Adv. haeres. »: L. 1, c. 26 scribit Irenaeus: « Cerinthus autem... non a *primo Deo* factum esse mundum docuit, sed a virtute quadam valde separata et distante ab ea *principalitate* quae est *super omnia,* et ignorante eum qui est *super omnia Deum*... et post baptismum descendisse in eum [Iesum] ab ea principalitate, quae est *super omnia,* Christum figura columbae ». Ubi principalitas significat auctoritatem divinam primam et supremam: respondet vox graeca αὐθεντία — L. 2, c. 1 Irenaus docet Deum unum esse, qui non possit, ut haeretici contendebant, esse « foris circumdatus ab altera *principalitate,* quam necesse et *maiorem esse* ». Ubi principalitas significat dignitatem seu potestatem maiorem. — L. 3, c. 38 asserit Irenaeus: « Et sic *principalitatem* quidem habebit in omnibus Deus... reliqua vero omnia *in subiectione* manent Dei ». Ubi principalistas significat potestatem Dei dominativam ac supremam. Respondet vox graeca πρoτεύειν... Similis significatio recurrit apud Tertullianum Irenaeo fere coaevum: Ad Hermog. c. 4: « Quid *principale,* nisi quod *super* omnia, nisi quod *ante* omnia, et *ex quo* omnia. Haec Deus habendo est, et solus habendo unus est ». En triplicem primatum = temporis, originis, iurisdictionis seu dominii. — De anima, c. 13: « Ad hoc dispicere oportet *principalitas* ubi est, *quid cui praeest,* ut cuius principalitas apparuerit... ». Item in c. 15: « In primis an sit aliquis *summus gradus* in anima, quod ἡγεμονικόν appellant id est *principale* ». Principalitas = eguemonia.

De voce graeca principalitati correspondenti in textu originali subtiliter disputatum est. At non videtur possible devenire

hac via ad aliquam conclusionem certam. Omnibus pensatis, praeplacet vox ἀρχή (vel ἀρχαιότης), quae apud Irenaeum in asservatis fragmentis graecis significat sive *principem* supernum (concrete) cfr. L. 1, c. 8, n. 5; c. 9, n. 2; c. 11, n. 3; c. 21, n. 5 (MG 7, cl. 532 s., 540, 565, 668), sive potestatem principis (abstracte) cfr. L. 3, c. 21, n. 2 (MG. 7, 947), sive *initium*, cfr. L. 1, c. 9, n. 2; l. 3, c. 11, n. 8; c. 12, n. 5; c. 21, n. 2; l. 4, c. 38, n. 2; l. 5, c. 3, n. 2 (MG. 7, 541, 888, 897, 948; 1107, 1129, 1130).

At multo certius determinatur significatio vocis «principalitas» ex loco nostrae pericopae sat parallelo, qui recurrit in l. 4, c. 26, n. 2 (MG. 7, 1053-1054): «Quapropter iis qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, his qui successionem habent ab Apostolis, *sicut ostendimus;* qui cum *episcopatus* successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt; reliquos vero qui absistunt a *principali successione,* et quocumque loco colligunt (colliguntur?) suspectos habere, vel quasi haereticos et malae sententiae, vel quasi scindentes et elatos et sibi placentes aut rursus ut hypocritas, quaestus gratia et vanae gloriae hoc operantes». Agitur hic, sicut in nostra pericope, de probanda traditione per episcopos apostolorum successores et quidem contra eosdem adversarios. Simplex utriusque loci comparatio ostendit hanc identitatem. In l. 3, c. 3 agitur de triplici classi adversariorum: sunt nempe hi qui vel *per sibi placentia,* vel *per vanam gloriam,* vel per caecitatem et *malam sententiam quoquomodo colligunt.* — Porro in l. 4, c. 26 agitur rursus de eadem triplici classi = sunt nempe haeretici *malae sententiae,* schismatici sibi placentes, hypocritae *vanae gloriae,* qui *quocumque loco colligunt.* Accedit quod Irenaeus hic agit de *ostensione alibi facta* = «sicut ostendimus». Atqui nullibi nisi in l. 3, c. 3 hanc ostensionem fecit. Ergo Irenaeus in hoc textu l. 4, c. 26 evidenter se refert ad locum parallelum l. 3, c. 3. Porro hic clarissime apparet quid ferat «principalitas». Sane successio *principalis* = successio ab *apostolis* = successio *in episcopatu.* Ergo principalitas significat *episcopatum in apostolis originatum,* ad presbyteros successione transmissum. Vides iam quomodo quatuor sententiae superius propositae fundamentaliter coincidunt. Etenim principalitas significat sive *originem* potestatis apostolicae epi-

scopis transmittendae; sive *originem apostolicam* potestatis episcopalis; sive *episcopatum* in apostolis originatum ad presbyteros successione transmittendum. Omnes ergo hae sententiae unum idemque vere dicunt, sed sub diverso respectu. Unice posset controverti quid principalitas *in recto* seu formaliter, quid *in obliquo* significet, utrum *originem* apostolicam, an *potestatem* apostolicam; sed haec quaestio plene supervacanea censeri possit.

Ad eandem conclusionem devenitur directo et immediato nostrae pericopes examine. Sane potentior principalitas ecclesiae romanae, quum sit titulus inferens necessitatem *perennem* consensionis universalis, est potestas quae in Petro (et Paulo) originatur et ad successores Linum, Cletum... transit. Porro id quod ex Petro (et Paulo) transit ad successores nihil est aliud quam *episcopatus,* ut aperte dicitur in ipso textu: « fundantes igitur et instruentes beati apostoli Ecclesiam, Lino *episcopatum administrandae Ecclesiae* tradiderunt ». Ex hac analysi recte infertur potentiorem principalitatem significare *episcopatum potentiorem* i. e. primatum in potestate episcopali.

Haec quum ita sint, liquet ecclesiam romanam dici ab Irenaeo principaliorem *a*) non ratione *antiquitatis* in qua superatur ab ecclesia Hierosolimytana, Antiochena... *b*) nec ratione cuiusdam quasi *maternitatis* (Mutterkirche), quae rursus tribuitur ecclesiae Hierosolimytane ἐξ ἧς πᾶσα ἔσχηκεν ἐκκλησία τήν ἀρχήν. (Adv. her. l. 3, c. 1, n. 2); *c*) neque ex eo quod sit a *duobus* apostolis, nam ecclesia Hierusalem habuit *duodecim* fundatores; *d*) neque ex eo quod sit fundata a duobus apostolis, quorum unus foret *Paulus;* etenim ecclesia Ephesina secundum Irenaeum fuit fundata et evangelizata a *Paulo et Ioanne,* qui perseverasse ibi asseritur usque ad tempora Traiani (l. 3, c. 3, n. 4); *e*) nec ex eo tantum, quod habeat *originem* firmiorem, nam ecclesia Hierusalem non est infirmior in hac parte; *f*) sed ex eo demum quod habet firmiorem *potestatem* primitivam *successione transmittendam.* Ceterum etsi gratis et falso tribueres Irenaeo errorem de duplice ecclesiae capite et vertice (cf. DB n. 1091), minime vitares consectarium primatus romani, siquidem ecclesia romana hereditasset *totam* potestatem primatialem.

Necesse est

In explicanda *necessitate* (conveniendi cum ecclesia romana) dupliciter errare contingit, et quidem per defectum. Peccant imprimis qui necessitatem physicam seu logicam rectissime statuentes, eandem esse moralem concedere renuunt. At non minus peccare videntur qui ad hanc logicam necessitatem vix attendentes, toti sunt in inculcanda ac premenda necessitate morali. Porro haec necessitas nequit esse *mere* moralis seu obligatio. Irenaeus fidenter asserit, cognita fide romana, eo ipso cognosci fidem unanimem totius ecclesiae orthodoxae. At haec unanimitas universalis nequit certo cognosci ex mera obligatione adhaerendi fidei romanae, quippe cui possunt multi deesse. Ceterum haec obligatio non minus obstringit ecclesias haereticas et schismaticas. Agitur ergo de obligatione quae supponitur certo impleta, ut recte ait Savio, de necessitate *facti impleti*. Porro certitudo facti impleti inde habetur, quod ecclesia romana propter suam potentiorem principalitatem constituitur *centrum orthodoxiae oecumenicae,* cui necessario sit adhaerendum necessitate tum naturali, tum morali. Primo quidem necessitate naturali seu logica, quia nulla ecclesia potest esse vere orthodoxa nisi adhaereat centro universali divinitus constituto; dein etiam necessitate morali, quia omnes fideles et ecclesiae tenentur adhaerere ecclesiae centrali. Res tota clarescet sequenti exemplo. Christus est unicum nomen in quo oportet nos omnes salvos fieri. Ergo necesse est omnem christianum ei adhaerere. Quali necessitate? Duplici: primo quidem *naturali* seu logica, quia nemo potest esse genuinus chistianus nisi Christo incorporatus; dei *etiam morali,* quia omnis homo graviter obligatur adhaerere unico et necessario medio salutis. Simile quidpiam recurrit in nostro casu. Cathedra episcopalis Petri, quae per succesionem facta est romana, est unicum fundamentum (visibile) super quod Christus aedificavit *totam* suam Ecclesiam: huic factae sunt sollemnes promissiones perennis indefectibilitatis. Hinc oritur necessitas naturalis (supposita divina institutione) adhaerendi huic fundamento, citra quod nulla potest esse vera ecclesia orthodoxa; at haec necessitas est (consequenter) etiam moralis, quia ii qui sunt undique fideles tenentur adhaerere petrae

fundamentali a Christo constitutae. Ex praeiacta analysi facile concludes soliditati argumentationis minus consulere eos qui statuunt penes Irenaeum necessitatem *mere* moralem, quam illos qui in necessitate naturali premenda magis insistunt. Illud etiam sequi videtur hanc necessitatem apud Irenaeum esse *directe* logicam, *indirecte* moralem. Exempla necessitatis unius ad alium, vel ut medii ad finem, vel ad aliquem effectum obtinendum videsis in Irenaeo (MG. 7, 441, 505, 641, 512, 657, 705, 731, 757, 761, 784, 815, 930, 960 etc.).

In qua

Ecclesia « *in qua* » semper est conservata ea quae est ab apostolis « traditio » intellecta semper fuit *romana* tum a catholicis, tum etiam a protestantibus. Huic tamen interpretationi valedixere iam turmatim critici liberales, quibus accesserunt nonnulli etiam catholici. At haec nova sententia, referens particulam « in qua » ad ecclesiam *universam*, laborat duplici gravi difficultate: *a*) Primo quidem vitari vix potest in ea durior quaedam tautologia: cum ecclesia romana debet consentire universa ecclesia, in qua universa ecclesia ab universa ecclesia conservata est... *b*) Nec valet in hac sententia ulla apta ratione explicari praesentia particulae *semper*. Necessitas quippe logica consentiendi cum orthodoxia romana inevitabiliter verificatur in iis ecclesiis quae *non semper* fuerunt orthodoxae; sufficit ut *nunc* de facto sint tales. Porro rationes, quae ab his criticis urgentur contra priorem ac traditionalem sententiam, nullius fere momenti sunt. Dicunt 1°: Particula relativa cohaeret cum subiecto proximiori, quod in nostro casu est ecclesia non romana, sed universa. At responsio in promptu est. Particula relativa cohaeret cum subiecto proximiori proximitate ideali et logica, C., proximitate mere materiali et locali, N. Dicunt 2°. Si particula « in qua » referatur ad ecclesiam romanam, Irenaeus dixisset fidem conservari puram in ecclesia romana ab iis qui sunt undique fideles. Atqui custodes orthodoxiae romanae exhibentur ab Irenaeo non fideles extranei, sed episcopi succedentes Petro et Paulo. Ergo... Mirum iure videri possit quantopere haec difficultas criticos etiam catholicos, ceteroquin optimos, vexarit. At obiectio subito evanescit facta simplici

observatione nostris maioribus familiari. Irenaeus asserit ceteras ecclesias conservare puram doctrinam apostolicam *in ecclesia romana* non sane suo influxu activo et doctrinali, quo hanc ecclesiam erudirent et ab errore praeservarent, sed suo accessu et adhesione ad « eam quam habet [ecclesia romana] ab apostolis traditionem et *annuntiatam hominibus* fidem » (l. 3, c. 3, n. 1). Particula ergo *in* habet sensum causalem et aequivalet sive latinae *per*, sive graecis διὰ, ἐπί, etc. Nec id debet videri novum atque insuetum, quum plurima exstent similis structurae ac significationis exempla. Sic in s. scriptura Irenaeo tantopere assueta: « Non *in solo pane* vivit homo, sed *in omni* verbo, quod procedit de ore Dei » (Mt. 4, 4). « Quod si sal evanuerit, *in quo salietur?* » (ib. 5, 13). « *In principe* daemoniorum eiicit daemonia » (Mc. 3, 22). « Dic nobis *in qua potestate* haec facis » (Lc. 20, 2). « *In hoc* cognoscent omnes quia discipuli mei estis...» (Io. 13, 35). « Non est *in aliquo* alio salus. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus *in quo* oporteat nos salvos fieri...» (Act. 4, 12). « Si *in vobis* iudicabitur mundus ... » (I Cor. 6, 2). « Sumentes scutum fidei *in quo* possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere » (Eph. 6, 16) etc. etc.

Sic etiam in Traditione. Formula Hormisdae habet: « Quia *in sede apostolica* citra maculam semper est catholica servata religio ». (DB. n. 171). Item Optatus Milevitanus: « Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam... *in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur* » (R. J. n. 1242).

Sic etiam in ipso Irenaeo: « Per Verbum *per quod* Deus perfecit conditionem, *in hoc* et salutem iis qui in conditione sunt, praestitit hominibus » (l. 3, c. 11, n. 1), et alias saepissime. Cfr. MG. 7, 444, 471, 475, 531, 558, 703, 824, 860, 862, 877, 932, 950, 965, 977 etc. etc.

Ceterum obiectio habet facilem retorsionem: Si particula « in qua » referatur ad ecclesiam universam, Irenaeus asseruisset fidem seu traditionem apostolicam conservari puram in singulis ecclesiis *per fideles.* Atqui constans est Irenaei doctrina de traditione asservata in ecclesiis *per episcopos* apostolorum successores. Ergo ...: Praefata fidei conservatio fit tum ab episcopis (docendo)

tum a fidelibus (credendo). Similiter omnes ecclesiae dicuntur conservare fidem *in ecclesia romana* acceptando nempe symbolum fidei quam pastores romani hominibus ». Hanc talem fidem episcopi praedicant in ecclesiis, fideles vero devota mente suscipiunt.

Haec quum ita sint, iure miraberis morosam criticorum difficultatem in admittendo hoc sensu causali, quem ceteroquin totus contextus reclamare videtur, et aptam confirmationem habet in allato ab Irenaeo exemplo ecclesiae corinthiacae, cuius turbatam fidem et pacem reparavit Clemens romanus scribendo ad illam ecclesiam potentissimas litteras. Ecclesia corinthiorum servavit fidem et pacem *in ecclesia romana* non certe ullo in eam exercito magisterio, sed sua ad eam adhaesione et subiectione.

Conclusio

a) Integra Irenaei sententia ex disputatis sic posset paucis efferri: Duplex adest via traditionis apostolicae et universalis certo cognoscendae. Una longior posita in recensendis omnium ecclesiarum successionibus apostolicis; altera brevior sita in recensenda successione romana. Quae quum sit ratione suae originis Petrinae omnium ecclesiarum suprema et infallibilis, evidens est cum ea consentire ceteras omnes vere orthodoxas. Haec profecto est ecclesia centralis in qua semper hi qui sunt ubique genuini Christiani suam fidem illibatam servavere. Ubi 1° proclamatur *principium iuridicum* de potentiore principalitate romana. — 2° adnotatur *effectus* huius principii, quae est necessitas tum logica tum moralis consensionis universalis. — 3° additur totius rei *confirmatio historica* et demum extollitur *efficacia* huius « plenissimae ostensionis ». Facile advertes pondus probationis praevalenter reponi in *potentiori principalitate.*

b) Quaeri potest num e testimonio Irenaei probetur suprema potestas *magisterii* tantum, an etiam iurisdictionis; respondendum putamus: Irenaeus directe et principaliter agit de potestate magisterii, at non exclusive. Sane potentior principalitas romana ex dictis significat potentiorem potestatem apostolicam et episcopalem in Petro (et Paulo) originatam, ad presbyteros seu episcopos romanos successione transmissam. Potestas porro epi-

scopalis secundum Irenaeum est tum magisterialis tum regiminis. Nec vis argumenti pro primatu romano evacuatur aut obscuratur ex eo, quod testimonio ecclesiae romanae subito additur testimonium Polycarpi et caeterarum ecclesiarum in Oriente. Etenim sicuti supremae potestati Petri recte additur societas Pauli, Doctoris gentium; sic etiam praecellenti ac potentiori testimonio romano opportune adduntur testimonia aliarum ecclesiarum apostolicarum, quum haec quoque sint aptissima ad refutandos errores Gnosticorum. At sibi ecclesiae romanae tribuit Irenaeus potentiorem principalitatem, et inde derivatam necessitatem consensionis universalis.

c) Quaeri rursus potest num e testimonio Irenaei probetur non tantum potestas episcopalis suprema, sed etiam *plena;* aliis verbis, num testimonio Irenaei satisfiat in sententia Gallicana... Dubitari forsan possit num Irenaeus sibi hoc problema clare proposuerit. Quidquid sit hac de re, Irenaeus aperte supponit episcopi et ecclesiae romanae infallibilitatem (ex sese), id quod Gallicani et Conciliaristae negabant. Id demum notandum, pro nostro scopo apologetico plene sufficere talem primatum iuridicum, quo Romana ecclesia constituatur centrum communionis ecclesiasticae necessario adeundum, id quod vel ipsi Gallicani admittebant.

d) Testimonium Irenaei est vere pretiosum. Ipsius momentum petitur primo ex eius antiquitate: Irenaeus medio Polycarpo cohaeret cum aetate apostolica; dein ex praeclara huius viri eruditione et auctoritate theologica; demum ex infracta ipsius tenacitate in conservanda traditione apostolica. Accedit ipsa testimonii sollemnitas simul et claritas, quae maior est, quam ut possit ullis tergiversationibus obscurari. Habemus hic signum levatum in culmine saeculi secundi, ea quae retro sunt illuminans, his quoque quae posteriora sunt suam lucem effundens.

Victor in controversia paschali

Nova primatus romani indicia recurrunt occasione controversiae paschalis. Aderat inter ecclesias vetus quaedam discordia cuius obiectum videtur fuisse triplex: primo quidem et maxime quaestio erat de *die Paschatis* celebrandi; dein de *forma ieiunii* praece-

dentis; demum de ipsa, ut videtur, primaria significatione festi Paschalis. « Pour les Asiates la fête de Pâques était l'anniversaire de la mort du Christ; pour les autres, l'anniversaire de sa resurrection » scribit Batiffol. Victor episcopus romanus totam hanc discordiam et difformitatem tollere demum satagit. Hinc iubet conventus seu synodos episcoporum indici in ecclesia universa. Exhortationi addidisse minas quoque excommunicationis contra resistentes verisimile fit ex responso Polycratis ephesini ad Victorem: « nihil moveor iis, quae nobis *ad formidinem intentantur* ». Cuncti obediunt mandato vel hortationi Victoris, ecclesiis asianis minime exceptis. Cuncti recipiunt praxim romanam de paschate celebrando die *dominica* proxime subsequente 14 mensis Nisan Soli episcopi asiani = (Asiae proconsularis) duce Polycrate retinent praxim quatuordecimanam. Appellant ad traditionem apostolicam: « Etenim in Asia magna quaedam lumina extincta sunt... Philippus scilicet, unus e duodecim apostolis... Praeterea Ioannes qui in sinu Domini recubuit... Polycarpus quoque, qui apud Smyrnam episcopus et martyr fuit... Hi omnes diem paschae quarta decima lune *iuxta evangelium* observaverunt, nihil omnino variantes, sed *regulam fidei* constanter sequentes » (Apud Eusebium, Hist. eccles. 5, 24, 1-8). « His ita gestis, scribit Eusebius, Victor quidem Romanae urbis episcopus illico omnes Asiae vicinarumque provinciarum Ecclesias tamquam *contraria rectae fidei* sentientes a communione τῆς κοινῆς ἑνώρεως abscindere conatur; datisque litteris universos qui illinc erant fratres proscribit et ab unitate Ecclesiae prorsus alienos esse pronuntiat. Verum haec non omnibus placebant episcopis. Proinde Victorem ex adverso hortati sunt, ut ea potius sentire vellet quae paci et unitati caritatique erga proximum congruebant... Ex quorum numero Irenaeus in epistula quam scripsit nomine fratrum quibus praeerat in Gallia, illud quidem defendit, sola die Dominica resurrectionis Domini mysterium esse celebrandum, Victorem tamen decenter admonet, ne integras Dei Ecclesias, morem sibi a maioribus traditum custodientes a communione abscindat » (o. c. 5, 24, 9-18). Reliquum est ut et factis *conclusiones* derivemus, quae possunt ad sequentia revocari.

a) Primo quidem Ecclesia romana apparet ut *centrum commercii* epistolaris in ecclesia universa. « Rome apparaît ici comme le centre reconnu des relations interecclesiastiques. Et ce sont les évêques de Palestine qui l'attestent » (Batiffol, Eglise naissante (1919), p. 271 in nota).

b) Victor habet conscientiam claram de munere et officio ad se spectante unitatis disciplinaris in ecclesia universali procurandae.

c) Victor habet ulterius conscientiam suae potestatis ad excommunicandas integras ecclesias orientales et apostolicas. Notetur sedulo, id quod iam advertit Harnack, hic agi de excommunicandis ecclesiis orientalibus non tantum a communione ecclesiae seu communitatis romanae vel occidentalis, sed ab integra communione Ecclesiae universalis.

f) Irenaeus et alii episcopi agnoscunt hoc tale ius in Victore; siquidem minime accusant illum de usurpata sibi indebita potestate, sed de usu fortiori huius potestatis queruntur, illumque decenter simul et fortiter hortantur, ut ea potius velit sentire et agere quae pacis sunt.

e) Invictum inde argumentum pro primatu romano iure meritoque critici deducunt. Audiantur aliqui insigniores.

Battifol: Mais combien il est remarquable que l'évêque de Rome, vers 190, prononce, par une sorte d'édit péremptoire, l'excommunication des eglises de la province d'Asie, églises apostoliques et vénérables dont l'évêque d'Ephèse est le porte-parole! L'évêque de Rome condamne leur observance pascale comme un usage contraire au canon de la foi apostolique. L'évêque de Rome a donc conscience qu'une telle sentence de sa part est légitime. Irénée proteste contre l'excommunication des Asiates par Victor, mais il ne songe a contester a Victor le pouvoir de prononcer une telle excommunication ». o. c. p. 273-74.

L. Spikowski: « Ce qui est ici le plus interessant, c'est qu'il [Irénée] ne conteste pas à Victor le droit d'intervenir dans cette question et de frapper de censures les communautés qui ne veulent pas se rallier à ses ordres. En s'efforçant de modérer l'autorité romaine, l'évêque de Lyon en atteste la puissance et la réalité. Saint Irénée est donc un témoin de la place prépondérante

que tenait, au seconde siècle, l'Eglise romaine. Il fut, en fait, le défenseur de sa primauté, comme il l'avait affirmée en theorie». La doctrine de l'Eglise dans Saint Irénée (1926), p. 97.

I. Chapmann: «Il [Irénée] tnait lui-même avec la Gaule, quoique Asiatique d'origine, le sentiment de Victor. Cependant il l'éxhorte à apaiser sa colère et à ne point séparer de l'unité catholique ceux qui s'appuyaient sur une tradition apostolique dans une maitère de simple discipline. Il ne dispute point le pouvoir de Victor, mais il improuve l'usage qu'il veut en faire. Il lui rappelle que ses prédécesseurs, dont il donne les noms n'ont pas considéré cette difference comme si importante, qu'elle dût empêcher la communion ecclésiastique. Evidemment S. Irénée pensait que les Papes antérieurs auraient eu le droit de faire comme Victor s'ils avaient pensé comme lui. Voilà la *potentior principalitas* de l'Eglise Romaine en acte; et voilà aussi sa position démontrée comme centre de l'unité de l'Eglise» Revue Bénédictine (1905), p. 63.

Duchesne: «Comment veut-on que nous parlions, si l'on nous intendit de désigner par le nom de chef de l'Eglise le dépositaire d'une pareille autorité? Eglises séparées, p. 144.

A. Harnack: «Quomodo potuisset Victor tale excommunicationis edictum minitari, nisi iam fuisset *communiter agnitum* ad Romanam spectare ecclesiam definire conditiones communis unitatis, in iis rebus in quibus de fide agebatur». Dogmengesch. V. I., p. 368.

Ipse Renan non veretur scribere occasione controversiae paschalis: «La papauté était née et bien née».

Dices: Polycrates tandem restitit mandato Victoris. Ergo supremam huius potestatem non agnovit. — Resp. *a*) Ex mera inobedientia in subdito nequit demonstrari defectus agnitae potestatis in superiore: *b*) *Polycrates* restitit in convocanda et celebranda synodo ad normam iniunctionis aut petitionis romanae, N., in recipiendo more romano celebrandi Pascha die domenica subd.; quia non agnoscebat potestatem supremam Victoris in iis quae sunt conformia iuri divino, P. prob. Polycrates cum suis videtur putasse morem asianum inniti legi evangelicae, ut apparet ex iis quae scribit in sua ad Victorem epistula: «Hi omnes diem Paschae

quartadecima luna *iuxta evangelium* observaverunt, nihil omnino variantes, sed *regulam fidei* constanter sequentes ».

Tertullianus

Duplex testimonium pro primatu romano ex Tertulliano afferri consuevit: unum ex l. de Pudicitia, c. 1, ubi sermo est de Pontifice maximo, episcopo episcoporum edente decretum peremptorium (pro remissione peccatorum etiam graviorum). At de validitate huius argumenti dubitari merito potest. Non enim sufficienter constat utrum episcopus episcoporum sit *Calixtus* e. romanus, ut non pauci nec ignobiles critici opinantur (Batiffol, Bardenhewer, d'Alés, Lagrange...), an potius *Agrippinus* e. cartaginiensis, ut aliis videtur (Adam, Bardy, Galtier, Ehrhard...); hinc ab hoc testimonio abstinendum censemus.

Tutiorem et clariorem argumentandi viam suggerit alterum testimonium Tertulliani scribentis contra Praxeam: « Idem [Praxeas] tunc episcopum romanum agnoscentem iam prophetias Montani, Priscae, Maximillae et *ex ea agnitione pacem ecclesiis Asiae et Phrygiae inferentem,* falsa de ipsis prophetis et de ecclesiis eorum asseverando et praedecessorum eius auctoritates defendendo, coegit et litteras pacis revocare iam emissas et a proposito recipiendorum charismatum concessare. Ita duo negotia diaboli Praxeas Romae procuravit; prophetiam expulit et haeresim intulit; Paracletum fugavit et Patrem crucifixit... Et *nos* quidem postea agnitio Paracleti atque defensio *disiunxit a Psychis* » (= catholicis) ». Adv. Praxeam, ML. 2, 155 sq. Habes hic triplicis testimonii miram confluentiam: Praxeae, episcopi romani, Tertulliani:

Praxeas ex Asia Romam venit et episcopi romani interventum requirit ad plenam montanismi expulsionem ex Asia et Phrygia.

Episcopus romanus sibi tribuit potestatem dandi vel revocandi litteras pacis i. e. communionem ecclesiasticam haereticis orientalibus.

Tertullianus, id quod caput est, Tertullianus inquam *montanista* (!) clare agnoscit litteras pacis datas a Romano Pontifice habere vim sufficientem ad determinandam communionem haereti-

corum orientalium cum tota ecclesia catholica; aliis verbis, Tertullianus aperte exhibet Romanum Pontificem tamquam *arbitrum communionis* et orthodoxiae oecumenicae. Noteur Praxeam in suo colloquio et hortatione cum episcopo romano provocare, sicut olim Irenaeus cum Victore, *ad auctoritates praedecessorum* suorum; unde merito inferas alios quoque episcopos romanos in antecessum exercuisse suam potestatem primatialem condemnando haereticos Asianos.

Ad rem Batiffol: « Tertullien, Tertullien montaniste, n'hésite pas à écrire qu'il eût suffi que l'évêque de Rome se prononçât en faveur du montanisme pour que les évêques d'Asie et de Phrygie se réconciliassent avec lui, « *ex ea agnitione pacem ecclesiis Asiae et Phrygiae inferentem* ». Et il ne pardonne pas à Praxeas d'avoir persuadé l'évêque de Rome de renoncer à son projet de recevoir les charismes, si bien il croit que l'acquiescement de ce seul évêque eût décidé de la destinée ecclesiastique de la nouvelle prophétie ». In « Cathedra Petri » collectionis « Unam Sanctam », edit. du Cerf, 1938, p. 34.

Cyprianus

Quaestio de vera Cypriani mente circa primatum Petri et Romani Pontificis est vere difficilis, et ingenia criticorum mire exercuit. Varia doctorum positio in triplicem turmam distribui potest. — Alii exhibent Cyprianum fautorem cuiusdam primatus quem *chronologicum et typicum* appellant. Soli namque Petro Christus *prius* (Mt. 16, 18-19) conferebat potestatem ecclesiasticam omnem. Quam *deiceps* (Io. 20, 21) prorsus parem dabat caeteris Apostolis continuandam in Collegio episcoporum. Porro ratio praeelecti ac ditati Petri eo tota collineabat, ut *unitatem commonstraret,* quam Christus ecclesiae suae legem fundamentalem praestituebat; cuius tamen custodes et artifices forent episcopi pares inter se ac mutuo independentes, fraterna tamen ac solidaria connexione devincti, agente Spiritu pacis. Petrus ergo et *senior* in episcopatu, et unitatis ecclesiasticae *perenne symbolum.* Huius theoriae patroni praecipui sunt in Anglia Benson, in Gallia Turmel, in Germania Hugo Koch.

Altera sententia priori e regione opposita tribuit Cypriano primatum verae propriaeque iurisdictionis, cuius tamen plenitudinem ac vim integram aut non clare perspexerit, vel etiam praxi posteriori obscurarit. Haec sententia passim docetur ac vindicatur ab auctoribus catholicis.

Mediam quandam viam ingrediuntur hi quibus Cyprianus exstitit auctor primatus cuiusdam *realis* quidem, at *non iurisdictionalis.* Petrus non merus inchoator unitatis ac symbolicus repraesentator, sed verum ac reale ipsius principium, non tamen vi supremae iurisdictionis ceteris imponendae, sed plenitudine vitae ac potestatis in alios derivandae. Episcopatus originabatur *in* Petro, pullulabat dein *ex* Petro per temporum ac successionum vices, hinc manebat organice consertus *cum* Petro. Primatus ergo Petri *vere realis,* quippe qui exorbitat ordinem mere chronogicum et typicum, non tamen iurisdictionalis cum sit innixus totus, non tam iurisdictioni supremae, cui respondeat hierarchica subordinatio, quam plenitudini vitae ac potestatis, cui respondeat vinculum organicae connexionis = *primatus originis* seu primogeniturae. Hanc sententiam tuentur nonnulli critici recentes potissimum catholici inter quos facile eminet *B. Poschmann.* Huius triplicis positionis fundamenta breviter examinemus.

I.

Fundamenta primatus chronologici-typici

Primae theoriae fundamenta nemo melius ac copiosius exposuit, quam *H. Koch.* Hunc ergo cumprimis prae oculis habebimus in toto rei processu ac examine.

Primum ac princeps argumentum pro hac teoria desumitur ex l. de Unitate Ecclesiae, c. 4, quod in *editione recepta* sic habet: « Loquitur Dominus ad Petrum, ego dico tibi quia tu es Petrus... Super unum aedificat ecclesiam, et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat: sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Accipite Spiritum Sanctum..., tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. Hoc erant utique et ceteri

apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut Ecclesia Christi una monstretur ». Notat Koch formulam ecclesiae super unum Petrum aedificatae prorsus aequivalere formulae duplici subsequenti, qua plane clarificatur et plene exhauritur: « Unitatis originem ab uno incipientem » et « Exordium ab unitate proficiscitur ». Hinc fit breve et limpidum argumentum: Petrus eatenus ecclesiae fundamentum, quatenus est *origo incipiens* unitatis ecclesiasticae. Atqui eatenus praedicatur origo incipiens unitatis, quatenus merus ipsius in tempore inchoator. Ergo primatus Petri iuxta Cyprianum concluditur totus in ordine mere temporali. Atqui rursus temporalis Petri praeelectio eo a Christo ordinabatur, ut *unitatem manifestaret.* Ergo primatus petrinus est demum chronologico-typicus.

Resp. In hoc argumento omnia reapse limpide procedunt, nisi quod minor syllogismi propositio est aedificata non super petram, sed super arenam. Origo unitatis ecclesiasticae incipit certe ab uno Petro. At quo sensu? Mere chronologice? an etiam realiter? Koch *a priori* supponit primum, hinc semper vertit: mit Einem = *cum* uno, sed Cyprianus constanter asserit Ecclesiam esse aedificatam *super* unum = auf Einem; originem unitatis incipere *ab* uno, non *cum* uno.

Instas: saltem in nomenclatura cyprianica *origo incipiens ab*... prae se fert meram quandam prioritatem temporalem: Das Wort « origo » — ebenso die Präposition « ab » bezeignet eben bei Cyprian in diesem Zusammenhang nicht ein Ursächlichleits — und Abhängigkeitsverhältnis, sondern nur den zeitlichen Anfang, wie « exordium » und « caput » (Koch).

Resp. Rursus habemus meram et audacem assertionem absque ulla probationis specie. Vocem « origo incipiens » implicare apud Cyprianum principium quoddam *vere reale* invicte probatur ex iis quae scribit in ep. 73 (Hartel, p. 786): « Neque enim parva res haerecticis conceditur, quando a nobis baptisma eorum in acceptum refertur, cum *inde incipiat* omnis fidei *origo* et ad spem vitae salutaris ingressio...». Ergo a baptismo *incipit origo* omnis fidei. Agitur hic evidenter de origine fidei non subiectivae seu actus fidei, qui in adultis praecedit baptismum, sed obiectivae i. e.

de obiectis seu bonis magnificis baptismo generatis, quae statim ibi et fuse describuntur. Habes ergo *originem incipientem* significare penes Cyprianum verum et causale principium.

Replicabis: Sed Cyprianus asserit *ideo* Petro *prius* fuisse a Christo collatam potestatem, quam ceteri apostoli deinceps participarent, ut *unitatem Ecclesiae manifestaret*. Ergo Petrus pronuntiatur unitatis *typus*, non effector seu causa.

Resp. Huic difficultati similis esto responsio: Petrus praedicator verus unitatis typus, Transeat; *merus* unitatis typus, N. Christus non minus, sed *multo magis* manifestat unitatem Ecclesiae constituendo Petrum eiusdem unitatis verum ac reale principium, quam exhibendo eum ut merum ipsius symbolum. Ceterum id quod ostendit unitatem Ecclesiae non tam est ipse Petrus, quam modus agendi et disponendi ipsius Christi. « Nicht ein Typus ist also Petrus; sondern die *Handlungweise* Christi beweist und zeigt klar (manifestat, monstat) dass die Kirche von allen andern Vorzügen den der Einheit tragen muss ». *O. Cassel* in Rev. Bénéd. 1913, p. 415. Vides iam *primum ac princeps* argumentum Kochianum resolvi in puram petitionem principii.

Alterum argumentum desumitur a Koch ex libro « De habitu virginum » (Hartel, p. 188): « Quod si in scripturis sanctis frequenter et ubique disciplina praecipitur et *fundamentum* omne religionis et fidei de observatione ac timore *proficiscitur*... Ex quibus arguitur sic: Cyprianus expresse fatetur timorem Dei esse *fundamentum* religionis iuxta scripturas. Atqui scripturae aperte testantur timorem Dei esse *initium* sapientiae seu religionis. Patet id evidenter ex scripturis quas Cyprianus collegit in libro *Testimoniorum* III, cap. 20, cuius titulus sic habet: « Fundamentum et firmamentum spei et fidei esse timorem ». Statim afferuntur longa serie textus biblici quorum duo priores sunt sequentes: « *initium* sapientiae timor Domini » (Ps. 110, 11) — « *Initium sapientae metuere Deum* » (Prov. 28, 14). Ergo *fundamentum* pro Cypriano est initium praetereaque nihil.

Resp. Hoc argumentum quadruplici saltem pede claudicare deprehenditur:

a) Koch *omissit* scripturas citatas a Cypriano in contextu

antecedenti, et cucurrit ad alias scripturas quas Cyprianus citat in alio libro...

b) Koch *omissit* contextum proxime subsequentem ex quo clare apparet notio fundamenti: « Quod si in scripturis sanctis frequenter et ubique disciplina praecipitur et fundamentum omne religionis et fidei de observatione ac timore proficiscitur, quid cupidius adpetere, quid magis velle ac tenere nos convenit, quam ut *radicibus fortius fixis* et domiciliis nostris *super petram robusta mole solidatis* inconcussi ad procellas et turbines saeculi stemus? » Vides in disciplina et timore constitui a Cypriano *fundamentum,* quod minime sit mera et chronologica aedificii nostri spiritualis inchoatio, sed saxeum sustentaculum eidem tribuens *firmitatem* similem plantae quae terrae *altis radicibus* haeret.

c) Koch *omisit* rationem fundamenti a Cypriano positam in *disciplina et observatione.* Porro quale sit hoc tale fundamentum explicat dilucide Cyprianus in praecedentibus scribens: « Disciplina custos spei, retinaculum fidei, dux itineris salutaris, fomes ac nutrimentum bonae indolis, magistra virtutis, facit in Christo manere semper ac iugiter Deo vivere, ad promissa caelestia et divina pervenire » (Hartel, p. 187). Ubi rursus sermo est de fundamento non mere et temporaliter inchoante salutem animae, sed eam vere et realiter causante.

d) Quod attinet textus biblicos collectos a Cypriano in libro Testimoniorum III, timor Dei sane pronuntiatur *initium* sapientiae. At quale initium? Mere temporale? Nonne timor ad disciplinam impellens est sapientiae seu religionis initium ac fundamentum quodam vere reale? Perspexit difficultatem Koch. Qui sic sibi obicit: « Num könnte man sagen, dieser « Anfang » der Weisheit, die Furcht Gottes, bleibe auch stets der feste Untergrund der Weisheit, des Glaubens, der Hoffnung». Cui difficultati *aprioristicam* rursus responsionem impavide subiungit: « Aber Cyprian denkt nur (!) an den Anfang, von dem in den Schrifstellen die Rede ist ». Sed hanc miram *praecisionem* invenit Koch, non Cyprianus, qui eam nuspiam insinuavit, imo aperte exclusit, ut superius vidimus.

Tertium argumentum petitur ex libro « De bono patientiae » (Hartel, 10 p. 414). « Sic Abraham Deo credens et radicem ac

fundamentum fidei primus instituens ». En exegesim Koch: « Abraham war der erste Gläubige. Das radix ac fundamentum ist eine Verdoppelung oder sogar Verdreifachung vom *primus,* und es konnte einfach heissen: fidem primus instituens; oder radicem ac fundamentum fidei instituens. Das fidei ist each cyprianischer Genitivus explicativus oder appositivus ». Hinc argumentum: Fundamentum = primus. Atqui primus = initium temporale. Ergo fundamentum = primatus temporalis.

Resp. Iterum *a priori* confingitur radicem ac fundamentum esse verum duplicatum vel triplicatum vocis primus. Si « fidei » est genitivus explicativus seu appositivus, ergo ratio fundamenti praedicatur de ipsa fide, quae non est inchoatio mere chronologica salutis, sed vera *radix,* hinc reale salutis fundamentum. Hinc retorquetur ad hominem argumentum sic:

Primus = Fundamentum
Fundamentum = principium reale.
Ergo primatus = principium reale.

Koc argumento historico ac philologico finem imponit hisce sollemnibus verbis: « Alle diese Stellen zusammen ergeben den philologischen, ja nachgerade mathematischen Beweis (!) dafür, dass bei Cyprian die « Gründung der Kirche auf Petrus » lediglich in seiner Amstellung vor der übrigen Aposteln liegt und dass ein « Fundament » oder ein « Feils » in den späteren und heutigen Ausdeutung bei ihm keine Rolle spielt ». — Habes in superioribus unde iudices de hac philologica et *mathematica* demonstratione. Fundamentum implicare penes Cyprianum ideam *principii* verissime dicitur; at hoc principium intelligi a Cypriano sensu mere temporali gratis et falso toties repetitur.

Quartum ac novum argumentandi genus aggreditur Koch facta observatione sagaci = verba Christi apud Mt. 16, 18-19 continere (pro Cypriano) non meram *promissionem ecclesiae aedificandae* super Petrum, sed veram *realizationem ecclesiae aedificatae* super Petrum ita quidem, ut in Petro non sit inchoata tantum ecclesiastica structura, sed vero quodam sensu perfecta et cumulata « schon die ganze Kirche, sofern sie Inhaberin der

Schlüsselgewalt, Amtskirche, Bischofskirche ist ». Unde fit argumentum: Teste Cypriano in Petro solo iam est tota seu integra ecclesia. Atqui Petrus eatenus dici potest tota ecclesia, quatenus est typus seu imago repraesentans totalitatm ecclesiasticam. Ergo Petrus nequit dici verum ac reale totius Ecclesiae fundamentum, sed merus eiusdem typus seu imago. Totum hoc argumentum videtur Hugoni Koch adeo clarum ac manifestum, ut non vereatur de eo scribere: « Könnte die Typik, und zwar die ausschliessliche Typik Petri und seiner ersten Berufung noch deutlicher zutage treten? Wenn Petrus schon die ganze Kirche ist, so kann er doch offenbar nur ihr Typus, ihr Bild, ihre erste Erscheinungsform sein? ».

Responsio ad argumentum a quadam concessione incipiat oportet. Cyprianum vidisse in verbis Christi (Mt. 16, 18-19) non meram promissionem, sed veram potestatis collationem, concedendum omnino putamus. At difficultas tota stat in propositione minori quae Auctori nostro videtur evidens, quum reapse sit falsa, ut nunc ostendemus. Petrus ad mentem Cypriani potest et debet dici ecclesia *tota* non mere typice nec totalitate *extensiva,* sed totalitate *intensiva* seu virtutis, eo fere modo quo planta *tota* continetur in germine. Ipse quippe tenet *claves* regni caelorum i. e. vitam et potestatem ecclesiasticam totam, e cuius plenitudine orientur per temporum et successionum vices singulae sive apostolorum sive episcoporum potestates, hinc singulae ecclesiae locales. Quae ut facilius intelligas iuvari poteris perlucido exemplo primi nostri parentis Adami, *super quem* unum creator naturae aedificavit genus mumanum *totum.* In primo creationis momento humanitas *tota* continebatur in Adamo. Nihil quippe humanitatis extra ipsum erat, nec amplius nova quaedam humanitas vel huius pars a Deo *creabitur,* sed e plenitudine Adamica per temporum et generationum vices efflorescet posteritas tota. Primo quidem mulier plasmabitur e costa viri mirabili creatoris operatione, praesaga futuri. Ideo mulier vocabitur virago, quia de viro assumpta est; et ideo vir dicetur *caput* mulieris. Non enim vir e muliere, sed mulier ex viro. Vides iam quomodo argumentum adversarii possit facile dissolvi, imo et contra auctorem retorqueri. Posset enim quis concinnare ad normam Koch argumentum mirabiliter concludens:

Adam dicitur et est humanitas *tota.* Atqui eatenus Adam dicitur humanitas tota, quatenus eam repraesentat. Ergo Adam est merus humanitatis typus et figura (!). Tota confusio Koch inde originatur, quod in Petro considerat ein *ideales* Ganzes, quandam totalitatem *idealem* et invisibilem, quam Cyprianus numquam cogitavit, nuspiam insinuavit.

Sit ergo huius primae partis clara et tuta conclusio: Theoria primatus chronologici et typici: qualis exponitur et vindicatur a principe eius expositore et fautore, aedificata est tota non super petram robusta mole solidam, sed super arenam.

II.

Fundamenta primatus realis seu originis

Haec secunda theoria, qualis potissime exponitur a *B. Poschmann,* duplici parte constat: una *positiva* in qua statuitur assertus a Cypriano quidam primatus realis seu fontalis, altera *negativa* in qua excluditur omnis primatus iuridicus a Cypriano admissus. Utraque pars examinanda est.

A. *Exponuntur argumenta in favorem primatus realis.* Prima argumentandi inchoatio inde peti posset, quod Christus, uti notat Kneller, *sua auctoritate* disponendo ut omnis unitatis origo incipiat in Ecclesia ab uno Petro, *verum actum iurisdictionis exercuit.* Porro hoc auctoritatis exercitium explicatur multo clarius et concinnius in nostra hypothesi primatus cuiusdam realis, cui respondeat in aliis vera quaedam dependentia, eo videlicet sensu quod Christus, collocato in uno Petro omnis potestatis ecclesiasticae fonte seu principio, eo ipso prohibuit omnem aliam potestatem ecclesiasticam non derivatam e fonte petrino per legitimas successionum vices. Huius praecise violati praecepti redarguuntur qui « se ultro apud temerarios convenas *sine divina dispositione* praeficiunt, qui se praepositos sine *ulla ordinationis lege* constituunt, qui *nemine episcopatum dante* episcopi nomen assumunt » (cap. 10 l. de Unitate, Hartel, p. 218-219). Contra vero, realis auctoritatis exercitium difficilius intelligitur in hypothesi primatus cuiusdam mere typici. Nonne incongruum prorsus videatur *prae-*

cipere ut unum sit alterius typus seu symbolum? Quis attentare ausit contra hoc tale praeceptum?

Alterum argumentum suggerit ipsa consideratio obvia capitis quarti de Unitate Ecclesiae. Cyprianus instituit contra schismaticos Africanos « probationem ad fidem facilem compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi quia tu es Petrus... *Super unum* aedificat Ecclesiam...». Petrus ergo est pro Cypriano *verum et unicum* fundamentum (visibile) *totius* Ecclesiae. Porro notio cyprianica fundamenti, qualis apparet cum in libro De habitu Virginum (ut superius vidimus), tum vel maxime in hoc libro De unitate ecclesiae (cc. 2, 5 et 9) suggerit ideam non meri initii temporalis, sed firmatis quoque atque immotae cuiusdam soliditatis. Eandem soliditatis ideam premit in sua epistula Firmilianus, apud quem norunt omnes resonare Cyprianum, scribens: « nec permanet (Stephanus) in fundamento unius ecclesiae, quod semel a Christo *super petram solidata est* » (Hartel, p. 820). Nec apparet quomodo Petrus sit fundamentum *totius* ecclesiae, si ceteri apostoli recipiunt directe ab ipso Christo eandem potestatem e fonte petrino non derivatam, nec ullatenus ab eo pendentem. Nonne duodecim reapse forent fundamenta Ecclesiae?

Haec obvia capitis quarti interpretatio illustrem intellectum ac confirmationem obtinet in subsequenti contextu capitis quinti, quod sic habet: « Quam unitatem tenere firmiter ac vindicare debemus maxime episcopi, qui in ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus. Nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidei veritatem perfida praevaricatione corrumpat. Episcopatus unus est cuius a singulis pars in solidum tenetur. Ecclesia una est quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, quomodo solis radii multi, sed lumen unum, et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum, et quum de fonte uno rivi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, *unitas tamen servatur in origine*. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit; ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: a fonte praecide rivum, praecisus arescit. Sic et Ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit;

unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluenter largiter rivos latius pandit: unum tamen caput, et origo una, et una mater fecunditatis successibus copiosa: illius faetu nascimur, illius lacte nutrimur, eius spiritu animamur » (Hartel, p. 213-214).

Habes hic capitis quarti illustre commentarium ab ipso Cypriano concinnatum. Quod quum sit sive levius consideratum, sive praepostere intellectum, a diebus exortae controversiae probatio ad fidem facilis vim patitur, et cyprianicum veritatis compendium longos tractatus provocat. Ad primigeniam ergo simplicitatem redeundum. Ex unitate Ecclesiae descripta in capite quarto(cuius nempe origo *ab uno Petro incipit,* Cyprianus ostendit ipsum *quoque* episcopatum esse unum. Ideo episcopatus unus, quia Ecclesia una; Ecclesia ideo una, quia origo una; ideo una origo, quia ecclesia *tota super unum Petrum* aedificata. Ergo episcopatus ideo demum unus, quia ab uno fonte petrino derivandus. Ideo possessio episcopatus *in solidum* tam vehementer contra eos premitur, quorum attenta potestas, quippe quae sit *ex alia origine exorsa,* nequit coalescere in solidum cum vero ac genuino episcopatu *super unum Petrum* divinitus constituto. Hi reapse « *nemine episcopatum sibi dante,* episcopi nomen accipiunt » (c. 10).

Ad hanc unitatis ecclesiasticae originem rursus et valde logice rivertitur Cyprianus in contextu subsequenti: « Ecclesia una est quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur ... ». Ubi recurrunt notae illae ac elegantes comparationes e sole, arbore ac fonte mutuatae. In quibus accurate distinguas elementum triplex: multitudinem, unitatem, originem unitatis. In sole habes radiorum *multitudinem,* luminis *unitatem,* unitatis *originem* seu irradiatorem unum, quod est corpus solare. In arbore adest ramorum multitudo, roboris unitas, roboris unius origo una tenaci radici fundata. Similiter in tertio exemplo quod est de fonte: ubi recurrit multitudo rivulorum, numerositas una, origo unitatis seu fons unus. In his omnibus diffusae multitudinis *unitas servatur in origine.* Simile quidpiam videre est in Ecclesia, ubi habetur fidelium, ecclesiarum, episcoporum multitudo, episcopatus unus, robur ecclesiasticum unum, huius unitatis radix una i. e.

caput unum, origo, una, mater una fecunditatis successibus copiosa... Quis non videt caput unum, originem unam esse Petrum *super quem unum Christus* totam suam Ecclesiam aedificavit? Ergo sit iam argumentum in forma: Sic se habet Petrus respectu unitatis ecclesiasticae et episcopalis, sicut se habet corpus solare respectu unitatis luminicae, radix respectu unius roboris vitalis, fons unus respectu numerositatis unius. Atqui sol, radix, fons sunt non merum initium temporale, sed vera causa unitatis in lumine, arbore et massa aquae. Eergo Petrus est fundamentum Ecclesiae eiusque unitatis non mere temporale et typicum, sed vere reale et causale.

Quartum argumentum dabit epistula 43ª scripta eodem fere tempore quo scriptus fuit liber de Unitate Ecclesiae i. e. anno 251. Dirigitur ad plebem universam, eoque tota tendit, ut stantes confirmet, lapsos in spem erigat, omnesque a periculo avertat, quod proxime imminet e parte Felicissimi eiusque satellitum, quibus cum « parum fuisset corrupisse quorundam confessorum mentes et adversus sacerdotium portionem ruptae fraternitatis armare voluisse, nunc se ad lapsorum perniciem venetata sua deceptione verterunt... qui adulterinis doctrinis ecclesiae pudicitiam corrumpere et veritatem evangelicam violare conantur ». His iterum opponit probationem ad fidem facilem compendio veritatis: « Deus unus est, et Christus unus et una ecclesia et *cathedra una* super Petrum Domini voce fundata. Aliud altare constitui, aut novum sacerdotium (episcopatus) fieri praeter unum altare et unum sacerdotium non potest; quisquis alibi collegerit, spargit; adulterum est, impium est, sacrilegum est quodcumque humano furore instituitur ut divina dispositio violetur » (Hartel, p. 594). Quibus novo lumine collustratur laudatum caput quartum et quintum de Unitate. Ibi docuerat totam Ecclesiam super unum Petrum esse aedificatam. Nunc ulterius explicat quid ferat formula ecclesiae aedificatae super unum Petrum = *unam nempe cathedram episcopalem.* Porro eatenus cathedra episcopalis dicitur et est una eaque super Petrum aedificata, quatenus nulla alia cathedra episcopalis potest esse in universa ecclesia, quae non sit derivata ex hac una cathedra Petrina. Hic non agitur de inculcanda concordi fraternitate, qua singuli sive fideles sive episcopi

cohaereant inter se, sed de extollendo et vindicando *unico fonte* episcopatus. Ex unitate cathedrae super Petrum divinitus constitutae non deducitur necessitas unionis moralis inter fideles, sed impossibilitas novi altaris et novi sacerdotii seu episcopatus. Patet ergo primatum Petri implicare non meram prioritatem chronologicam et typicam, sed verum ac reale principium unitatis ecclesiasticae et episcopalis.

Quintum argumentum harmonice cohaeret cum praecedenti. Petitur ex epistula 33, cuius consciptio tempore praecedit librum de Unitate Ecclesiae. Quamvis careat titulo denotante destinatarios, oratio tamen contexta clare ostendit eam esse scriptam contra *quosdam lapsos*, quorum effrenem temeritatem carpit, quippe qui *ecclesiae nomine* litteras audacius ad Cyprianum conscribere atque intempestivum in Ecclesiam ingressum insolenter reclamare sategerant. Horum ut turgidam temeritatem notet atque redarguat, appellat Cyprianus ad divinam Ecclesiae constitutionem: « Dominus noster cuius praecepta metuere et servare debemus, episcopi honorem et ecclesiae suae rationem disponens in evangelio loquitur et dicit Petro: ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam... Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et ecclesiae ratio decurrit ut ecclesia super episcopos constituatur et omnis actus ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. Cum hoc ita divina lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere voluisse ut ecclesiae nomine litteras facerent, quando ecclesia in episcopo et clero et omnibus stantibus sit constituta » (Hartel, p. 566 sq.).

Vix opus est notare hic non agi de significanda et vindicanda *ecclesiae unitate*, sed de explicanda et defendenda ecclesiae *divina constitutione*. Divina haec constitutio exhibetur verbis evangelicis quibus ecclesia tota perhibetur aedificata super Petrum. Ergo formula ecclesiae aedificatae super Petrum implicat apud Cyprianum *erectionem episcopatus;* at episcopatus ecclesiasticus debet necessario esse *Petrinus,* quippe ex quo derivatur totus *per temporum et successionum vices*. Petrus ergo non tantum *senior* in episcopatu, sed *verus fons totius episcopatus*. Singuli episcopi serie non interrupta ascendunt non ad apostolos tantum, sed ad ipsum Pe-

trum. Inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio decurrit. *Primatus ergo Petrinus rursus non mere chronologicus, sed vere realis i. e. fontalis.*

Sextum argumentum mutuare iuvat ex epistula 59[a] ad Cornelium episcopum romanum scripta. Agitur de causa Felicissimi, qui Cyprianum accusaturus Romam venerat stipatus caterva et factione desperatorum. Texit longam seriem criminum quibus hi homines implicati sunt, et merito stupet insolentem ipsorum audaciam. Etenim « post ista adhuc insuper pseudoepiscopo sibi ab haereticis constituto, navigare audent, et ad Petri cathedram atque *ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est* ab schismaticis atque profanis litteras ferre nec cogitare eos esse romanos, quorum fides apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum » (Hartel, p. 683).

Pericope haec proxime agit de *ecclesia romana.* At ea, quae de hac ecclesia proferuntur, talia sunt ut primatus Petrini indolem realem luce clarius commonstrent. Sane ecclesia romana pronuntiatur principium unitatis sacerdotalis seu episcopalis, idque *ratione cathedrae Petri.* Sed notum est ecclesiam romanam non posse dici principium *chronologicum* unitatis episcopalis, quum non sit *senior in episcopatu.* Remanet ergo ut sit huius unitatis principium quoddam vere reale. Atqui talem principatum ex cathedra Petri mutuare nullatenus potuisset, si primatus Petrinus fuisset ordinis mere temporalis. Tenet hic certe trito sermone vulgatum adagium: « Propter quod unumquodque tale, et illud magis. Quod si in vulgarem et planiorem sermonem vertimus, obtinetur simplex ac palmarium argumentum: Nemo dat quod non habet. Sed cathedra Petri confert ecclesiae romane primatum quendam vere realem (non dico iuridicum). Ergo primatus in cathedra Petri implicatus nequit coarctari ad ordinem mere temporalem et typicum.

Terribilis est locus iste contra Koch, qui vim argumentationis vivide persentit. Quam quum non possit declinare per consueta subsidia historico-philologica, audacter ingreditur in novum atque *robustius* argumentandi genus. Candide fatetur verba Cypriani in sensu obvio et proprio sumpta repugnare theoriae primatus mere chronologici. At contendit hunc sensum obvium esse

impossibilem. Ergo formula ecclesiae romanae unitatem episcopalem originantis *indiget sana interpretatione.* Quam si quaeras, invenies; si petas, dabit tibi Koch pulchre concinnatam sic: In praefata pericope: — Petri cathedram atque ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est — sicut vox « ecclesiam » refertur ad « cathedram », sic vox « principalem » refertur ad vocem « Petri ». Forte miraris hanc singularem referentiam, sed vult Koch consideres hanc *constructionem ad sensum,* in qua adiectivum « principalem » tenet locum substantivi « principis ». Quo posito et retento, habetur sensus rationalis, concinnus, prorsus cyprianicus — Petri *cathedram* et ecclesiam *principis* unde unitas sacerdotalis exorta est. Vides iam originem unitatis reponi non in ecclesia romana, sed in Petro. Quaeres forsitan num haec *constructio ad sensum,* ubi adiectivum tenet locum substantivi, sit Cypriano familiaris et consueta. Koch sincere fatetur se nullum tale exemplum in ipso Cypriano reperire potuisse. Habemus ergo Hugonem confitentem: *a*) Formulam cyprianicam in sensu obvio sumptam non posse componi cum hypothesi primatus mere chronologici; *b*) Formulam a se inventam ad restituendum novum sensum esse *litterarie* anticyprianicam... Ubi criticus ad tuendam praeconceptam theoriam constringitur recurrere ad ista subsidia semichirurgica, sat clare ostendere videtur se agere causam *vix non desperatam.*

B. — *Argumenta Poschmann contra primatum iuridicum.*

Primum argumentum desumitur ex c. 4 libri de Unitate Ecclesiae: Ubi Cyprianus videtur explicite negare primatum iurisdictionis in Petro scribens: « Super unum aedificat ecclesiam, et quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam *parem potestatem tribuat* et dicat sicut misit me Pater... Hoc erant utique et ceteri apostoli quod fuit Petrus, *pari consortio* praediti et honoris et potestatis ». Unde arguitur: Primatus implicat iurisdictionem supremam i. e. quae nullam patitur potestatem in societate maiorem aut parem. Atqui Cyprianus expresse fatetur apostolos accepisse a Domino potestatem *parem.* Ergo indubie negat primatum.

Resp. Difficultas certe gravis est, at non videtur prorsus insolubilis. Distinctio ab auctoribus afferri passim solita inter potestatem *apostolicam* et primatialem aliquatenus aprioristica mihi videtur; hinc nova solutionis principia subiungo:

a) Primo quidem dubitari potest num vox « parem » sonet perfectam *aequalitatem,* an potius *similitudinem.* Dubitationi ansam praebet nomenclatura Cypriani. Qui non semel parem sumit pro simili. Accipe exemplum evidens ex epistula 52[a] (Hartel, p. 618), ubi de Felicissimo asseritur quod « cum sua tempestate Romae quoque ad evertendam ecclesiam navigans *similia illic et paria* molitus est ». Attamen subito additur: « plane quoniam prae sua magnitudine debeat Carthaginem Roma praecedere, illic *maiora et graviora* commisit ». Vides eadem crimina vocari nunc paria, nunc maiora et graviora. Ergo vox « parem » potest significare « similem ».

b) Hanc paritatem reapse non esse absolutam, sed relativam probatur ex ipso contextu, ubi potestas Petri est *originans,* potestas vero apostolorum est *originata.* Nonne eodem modo posset dici: Hoc fuit Eva quod Adam pari consortio praedita et honoris et naturae, sed exordium incipit ab Adamo? Porro Paulus (I Cor., 11 et Ephes. 5, 22-23) vel ex hoc respectu Evae ad Adam deducit subiectionem mulieris ad virum. Item dici posset: Hoc sunt rami quod truncus, pari consortio praediti et roboris et vitalitatis: nihilominus rami pendent a trunco, et non viceversa.

c) Rursus dubitari potest num Cyprianus primario agat de potestate iurisdictionis in foro externo, an potius de potestate sacramentali. Sane hanc parem potestatem probat ex verbis Christi apud Io. 20, 21: « Accipite Spiritum Sanctum: quorum retinueritis peccata...» Porro haec potestas sacramentalis est. Eadem conclusio obtinetur examinatis tribus aliis textibus ubi hic locus evangelicus recurrit apud Cyprianum: Primo in epistula 69 (Hartel, p. 759): « Nam cum in baptismo unicuique peccata sua remittantur probat et declarat in evangelio Dominus per eos solos posse peccata dimitti qui habent Spiritum Sanctum; post resurrectionem enim discipulos suos mittens loquitur ad eos et dicit: sicut misit me Pater, et ego mitto vos... quo in loco ostendit eum solum posse *baptizare* et remissionem peccatorum dare qui habeat Sanctum

Spiritum ». Dein in epistula 73 (Hartel, p. 783): « Manifestum est autem ubi et per quos remissa peccatorum dari potest, quae *in baptismo scilicet datur*. Nam Petro primum Dominus, super quem aedificavit ecclesiam et unde unitatis originem instituit et ostendit, potestatem istam dedit ut id solveretur (in terris) quod ille solvisset. Et post resurrectionem quoque ad apostolos loquitur dicens: sicut misit me Pater... Unde intelligimus non nisi in ecclesia praepositis... licere *baptizare* et remissam peccatorum dare ». Advertas perfectum parallelismum huius loci cum pericope capitis quarti de Unitate Ecclesiae. — Demum in epistula 75ª (Firmiliani Hartel, p. 820-821): « Qualis vero error, sit... eius qui *remissionem peccatorum* dicit apud synagogas haereticorum dari posse... hinc intelligi potest quod soli Petro Christus dixerit: quaecumque ligaveris super terram erunt ligata et in caelis... et iterum in evangelio in solos apostolos insufflavit Christus dicens: Accipite spiritum sanctum: si cuius remiseritis peccata remittentur illi... *Potestas ergo remittendorum peccatorum* apostolis data est...». Quotiescumque ergo Cyprianus textum Mt. 16, 17-18 cum textu Io. 20, 21 comparat, potestatem ligandi et solvendi intelligit praeprimis de potestate sacramentali etiam baptismali.

d) Res tota illustrari demum potest exemplo Hieronymi scribentis ad Iovinianum (ML, 23, 247): « Super Petrum fundatur Ecclesia; licet id ipsum in alio loco super omnes apostolos fiat, et cuncti claves regni caelorum accipiant, et *ex aequo* super eos ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut *capite constituto*, schismatis tollatur occasio ». Vides eandem prorsus difficultatem obiici, eandem solutionem adhiberi in Hieronymo et in Cypriano. Sicut hic loquitur de *pari* potestate, sic etiam ille loquitur de *aequa* solidandi ratione; id tamen non obstat quominus Petrus evehatur in dignitatem capitalem et suprema muniatur auctoritate ut omnem tollat schismatis occasionem.

Alterum argumentum quaerit Poschmann in epistula 71ª (Hartel, p. 773): « Non est autem de consuetudine praescribendum — scribit Cyprianus — sed ratione vincendum. Nam nec Petrus quem primum Dominus elegit et super quem aedificavit ecclesiam suam, cum secum Paulus de circumcisione postmodum

disceptaret, vindicavit sibi aliquid insolenter aut arroganter adsumpsit, ut diceret se primatum tenere et obtemperari a novellis et posteris sibi potius oportere, nec despexit Paulum quod ecclesiae prius persecutor fuisset, sed consilium veritatis admisit et rationi legitimae quam Paulus vindicabat facile consensit». Iuvat praenotare triplicem dari huius difficils loci interpretationem: a) Agitur de primatu *iurisdictionis,* qui negatur Petro (Koch); b) Agitur de primatu iurisdictionis qui conceditur Petro (Catholici passim); c) Agitur de primatu *reali* qui Petro conceditur ita tamen ut primatus iurisdictionis simul negetur (Poschmann). Cardo quaestionis in hoc versatur: In quo reponitur a Cypriano insolens arrogantia? Secundum Koch in hoc quod Petrus sibi primatum iurisdictionis attribuat. Secundum alios in hoc quod irrationabiliter utatur primatu contra iura veritatis. Secundum Poschmann in hoc quod Petrus ex vero quodam primatu reali illegitime deducat et transeat ad primatum iurisdictionis. Quam interpretationem confirmare satagit sequenti usus argumento: Vis implicata in primatu respondet vi implicatae in consuetudine. — «Non est de consuetudine praescribendum; *nam* nec Petrus ...»: Atqui consuetudo non implicat ullam superioritatem iuridicam prae novitate. Ergo ...

Resp. a) Videtur imprimis posse negari suppositum huius argumenti Hic non tam videtur comparari primatus cum consuetudine, quam modus procedendi Stephani cum modo procedendi Petri. Stephanus deberet in tota hac quaestione baptismali imitari humilitatem et mansuetudinem Petri ...

b) Transmissa dein maiori, distinguitur minor: si consuetudo est innixa errori, C., si est innixa veritati. N. Dantur consuetudines habentes vim legis.

c) Cyprianum admittere aliquod insolentiae genus in eo positum, quod quis iure suo male vel importune utatur, vehementer suadetur ex iis quae in epistula 14ª scribit de Paulo apostolo: «qui post carcerem saepe repetitum ... nec post tertium caelum et paradisum quicquam sibi *insolenter adsumpsit* dicens: neque gratis panem manducavimus ab aliquo, sed in labore et fatigatione nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus» (Hartel, p. 511). Nihilominus Paulus iure suo usus fuisset gra-

tis manducando: « Cum possemus vobis oneri esse ut Christi apostoli, sed facti sumus parvuli ... nocte et die operantes, ne quem vestrum gravaremus » (I Thessal. 2, 7 sq. Cf. II Thessal. 3, 6 sq.).

Tertio argumentatur Poschmann sic: Cyprianus non semel fatetur episcopos esse indipendentes in administratione suarum ecclesiarum rationem sui actus soli Deo reddituros: sic potissimum in oratione inaugurali Concilii Carthaginiensis: « neque enim quisquam nostrum episcopum se episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium tamque iudicari ab alio non possit, quam nec ipse possit alterum iudicare. Sed expectemus omnes iudicium Domini nostri Iesu Christi *qui unus et solus habet potestatem* et praeponendi nos in ecclesiae suae gubernatione et de actu nostro iudicandi » (Hartel, p. 436). Atqui haec talis independentia vix concipi possit in hypothesi primatus admissi. Ergo.

Resp. Haec episcoporum independentia nequit intelligi absoluta sed relativa. Ipse quippe Cyprianus apponit principium limitationis potestatis episcopalis in decretis conciliorum sive generalium sive provincialium. Missis aliis, legatur epistula 64[a] Cypriani et 66 collegarum Fido fratri: « Legimus litteras tuas ... quibus significasti de Victore quondam presbytero, quod ei, antequam paenitentiam plenam egisset temere Therapius collega noster immaturo tempore et praepropera festinatione pacem dederit. Quae res nos satis movit, *recessum esse a decreti nostri auctoritate* sed librato apud nos diu consilio satis fuit obiurgare Therapium collegam nostrum quod temere hoc fecerit et instruxisse ne quid tale de cetero faciat: pacem tamen quomodocumque sacerdote Dei semel datam non putavimus auferendam, ac per hoc Victori communicationem sibi concessam usurpare permisimus » (Hartel, p. 717). Hinc: a) datur auctoritas decreti a qua discedere episcopus prohibetur; b) implicite asseritur Therapium potuisse puniri a Concilio; sufficit tamen ei obiurgatio quae a pluribus fit; c) iterum implicite asseritur Concilium potuisse invalidare sententiam pacis seu communionis datam a Therapio. Victori *permittitur* usurpare pacem sibi concessam.

Novum principium limitationis statuitur a Cypriano in epi-

stula 55ª (Hartel, p. 639): « manente concordiae vinculo et perseverante catholicae ecclesiae individuo sacramento, actum suum disponit et dirigit unusquisque episcopus rationem propositi sui Domino redditurus ». Ubi rursus apparet potestatem ac libertatem episcopalem limitari lege solidariae connexionis tum cum collegio episcopali, tum cum indivulsa catholicae ecclesiae unitate. Age iam, servaturne ista connexio duplex abrupta communione cum cathedra et sede romana? En problema fundamentale e cuius recta intelligentia pendet tota quaestionis cyprianicae solutio. Recurret de his sermo in tertia parte.

Quartum et ultimum argumentum desumitur a Poschmann e praxi Cypriani. Qui in quaestione de haereticorum baptismo graviter restitit Pontifici romano Stephano. Atqui Cyprianus minime restitisset Stephano si supremam huius auctoritatem agnovisset. Ergo

Resp. Dist. maior. Cyprianus restitit in quaestione de baptizandis quia putavit Stephanum graviter errare et praecipere ea quae sunt contraria iuri divino, C.; quia non agnovit in eo potestatem superiorem, P. prob. Nec putes ista gratis et a priori confingi. Cyprianus in primis pro comperto habet Stephanum versari in gravi errore. Sic clare apparet ex epistula 74ª Pempeio fratri (Hartel, p. 799): « ... desiderasti in notitiam tuam perferri quid mihi ad litteras nostras Stephanus frater noster rescripserit, misi tibi rescripti eius exemplum: quo lecto magis ac magis *eius errorem denotabis, qui* haereticorum causam contra christianos et contra ecclesiam Dei adserere conatur ». — Cyprianus dein putat Stephanum praecipere ac docere ea quae sunt contraria *iuri divino*. Sic in eadem epistula (Hartel, p. 801): « quae est ista obstinatio et quaeve praesumptio humanam traditionem *divinae dispositioni* anteponere, nec animadvertere indignari et irasci Deum quoties *divina praecepta* solvit et praeterit humana traditio ... ». Iterum ibid. p. 805: « dat honorem Deo qui unitatem et veritatem *de divina lege venientem* non tenens, haereses contra ecclesiam vindicat? ». Vides Cyprianum sincere persuasum tum de errore Stephani antievangelico, tum de iure divino ab eo conculcato.

III.

Fundamenta primatus iuridici examinantur

Argumenta ab Auctoribus passim adhibita ad probandum primatum iuridicum a Cypriano traditum infirmiora videntur. E sola eius doctrina difficile puto aliquid decisivum ac constringens proferre sive in favorem sive contra primatum iurisdictionis. At doctrinae Cypriani non parum luminis ex ipsius praxi accedit. Hinc utile erit examinare relationes Cypriani cum ecclesia romana: a) sede vacante; b) sub episcopatu Cornelii; c) sub regimine Stephani.

A. Relationes Cypriani cum ecclesia r. sede vacante.

Post mortem Fabiani Papae sedes romana vacabat per menses 15 (20 ian. 250 mart. 251). Huius temporis adsunt litterae decem: Ex iis quatuor cleri romani ad clerum carthaginiensem et Cyprianum; — sex Cypriani ad clerum et confessores romanos. Porro ex his litteris apparent clare sequentia.

a) *Ecclesia romana* exhibet conscientiam suae responsabilitatis et sollicitudinis pastoralis universalis — se immiscet in rebus spectantibus ad disciplinam ecclesiae africanae, cui praescribit vel suggerit modum agendi cum lapsis — miratur et reprehendit fugam Cypriani tempore persecutionis — exspectat novi episcopi electionem ad innovandam disciplinam ecclesiasticam; putat tamen convenientiam celebrandi concilium universale ad totam quaestionem de lapsis moderandam.

b) *Cyprianus* apparet sollicitus de reddenda continuo romanis ratione actus ac administrationis suae — mittit ad clerum romanum omnes litteras quas ex exilio conscripsit ad clerum et plebem carthaginiensem — numquam miratur interventum cleri romani in rebus ecclesiae africanae — modum disciplinarem praescriptum a clero romano retinendum esse censet — innovationem disciplinae in causa lapsorum reservat concilio universali, audito tamen consilio romano, — nec omittendum factum episcopi Pri-

vati Lambesitani, haeretici africani, qui Romam venit auxilium quaesiturus.

c) *Harnack* iure agnoscit et celebrat momentum harum litterarum ad illustrandam historiam sive communitatis romanae, sive ecclesiae universalis. Ex his litteris apparet ecclesiam romanam possidere saeculo 3° mediante primatum quendam realem, primatum inquam servitii praestiti ed officii impleti seu responsabilitatis et sollicitudinis universalis. Addit tamen nondum apparere fundamentum dogmaticum et historicum huius primatus; siquidem clerus romanus, sede episcopali vacante, sentit et loquitur sicut ipse episcopus; unde sequitur fundamentum huius incomparabilis auctoritatis non tam residere in dignitate episcopi romani, quam in origine, in historia huius ecclesiae, in sua fide et amore, in sua devota et seria sollicitudine circa ecclesiam oecumenicam. — En magnificam viri doctissimi et acatholici confessionem. Harnack agnoscit *factum* primatus romani in quo implicatur sollicitudo pastoralis oecumenica. At misere discipitur in interpretatione huius facti. Falsum est clerum romanum, sede episcopali vacante, eodem modo agere ac ipsum episcopum. Audiatur Novatianus nomine cleri romani scribens Cypriano papae (epist. 30, Hartel, p. 553): « nobis *differendae* huius rei necessitas maior incumbit, quibus post excessum nobilissimae memoriae viri Fabiani *nondum est episcopus* propter rerum et temporum difficultates *constitutus, qui omnia ista moderetur* et eorum qui lapsi sunt possit cum auctoritate et consilio habere rationem ». Item inferius: « Cuius temperamenti moderamen nos hic tenere quaerentes diu et quidem multi et quidem cum quibusdam episcopis vicinis *ante constitutionem episcopi nihil innovandum putavimus,* ut interim dum episcopus dari a Deo nobis sustinetur, *in suspenso* eorum qui moras possunt dilationis sustinere *causa teneatur* ». Vides totam innovationis disciplinaris causam episcopo eligendo reservari. — Fundamentum incomparabilis auctoritatis ecclesiae romanae situm esse in *origine* huius ecclesiae verissime dicitur; at origo et dignitas tota ecclesiae romanae secundum doctrinam Cypriani non est alia quam « cathedra una super Petrum Domini voce fundata » En fundamentum dogmaticum et historicum primatus romani.

B. *Relationes Cypriani cum Cornelio* (mart. 251-iun. 253).

Adsunt huius temporis litterae undecim: e quibbus novem Cypriani ad Cornelium; duae Cornelii ad Cyprianum. Argumentum principale harum epistularum est duplex: quaestio nempe de lapsis, et quaestio de schismate africano et romano. Porro hae litterae rursus historiam primatus romani vario modo illustrant.

Ipse imperator ac tyrannus infestus imprimis testis existit singularis auctoritatis quae propria erat sedis romanae. Quippe qui, ut ait Cyprianus, « multo patientius et tolerabilius audiret *levari adversus se aemulum principem, quam constitui Romae Dei sacerdotem* » (epist. 55).

Felicissimus quoque schismaticus africanus primatui romano testimonium perhibet. Condemnatus quippe in ecclesia africana a Cypriano et clero carthaginiensi Romam appellat ibique causae suae patrocinium apud Cornelium quaerit (epist. 59).

Cornelius ipse peculiaris suae dignitatis ac potestatis conscium se praebet. In rebus ecclesiae africanae se immiscet, Privatum Lambesitanum episcopum africanum condemnat, Felicissimum diaconum schismatis africani principem excommunicat, rei et disciplinae africanae certior fieri continuo studet, imo miratur quod Cyprianus non statim scripsisset Romam de Fortunato facto pseudoepiscopo.

Cyprianus (cum suo clero) apparet constanter sollicitus de servanda communione cum ecclesia romana. Primo quidem electioni Cornelii attentissime invigilat; Romam legatos et totius rei testes mittit; electionis legitimitatem falsis rumoribus obscuratam diligenter examinat; ea vero certo cognita, sedulo curat ut episcopi africani Cornelium ut verum Papam agnoscant; ipse cum suis collegis rationem reddit Cornelio de statu ecclesiae africanae, necnon de schismate presbyterorum et Felicissimi diaconi; mittit bis Romam litteras quas ad clerum et plebem fecerat de his presbyteris schismaticis; scribens litteras ad confessores romanos, curat ut hae litterae primum legantur vel tradantur Cornelio e cuius arbitrio pendebit ut illae in manus confessorum deveniant; rursus Cyprianus communicat Cornelio nova decreta conciliaria de pace lapsis communicanda spemque aperit fore ut haec decreta

Romae benigne suscipiantur — « quod credimus vobis quoque paternae misericordiae contemplatione placiturum » (epist. 57). Et haec quidem *de factis seu praxi. Doctrinam* quod attinet, Cyprianus ecclesiae romanae magnificum encomium texit eamque appellat « *cathedram Petri atque ecclesiam principalem* unde unitas sacerdotalis (episcopalis) exorta est... ad quam perfidia habere non possit accessum » (epist. 59). Docet praeterea communionem cum Cornelio implicare communionem « cum catholica ecclesia (epist. 55), cum catholica ecclesiae unitate » (epist. 48).

C. *Relationes Cypriani cum Stephano* — mai. 254-aug. 255.

Tria hoc tempore examinanda occurrunt: a) *Factum gallicum* seu casus Marciani; b) *Factum hispanicum* seu casus Basilidis et Martialis; c) *Controversia baptismalis.*

a) *Factum gallicum* narratur in epistula 68ª (Hartel, p. 744-749). En rerum synthesim: Marcianus episcopus arelatensis adhaeserat Novatiano eiusque rigorismo exaggerato. Faustinus episcopus Lugdunensis et episcopi comprovinciales recurrunt ad Stephanum papam, ut hic causam excommunicationis Marciani promoveat. At Stephanus litteras responsorias nimium differt. Hinc Faustinus semel et iterum scribit ad Cyprianum requirens eius adiutorium. Tunc Cyprianus scribit — mirabile dictu — non ad Faustinum vel episcopos gallicos sed ad Stephanum excitando eius sollicitudinem pastoralem: « Quapropter facere te oportet litteras plenissimas ad coepiscopos nostros in Gallia constitutos, ne ultra Marcianum pervicacem collegio nostro insultare patiantur ... Dirigantur in provinciam et ad plebem Arelate consistentem a te litterae quibus abstento Marciano alius in loco eius substituatur

significa plane nobis quis in locum Marciani fuerit substitutus, ut sciamus ad quem fratres nostros dirigere, et cui scribere debeamus... Servandus est enim antecessorum nostrorum beatorum martyrum Cornelii et Lucii honor gloriosus: quorum memoriam cum nos honoremus, multo magis tu, frater carissime, honorificare et servare gravitate et auctoritate tua debes, qui vicarius et successor eorum factus es. Illi enim pleni spiritu Domini et in glorioso martyrio constituti dandam esse lapsis pacem censuerunt et pae-

nitentia acta fructum communicationis et pacis negandum non esse litteris suis signaverunt ».

Conclusiones e factis derivantur: *a*) Faustinus et episcopi provinciales eo ipso quod Marcianum excommunicare ipsi non audent et ad Romanum episcopum recurrunt, evidenter agnoscunt superiorem Stephani auctoritatem iuridicam: *b*) Ipse Cyprianus attestatur ad Stephanum spectare: — commonere episcopos gallicos ut hi excommunicent Marcianum; — praecipere plebi arelatensi ut abstineant a Marciano et eligant alium eius loco; — nuntiare primati africano nomen novi electi et constituti episcopi; — Porro Cyprianus ad iustificandam excommunicationem Marciani appellat ad decreta disciplinaria emissa ab antecessoribus Stephani et ab omni episcopatu approbata. Ex his omnibus sat clare apparet ipsum Cyprianum agnoscere in Stephano singularem quandam et superiorem auctoritatem. Qualis est haec auctoritas, quaenamve eius origo? Koch et Poschmann facta explicare satagunt facto recursu ad auctoritatem Stephani utique superiorem, at non absolute primatialem, sed *patriarchalem.* Sed haec explicatio *aprioristica* prorsus nobis videtur omnique fundamento destituta. Cyprianus nuspiam commemorat vel alludit ad istam auctoritatem patriarchalem, sed totam ecclesiae romanae dignitatem et « principalitatem » e cathedra Petri derivat, super quem unum Christus *totam* suam ecclesiam aedificavit.

b) *Factum hispanicum* narratur in epistula 67ª (Hartel, p. 735-743). En rerum summam: Basilides episcopus legionensis et Martialis episcopus emeritensis, ambo libellatici et aliorum criminum rei, legitime deponuntur ab episcopis hispanis. In eorum locum legitime succedunt Sabinus et Felix. Basilides appellat ad Stephanum, qui ei priorem locum restituit, hinc invalididat electionem Sabini. Ad haec Felix praesbyter cum plebe et Aelius item cum plebe scribunt litteras ad Cyprianum quaerentes solatium et auxilium. Cyprianus, coacto concilio et re tota examinata, respondet: « Propter quod integritatis et fidei vestrae religiosam sollicitudinem, fratres dilectissimi, et laudamus pariter et probamus, et *quantum possumus* adhortamur litteris nostris, ne vos cum profanis et maculatis sacerdotibus communicatione sacrilega miscea-

tis, sed integram et sinceram fidei vestrae firmitatem religioso timore servetis ».

Conclusiones e factis deducuntur: *a*) Primo quidem *Basilides* in ea persuasione est Stephanum posse convalidare episcopatum a quo ipse fuerat depositus, cui praeterea ipse sponte renuntiaverat.

b) Eadem persuasio videtur elucere in *aliis episcopis* qui cum Basilide in suam sedem restituto communicare pergunt: « Quare etsi aliqui de collegis nostris (extiterint) fratres dilectissimi, qui deificam disciplinam neglegendam putant, et cum Basilide et Martiale *temere communicent...* ». Idem dicendum videtur de plebe quae et ipsa cum Basilide communicabat: « Nec sibi blandiatur plebs quasi immunis esse a contagio delicti possit *cum sacerdote peccatore communicans* et ad iniustum atque illicitum praepositi sui episcopatum *consensum suum commodans* ». *c*) *Ipse Stephanus* non veretur invalidare electionem Sabini ab episcopis hispanis in sede legionensi constituti, et Basilidem iuste depositum in suum episcopatum restituere. *b*) Cyprianus non agnovit valorem actus a Stephano positi: qua de causa? *Primo* quia est *contrarius iuri divino*: « desiderio vestro non tam nostra consilia, quam *divina praecepta* respondent, quibus iam pridie *mandatur voce caelesti et Dei lege praescribitur* quos et quales oporteat deservire altari Quae cum praedicta et manifestata sint nobis, *praceptis divinis* necesse est obsequia nostra deserviant nec persona in eiusmodi rebus accipi aut aliquid cuiquam largiri potest humana indulgentia, *ubi intercedit et legem tribuit* divina praescriptio ». *Dein* actus seu concessio Stephani est *contraria decreto papali* et episcopatus universi: « frustra tales (Basilides et Martialis episcopatum sibi usurpare conantur maxime cum iam pridem nobiscum et cum omnibus omnino episcopis in toto mundo constitutis *etiam Cornelius* collega noster *decreverit* eiusmodi homines ad paenitentiam quidem agendam posse admitti, ab ordinatione autem cleri atque sacerdotali honore prohiberi ». *Accedit* quod concessio Stephani sit *innixa errori*: « Basilides post crimina sua detecta Romam pergens Stephanum collegam nostrum longe positum et gestae rei ac *veritatis ignarum fefellit* ». Ceterum auctoritas Stephani videtur a Cypriano implicite ad-

mitti; secus enim ratio primaria et simplicissima nullitatis quoad repositionem Basilidis illa fuisset, quod fuisset actus positus ab homine qui carebat potestate legitima. Item Stephanus non alia de causa culpandus a Cypriano exhibetur nisi quia *neglegenter* ei obreptum est. Porro gravissime culpandus fuisset si in re adeo gravi usurpasset potestatem sibi non debitam. Verbo: factum hispanicum exhibet potestatem primatialem a Stephano exercitam, a Basilide et aliis episcopis agnitam, ab ipso Cypriano implicite concessam et assertam. Koch et Poschmann rursus recurrunt ad potestatem *patriarchalem* Stephani. Sed haec talis potestas ex una parte nullum fundamentum habet in doctrina Cypriani, ex alia vero parte destruit illam potestatem episcoporum *parem* tantopere decantatam.

c) *Controversia baptismalis* ansam dedit septem epistolis; e quibus quinque sunt Cypriani ad varios collegas africanos qui ipsum consuluerant circa valorem baptismi ab haereticis administrati; una ipsius Cypriani ad Stephanum, ultima demum est Firmiliani rescribentis ad Cyprianum. Ex his porro litteris colliguntur sequentia:

a) Duplex datur doctrina et disciplina in re baptismali. Ecclesia carthaginensis et generatim ecclesiae africanae non agnoscunt valorem baptismi ab haereticis collati; hinc rebaptizant eos qui ab haereticis ad Ecclesiam catholicam veniunt. Ecclesia romana contrariam doctrinam et disciplinam tuetur. Aliqui episcopi in Mauretania videntur morem romanum recepisse.

b) Continuae consultationes ab episcopis ad Cyprianum factae, necnon iterationes Conciliorum in Carthagine ostendunt graves praeoccupationes ortas hac de re in variis ecclesiis africanis. Origo porro harum praeoccupationum repetenda potissimum videtur e doctrina et praxi contraria quam Romae Stephanus tuetur. Pompeius nosse desiderat quid « mihi (Cypriano) ad litteras nostras Stephanus frater noster rescripserit; misi tibi rescripti eius exemplum » (epist. 74) — Iubaianus simul cum consultatione mittit ad Cyprianum exemplum epistulae cuiusdam, quae videtur esse Stephani. — Firmilianus in suo ad Cyprianum rescripto designat adversarios rebaptizantium hac formula: « Stephanus et qui illi consentiunt ».

c) Cyprianus speculative certissimus est praxim africanam inniti apertae doctrinae evangelicae; morem romanum evangelio et praeceptis Dominicis adversari. Legas gravissima verba quae contra Stephanum scribit in epistula 74, n. 8 (Hartel, p. 805-806). Non obstante hac tremenda rei gravitate, id unum prae ceteris quaerit, ut pax cum ecclesia romana retineatur et concordia collegii episcopalis servetur. Hinc mittit Romam legatos, decreta conciliaria, epistulas missas ad Numidiam et Mauritaniam; in sua vero epistula ad Stephanum arte vere diplomatica studet captare benevolentiam episcopi romani et simul servare libertatem disciplinarem ecclesiae africanae: « Haec ad conscientiam tuam, frater carissime et pro honore communi et pro simplici dilectione pertulimus, credentes etiam tibi pro religionis tuae et fidei veritate placere (?) quae et religiosa pariter et vera sunt. Ceterum scimus quosdam quod semel imbiberint nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed *salvo inter collegas pacis et concordiae vinculo* quaedam propria quae apud se semel sint usurpata retinere » epist. 72 (Hartel, p. 777-778).

d) *Stephanus* apparet conscius suae dignitatis et potestatis, quippe qui « de episcopatus sui loco gloriatur et se successionem Petri tenere contendit, super quem fundamenta ecclesiae collocata sunt » (ex epistula 75 Firmiliani ad Cyprianum). Huic auctoritati innixus, imponit ecclesiae africanae decretum disciplinare, excommunicationem minitatur, quin imo eam, ut videtur, quadantenus exquitur. Cyprianus notat quidem superbiam Stephani, eamque fortiter carpit; at non negat hoc ius, nec Stephanum erroris accusat in hoc quod sibi tantam potestatem tribuit, sed vult ut successor Petri modestiam et humilitatem eius imitetur, veritatem evangelii contra haereticos tueatur, ac iuris divini sacram dispositionem servet.

e) *Summatim ergo*: Duo in tota hac controversia baptismali plene innotescunt: *a*) Clarissima conscientia quam habent episcopus romanus suae potestatis primatialis e cathedra Petri derivatae; *b*) Magna Cypriani reverentia erga hanc Stephani potestatem. Cuius error quidem doctrinalis fortiter premitur, cuius tamen communio ardenter desideratur et studiose quaeritur. Vix intelligas quorsum tendant tot Concilia in quibus *nihil decernitur*,

sed singulis libertas pro suo arbitrio datur faciendi quod simi melius visum fuerit, idque non obstante evidentia evangelicae veritatis, atque dispositionis divinae gravitate. Nec admiratione caret quod Cyprianus olim scribens occasione facti gallici: « neque enim poterat esse apud nos sensus diversus, in quibus unus esset spiritus: et ideo *manifestum est eum Spiritus sancti veritatem cum ceteris non tenere quem videmus diversa sentire* », nunc constrictus sit agnoscere unius Spiritus veritatem et communionem inter eos qui *diversa sentiunt!*

Recapitulatio

Tria maxime perpendenda ad adaequatam problematis Cyprianici solutionem: Doctrina — Praxis doctrinam illustrans, confirmans, complens. — Traditio demum prae oculis habenda: tum illa quae Cyprianum proxime antecedit, tum ea quae illum comitatur et proxime consequitur, idque potissimum in ecclesia Africana.

Doctrina ergo praeprimis consideranda in his quae Cyprianus docet de Petro, de Sede episcopali romana, de Episcopatu.

Petrus

Tria clare de Petro docet Cyprianus: Petrus est unicum fundamentum visibile totius Ecclesiae (cap. IV, l. de Unitate Eccl.) — Petrus est claviger Regni caelorum (epist. 73) — Petrus est Pastor universi gregis christiani (l. de Habitu virginum). Haec tria sunt exclusiva Petri. Quid in his continetur admentem Cypriani?

a) Petrus est origo unitatis ecclesiasticae (caput IV de Un. Eccl.). *b*) Petrus est origo unitatis *episcopalis* (epist. 33 et 43). *c*) Petrus est origo et *ratio* unitatis ecclesiasticae et episcopalis (epist. 70). *d*) Petrus et *servator* permanens unitatis ecclesiasticae et episcopalis (caput V, l. de Un. Eccl.): « *Unitas servatur in origine* », qui est Petrus. Unde *e*) Petrus est centrum unitatis seu communionis ecclesiasticae.

Primatus ergo Petri est temporalis, fontalis, centralis. Estne

vere *iuridicus?* Nulla in Cypriano explicita affirmatio, nulla negatio. At via indirecta possit forsitan ad aliquam conclusionem deveniri. Siquidem Cyprianus clare docet singulos episcopos esse pastores gregum particularium, et in hoc pastoratu videt implicatam potestatem *iuridicam* particularem: « Singulis pastoribus portio gregis est adscripta, quam *regat* unusquisque (episcopus) et *gubernet* rationem sui actus Domino redditurus » (epist. 59). Age iam: si pastoratus particularis implicat potestatem *iuridicam particularem;* nonne pastoratus universalis Petri implicabit potestatem iuridicam universalem? Haec obvia et clara conclusio potuit latere Cyprianum?

Sedes Romana

Cyprianus clare docet sequentia: Episcopus romanus est vicarius et successor Petri (epist. 68) — tenet locum Petri et gradum cathedrae sacerdotalis (epist. 55) — Ecclesia romana est cathedra Petri et (ideo) est ecclesia principalis, unde unitas sacerdotalis (episcopalis) exorta est, ad quam perfidia accessum habere nequit (epist. 59). Communio cum episcopo romano est communio cum unitate ecclesiae catholicae (epist. 48), cum catholica ecclesia (epist. 55). Hinc ad episcopum romanum spectat significare episcopis africanis quis sit legitimus episcopus Arelate (in Gallia) loco Marciani, ut sciant ad quem scribere debeant et cum quo debeant communicare (epist. 68). Quid in his continetur ad mentem Cypriani? Id ipsum quod de Petro superius diximus. Videlicet, Sedes romana, utpote cathedra Petri, est *origo* unitatis ecclesiasticae et episcopalis — est *servatrix* huius duplicis unitatis: sic demum intelligitur quare et quomodo unitas servatur *permanenter* in Petro (cap. V de Un. Eccl.) — Ecclesia Romana est consequenter *centrum* communionis ecclesiasticae. Primatus ergo romanus est originalis (principalis), fontalis, centralis. Estne praeterea *vere iuridicus?* Numquam hoc a Cypriano explicite affirmatur, nuspiam negatur.

Praxis ergo ad doctrinam accedat oportet. Praxis porro Cypriani, qualis se prodit in suis relationibus cum sede romana durante triplici stadio, de quo supra egimus:

a) Primo quidem egregie illustrat atque confirmat doctri-

nam seu intimam Cypriani persuasionem de sede romana centro totius communionis ecclesiasticae.

b) Factum gallicum et hispanicum clare ostendunt aliquem primatum romanum *etiam iuridicum* limites italicos exorbitantem, confinia gallica et hispanica attingentem. Superioritas porro iuridica romana nequit repeti ex dignitate ipsius pure *patriarchali*, ut gratis et falso contendunt Koch et Poschmann, sed habet fundamentum seu originem in *cathedra Petri*, super quem Christus *totam* suam Ecclesiam fundavit. Hinc cohiberi vix potest conclusio de admisso a Cypriano primatu romano iuridico et universali.

Episcopatus

Cyprianus docet sequentia: Episcopi sunt successores Apostolorum (epist. 33) — Ecclesia est constituta (non fundata) super episcopos (ibid.). — Episcopatus est de iure divino (ibid.). — Episcoporum autonomia est sat ampla: duplex tamen principium limitationis docetur a Cypriano: primo quidem decreta conciliaria nationalia (epist. 64), hinc a fortiori decreta conciliaria oecumenica, deinde vero lex solidarietatis servandae cum unitate ecclesiae et collegii episcopalis (epist. 55). Novum principium limitationis apponitur, ut videtur, ex necessaria connexione servanda cum sede romana centro totius communionis ecclesiasticae. Ipse Poschmann admittit duplicem praemissam a Cypriano clare edoctam ex qua aperte fluit praefata conclusio.

Traditio demum consideranda. Paulo ante Cyprianum *Tertullianus* in Africa (Cypriano apprime notus) clare docet (adv. Praxeam) sedem romanam centrum et arbitram communionis ecclesiasticae. *Irenaeus vero* (notus Cypriano?) canit potentiorem Ecclesiae romanae principalitem ad quam necesse est omnem convenire ecclesiam. Traditio Cypriano coaeva si spectetur, Stephanus Romae docet et fortiter exercet primatum iuridicum Petri successioni innixum. Factum gallicum et hispanicum similiter ostendunt agnitam in Gallia et Hispania iuridicam sedis romanae superioritatem. Traditio demum africana Cyprianum proxime sequens potissimum attendenda. *Optatus Milevitanus* in lucta contra Donatistas, ad Cypriani auctoritatem appellantes, fidenter

docet et premit cathedram romanam in qua unitas ab omnibus servanda est, idque ut rem notam et irrefragabilem. *Augustinus* quoque in lucta contra eosdem adversasios non veretur scribere: « *Quis enim nescit* illum (Petri) principatum *cuilibet episcopatui praeferendum?* ». Non immerito docet *C. Adam* in praefata Optati formula contineri veluti in nuce integram Cypriani ecclesiologiam.

Conclusio finalis

Conclusio fluens ex omnibus disputatis potest sic exhiberi:

a) *Positio Koch* de primatu pure temporali est penitus falsa.

b) *Positio Poschmann,* ex qua parte asserit admissum a Cypriano primatum Petri realem seu fontalem, vera est; ex qua parte negat primatum iuridicum Petri, caret solido fundamento. Demum positio Poschmann videtur nobis interna incohaerentia laborare, dum ex una parte asseritur doctrinam Optati esse logicam sequelam ex praemissis Cyprianicis derivatam, ex alia vero parte docetur (o. c. 64-65) sedem et ecclesiam romanam posse ad mentem Cypriani penitus perire incolumi reliqua universa ecclesia. Nec probari nobis sufficienter potest modus explicandi hac in re progressum dogmaticum, qualis exhibetur in cap. VII: Cyprian und das Primatsdogma.

c) *Positio C. Adam* de admisso a Cypriano aliquo primatu romano reali *pure statico et sacramentali* ad veritatem propius accedere videtur, sed complenda est his omnibus, quae ex praxi Cyprianica derivantur.

d) *Positio catholica* communior de admisso a C. vero quodam primatu iuridico temperanda videtur duplici ex capite: primo quidem ex parte ipsius primatus romani, quem Cyprianus non negat quidem, sed vult *exercendum* maximo moderamine inculpatae tutelae; dein ex parte episcopatus, cui amat Cyprianus adscribere sat amplam autonomiam. Num C. admisserit in Petro et R. Pontifice potestatem iurisdictionis supremam *et plenam,* an potiores tantum partes eo fere sensu, quo Gallicani docebant, vehementer dubitamus, et potius quam alios docere doceri ab aliis sapientioribus exoptamus.

Fructus longioris controversiae duplex esto: unus contra adversarios omnis generis episcopalianos; qui Cyprianum non possunt invocare ducem et pastorem; alter pro nobis, quibus ad sternendam *viam romanitatis* sufficit certa Cypriani doctrina et praxis de sede romana vero communionis ecclesiasticae centro.

Duo testimonia remanent examinanda ex saeculo tertio. Quae ceteroquin sunt maximi momenti, quippe quae fidem nobis referunt duarum ecclesiarum quae potiorem principalitatem in Oriente obtinent, Alexandrinae, inquam, et Antiochemae.

Dionysius Alexandrinus, primas in Aegypto et Ptolemaidi, condemnavit modalismum Sabellianum serpentem in Ptolemaidi et christianos in duas factiones dividentem. Sed accusatur de exaggerata distinctione inter Patrem et Filium, quasi, docuisset verbum esse creaturam (ποίημα) et Filium non esse consubstantialem (ὁμοούσιον) Patris. Hinc aliqui *fratres* (qui videntur esse episcopi ex Pentapoli) causam ad Romam deferunt suumque episcopum accusant coram Papa Dionysio. Coacto Romae Concilio, modalismus condemnatur, et consubstantialitas (ὁμοούσιος) Filii docetur. Episcopus romanus sententiam conciliarem mittit ad Dionysium Alexandrinum, eumque rogat ut exponat qua de causa sit accusatus. Ad haec episcopus alexandrinus scribit ad suum homonymum Romanum epistolam in qua sese ample iustificat contra accusationem falsam de negata ab eo consubstantialitate Verbi. Scribit praeterea libros quatuor (ἔλεγχος καὶ ἀπολογία) illosque Romam mittit. Habemus hic iterum triplicis testimonii miram confluentiam:

a) *Fratres ex Aegypto* et Ptolemaidi testificantur auctoritatem episcopi romani quippe ad quem spectet iudicium ferre de orthodoxia primae sedis orientalis.

b) *Ipse Dionysius Alexandrinus* admittit interventum iudicialem episcopi romani, et satagit se ipsum coram eo iustificare.

c) *Dionysius romanus* non veretur intervenire in negotio delicato spectante ad ecclesiam alexandrinam. Nec Athanasius, dum ista narrat, ullam admirationem manifestat de interventu romano in sua ecclesia alexandrina.

d) Nec illud pratermittendum quod scite observat Batiffol: « Romae pose comme une règle de foi les termes que le *Concile de Nicée* dans soïxante et quelques années *ne fera que lui emprunter* ». Ipse Harnack non veretur hanc Dionysii Romani epistulam eisque tenorem comparare cum epistula (ac tenore) Leonis M. ad Flavianum. Ad haec Batiffol: « L'observation est très juste, et l'on peut ajouter que le pape Denys *parle exactemente comme parlait naguère le pape Etienne* ».

Paulus Samosatenus episcopus antiochenus, in ipso etiam ordine civili praepotens per Zenobian Palmyrae reginam, accusatur et ipse de heterodoxia. Tribus conciliis antiochenis iudicatus demum excommunicatur, eiusque loco eligitur pro episcopatu antiocheno Domnos. Synodus antiochena mittit litteras ad episcopos omnium provinciarum (κατὰ τὴν οἰκουμένην). Inter destinatarios primo loco nominatur Dionysius episcopus romanus, secundo loco Maximus episcopus alexandrinus. « On dira que Rome et Alexandrie sont a ce moment les deux métropoles du monde. Il sera plus historique de penser que Rome et Alexandrie sont nommées ici ensemble parce qu'ensemble elles ont pris l'initiative de rompre avec Paul de Samosate ». Batiffol, La paix Constantinienne et le Catholicisme (1929), p. 106. — Paulus Samosatenus resistit nec vult renuntiare dominio ecclesiae et domus ei adiacentis. Delata lite ad tribunal civile, imperator Aurelianus iubet ecclesiam domumque his tradi quibus Italiae sacerdotes et Romanus episcopus ordinarent. Cf. Eus. Hist. eccles. VII, 30. « Aurelien savait donc ce qu'était la κοινωνία catholique et le prix que les Antiochiens attachaient à être en communion avec l'évêque de Rome et son concile ». Batiffol, o. c.

Conclusio fluens ex hac prima testimoniorum serie vix aptius exprimi possit, quam allatis magnificis verbis praeclari in Gallia critici.

« Orbis christiani ecclesiae universae inde ab Arabia, Osrohene et Capadocia usque ad extremas Occidentis plagas iugiter experiuntur influxum ecclesiae romanae in rebus fidei, disciplinae, gubernationis, cultus, caritatis et beneficentiae. Ecclesia Romana, ut ait Irenaeus, est reapse ubique cognita, ubique praesens,

ubique venerata, ubique obsecundata (partout suivi dans sa direction). Aliarum ecclesiarum nulla competentia cum ecclesia romana, nulla rivalitas. Nemini venit in mentem cum ea se parificare. Erumpent profecto posthac patriarcatus et primatus quidam locales, quarum potestatum ceteroquin prima ac rudimentaria elementa vix adhuc apparent saeculo tertio. At supra haec organa adhuc in fieri, sicuti supra communitatem christianam universam eminet atque elevatur ecclesiae romanae suprema maiestas repraesentata in suis episcopis, quorum series ascendit ad duos usque throni apostolici coriphaeos. Illa se ipsam persentit, praedicat, considerat tanquam cetrum et organum unitatis in universo mundo ». Duchesne, Eglises separées, 1896, p. 155-156.

Brevius Batiffol: « Au regard de l'historien attentif à la leçon des faits, le catholicisme des premiers siècles se manifeste comme une communion d'Eglises sans nombre dispersées dans le monde, communion mystique et concrète, fondée sur le conformisme de la foi, des institutions, *avec pour centre sensible* de gravité l'Eglise romaine ». Le siège apostolique (1924), p. 1.

Ipse Harnack non veretur scribere: « Saeculo secundo collabente, imo et antea, praesto adsunt omnia subsequentis evolutionis elementa quae ad Ecclesiae constitutionem pertinent; nec ulla iam nova elementa recurrent, uno excepto imperatore christiano ... *Ipse primatus romanus de facto existit,* nec potest eius praesentia denegari ». Entstehung un Entwicklung der Kirchenverfassung, 1910, p. 118-119.

Saeculo quarto recurrunt testimonia papalia, conciliaria, patristica. *Papae* in primis conscios se produnt suae potestatis et sollicitudinis primatialis.

Iulius I, rescribens ad episcopos Eusebianos qui Athanasium patriarcam Alexandrinum in concilio antiocheno condamnaverant et papam cum suo concilio ad suas partes trahere volebant, ait: « Oportebat omnibus nobis scripsisse, ut ita ab omnibus, quod iustum esset decerneretur, episcopi enim erant qui patiebantur, nec vulagers ecclesiae, quae vexabantur, sed quas ipsi apostoli per se gubernarunt. Cur autem de Alexandrina potissimum ecclesia nihil nobis scriptum est? An ignoratis hanc esse *consuetudinem*

ut primum nobis scribatur, et *hinc quod iustum est decernatur?* Sane si qua huiusmodi suspicio in illius urbis episcopum cadebat, ad hanc ecclesiam [romanam] scribendum fuit. Nunc autem illi, re nobis non indicata, postea quam quod libet egere, nos, quibus ea crimina explicata non sunt, sibi demum suffragatores esse volunt. Nequaquam talia sunt Pauli statuta, non haec Patres tradiderunt ... Obsecro, bono animo ferte; quae enim scribo, ad publicum bonum conferunt. Nam *quae accepimus a beato Petro apostolo,* ea vobis significo » (ML. 8, 906). Vides Iulium sibi attribuere potestatem (a Petro derivatam) iudicandi episcopum primae sedis Orientalis *secundum antiquam consuetudinem.*

Siricius ad Himerium episcopum Tarraconensem scribens, multifariam sibi primatum tribuit. Primo quidem se exhibet ut heredem administrationis S. Petri hinc et zeli et sollicitudinis universalis: « Quia officii nostri consideratione non est nobis dissimulandum, non est tacere libertas, quibus maior cunctis christianae religionis zelus incumbit. Portamus onera omnium, qui gravantur; quin imo *haec portat in nobis beatus Petrus*, qui nos in omnibus, ut confidimus, *administrationis suae* protegit et tuetur *heredes* ». Praefatam dein disciplinam sacramentariam omnibus imponit: « Praefatam regulam omnes teneant sacerdotes, qui nolunt *ab apostolicae petrae,* super quam Christus universalem construxit Ecclesiam, *soliditate divelli* ». — Similiter de caelibatu ecclesiastico suprema potestate decernit: « Quae omnia ita a vestrarum regionum despiciuntur episcopis, quasi in eo contrarium magis fuerint constituta. Et quia non est nobis de huiusmodi usurpationibus negligendum ... *quid ab universis posthac ecclesiis sequendum,* quid vitandum, generali pronuntiatione *decernimus* ». Siricius ergo est Petri successor in sollicitudine pastorali, zelo et potestate suprema divinitus constituta, hinc arbiter communionis ecclesiasticae.

Concilium Sardicense (ubi aderant episcopi ex Hispania, Gallia, Italia, Campania, Calabria, Apulia, Africa, Sardinia, Pannonia, Mesia, Dacia, Macedonia, Thessalia, Achaia, Epiro, Thracia, Rodope, Palaestina, Arabia, Creta et Aegypto), agnoscit *dignitatem capitalem sedis Romanae* in sua epistula ad Iulium papam: « Hoc enim optimum et valde congruentissimum esse vide-

bitur, si *ad caput*, i. e. *Petri apostoli sedem* de singulis quibusque provinciis Domini referant sacerdotes». — Deinde attribuit episcopo romano *iurisdictionem cassationis* super universum episcopatum catholicum. Cfr. can. 3 et 5 (apud D. B. n. 3004-3006). Advertas hoc ius appelationis episcoporum ad romanam sedem non hic primum creari aut agnosci, sed potius eius usum et exercitium regulari. Hoc ius fuisse agnitum, imo et exercitum *secundum consuetudinem* constat ex his quae supra exscripsimus ex epistula Iulii I.

Synodus romana episcopis Illyrici scribit: Neque enim praeiudicium aliquod nasci potuit ex numero eorum [400 episcoporum] qui apud Ariminum convenerunt; cum constet neque Romanum episcopum *cuius ante omnes fuit expetenda sententia,* neque Vincentium ... neque alios huiusmodi statutis consensum aliquem commodasse ». Coustant, Epistulae Romanorum Pontificum (1721), p. 896.

Damasum papam sibi attribuere potestatem primatialem apparet ex his quae scribit contra Ambrosium *Palladius* condemnatus in Concilio Aquileiensi: « Et si propter Samaritanos solos Petrus, qui pro primatu suo apostolorum columna erat, et humilis et officiosus invenitur, quae tanta, rogo arrogantia est Damasi ut generalis fidei causa, non solum ipse venire ad concilium non dignetur, sed etiam alios ne vel ipsi coeant, interposita sua auctoritate, per vestram conniventiam, *ut princeps episcopatus,* excuset ». Kauffmann, Aus der Schule des Wulfia, 189, p. 86-87.

Patres quoque praecipui saeculi quarti primatum romanum extollunt:

Ambrosius nomine Concilii Aquileiensis scribit ad imperatorem Gratianum: « Tamen *totius orbis romani caput romanam Ecclesiam* atque illam sacrosantam apostolorum fidem ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra, *inde enim in omnes venerandae communionis iura dimanant.* Et ideo petimus et rogamus ut obrependi ei [Ursino] adimere dignemini facultatem ». Epist. 11 (ML. 16, 946). — Hinc est quod communio cum ecclesia romana importet communionem cum toto episcopatu catholico, id quod expresse affirmat scribens de suo fratre Satyro, qui baptizari in Sardinia apud episcopum catholicum optat: « Advocavit

(Satyrus) ad se episcopum, nec ullam veram putavit nisi verae fidei gratiam, percontatusque ex eo est utrumnam cum episcopis catholicis, *hoc est, romana ecclesia conveniret*. Et forte ad id locorum in schismate regionis illius ecclesia erat: Lucifer enim se a nostra tunc temporis communione diviserat ». De excessu fratris Satyri (ML. 16, 1306). Harmonice cum his cohaeret quod Ambrosius *viam primatus seu romanitatis* formula brevi ac lapidaria exprimat: « Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia », Enarrat psal. 40 (ML. 14, 1082).

Hieronymus cathedrae episcopalis romanae praecellentiam magnificis verbis celerat in duabus ad Damasum papam epistulis: « Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est, cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus est. Si quis in arca Noe non fuerit, peribit regnante diluvio ... Non novi Vitalem, Meletium respuo; ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit sparit ». Epist. 15 (ML. 22, 355). Ad idem argumentum quod est de Vitali, Meletio et Paulino contendentibus inter se de episcopatu ecclesiae antiochenae redit in epistula 16 scribens: « In tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat ... Ego interim clamito: si quis cathedrae Petri iungitur, meus est. Meletius, Vitalis atque Paulinus *tibi haerere* se dicunt. Possem credere si hoc unus assereret; nunc aut duo mentiuntur, aut omnes. Idcirco obtestor Beatitudinem taum per crucem Domini ... ut mihi litteris tuis apud quem in Syria communicare debeam significes » (ML. 22, 359). Hinc est quod fidem romanam appellet catholicam in sua Apologia contra Rufinum. Dixerat Rufinus de versione Origenis facta a Hieronymo: « Nihil in illis, quod a fide nostra discrepet, latinus lector inveniet ». Ad quae Hieronymus: « Fidem suam quam vocat? Eamne qua Romana pollet Ecclesia, an illam quae in voluminibus Origenis continetur? *Si « Romanam » responderit, ergo catholici sumus,* qui nihil de Origenis errore transtulimus ». Adv. libr. Rufini, l. 1 (ML. 23, 400).

Augustinus primatum romanum multis modis testatur. Primo occasione schismatis donatistae contra Caecilianum episcopum carthaginiensem: « Erat Carthago civitas ampla et illustris ... unde

non mediocris utique auctoritatis habebat episcopum qui posset non curare conspirantem multitudinem inimicorum, cum se videret et *Romanae Ecclesiae in qua semper apostolicae cathedrae viguit principatus,* et caeteris terris unde evangelium ad ipsam Africam venit, per communicatorias litteras esse coniunctum». Epist. 43 (ML. 33, 163). Hinc est quod huius cathedrae principalis sententia tamquam decretoria ac definitiva habenda sit, ut ipse asserit de causa Pelagiana scribens: «De hac causa duo concilia missa sunt ad sedem apostolicam: inde etiam rescripta venerunt; *causa finita est;* utinam aliquando finiatur et error» (ML. 38, 723). Porro haec principalitas potior cathedrae romanae venit ex eius origine petrina. De quo Petro alibi scripserat: «Quis nescit illum *apostolatus principatum cuilibet episcopatui praeferendum?* De bapt. contra Donatum (ML. 43, 127). Item alibi: «Numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri sede: et in ordine illo patrum quis cui successerit videte *ipsa est petra quam non* vincunt superbae inferorum portae». Ps. contra partem Donati (ML. 43, 30). Nihil iam mirum si et ipse Augustinus in viam romanitatis fidus ingreditur: «Tenet me in ecclesia catholica ab *ipsa sede Petri apostoli,* cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum *successio sacerdotum* (—episcoporum)». Contra epist. Manich. (ML. 42, 175).

Optatus Milevitanus non minus splendide loquitur de cathedra romana: «Negare non potes scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua sederit omnium apostolorum caput Petrus ,unde et Cephas est appellatus *in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur,* ne ceteri apostoli singulas sibi quisque defenderent; ut iam schismaticus et peccator esset qui contra singularem cathedram alteram collocaret. Ergo cathedram unicam, quae prima est de dotibus sedit prior Petrus, cui successit Linus ... qui Siricius noster est socius, cum quo nobiscum totus orbis commercio formatarum in una communionis societate concordat». De Schism. Donati, 1. 2 (ML. 11, 947).

Gregorius Nazianzenus comparans Romam veterem cum nova Roma seu Constantinopoli scribit «Quod spectat ad illorum fidem, vetus quidem (Roma) iam dudum atque etiam nunc recte currit, occidentem totum devinciens salutari doctrina, quemadmo-

dum par est ut *quae universis praesidet* totam colat Dei concordiam. Nova autem (Roma) antea stabat rectis pedibus, nunc vero nequaquam ». Carm. 1. 2, (MG. 37, 1068).

Marcellus Ancyrensis in Concilio antiocheno iniuste damnatus ad Iulium papam appellat scribens: « Cum nonnulli ex iis qui, quod non recte crederent, antea condemnati sunt, quique a me in Nicaena synodo convicti sunt, contra me ad pietatem tuam scribere non dubitaverint me nec recte nec secundum Ecclesiae doctrinam sentire, crimen suum in me nitentes transferre propterea mihi *necessario Romam veniendum et te commonendum putavi,* quo eos, qui contra me scripserunt, accerseres ». Epiphanius, Haec. 72 (GM. 42, 383). De Marcello et caeteris cum ipso damnatis ab Eusebianis merito scribit Batiffol: « Le fait que les victimes de l'oligarchie eusébienne accourent de tout l'Orient à Rome pour obtenir justice, est une preuve que *l'autorité de l'évêque de Rome est en situation de s'imposer à tous* et décidée à tenir tête, s'il le faut, à l'empereur d'Orient ». La paix Constantinienne (1929), p, 526.

Saeculi quarti testimoniis accenseri possunt propter suam ad Iulium papam relationem duo nova testimonia quae ad scriptores laicos et orientales pertinent, Socratem, inquam, et Sozomenum.

Socrates scribit: « Iulius... rescribens episcopis qui Antiochiae convenerant, graviter conquestus est primum quidem de acerbitate eorum epistulae; deinde quod contra canones ipsum ad synodum non convocassent, quum ecclesiastica regula interdictum sit *ne praeter sententiam Romani episcopi quidquam ab ecclesia decernatur* ». Socrates, II, 17 (MG. 67, 219).

Sozomenos vero Iulii verba sic interpretatur: « Legem enim esse sacerdotalem ut *pro irritis habeantur quae praeter sententiam episcopi romani fuerint gesta* ». Sozomenos, III, 10 (MG, 67, 1058).

Ammianus Marcellinus, gentilis licet scriptor, potentiorem principalitatem sedis romanae haud obscure testatur. Narrat imperatorem Constantium, deposito Athanasio, scopum suum demum obtinuisse. At minime adhuc contentus, ardebat desiderio videndi sententiam (depositionis) confirmata ab episcopo romano Liberio, quippe cuius auctoritatis praecellentior aliis foret: « *auctori-*

tate quoque potiore aeternae Urbis episcopi firmari desiderio nitebatur ardenti ». Rer. gest. 1. 15, c. 7. Consentit Athanasius scribens: « arbitrati sunt impii homines (Ariani) se, si Liberium seducere possint, *omnes illico superaturos;* quare illum apud imperatorem calumniantur. Ille (imperator) sperans se *Liberii opera quamprimum omnes sibi conciliaturum,* cum litteris spadonem Eusebii nomine mittit, dona ferentem ... » (MG. 25, 734). Vides quid sentiat de auctoritate episcopi romani gentilis scriptor, quid Eusebiani, quid ipse imperator.

Gratianus imperator: « Volumus autem ut quicumque iudicio Damasi, quod ille cum concilio quinque vel septem habuerit episcoporum, vel eorum qui catholici sint iudicio atque concilio condemnatus erit, si iniuste voluerit ecclesiam retentare, vel evocatus ad iudicium sacerdotale non adesse, seu ab illustribus viris praefectis praetorio Galliae atque Italiae, auctoritate adhibita, ad episcopale iudicium remittatur, seu e proconsulibus vel vicariis accitus *ad urbem Romanam sub prosecutione perveniat;* aut si in longinquioribus partibus alicuius ferocitas talis emerserit, omnis eius causae dictio ad metropolitani in eadem provincia episcopi deducatur examen vel si ipse metropolitanus est, *Romam necessario, vel ad eos quos Romanus episcopus iudices dederit,* sine dilatione contendat ... Quod si vel metropolitani episcopi vel cuiuscumque alterius sacerdotis iniquitas suspectatur aut gratia, *ad Romanum episcopum* vel ad concilium quindecim finitimorum episcoporum arcessito liceat provocare ». Corpus Script. Eccles. Latinorum, Viena (1886), 35, 57.

Saeculo quinto multiplicantur testimonia papalia, patristica et conciliaria. Audiantur praeprimis magnificae assertiones Romanorum Pontificum:

Innocentius I ad episcopos africanos: « In requirendis Dei rebus ... antiquae traditionis exempla servantes ... vestrae religionis vigorem vera ratione firmastis, *qui ad nostrum requirendum probastis esse iudicium, scientes quid Apostolicae sedi debeatur*
Vel id vero quod patrum statuta sacerdotali officio custodientes non censetis esse calcanda, quod illi non humana sed divina decrevere sententia, ut quidquid quamvis ex disiunctis remotisque

provinciis ageretur, *non prius ducerent esse finiendum, nisi ad huius Sedis notitiam perveniret,* ut tota huius auctoritate, iusta quae fuerit pronuntiatio firmaretur, indeque sumerent caeterae ecclesiae ... quid praecipere (deberent), quos abluere, quos veluti caeno inemundabili sordidatos mundis digna corporibus unda vitaret » (ML. 30, 582).

Zosimus item ad episcopos africanos: « Quamvis *Patrum traditio apostolicae sedi tantam auctoritatem tribuerit ut de eius iudicio disceptare nullus auderet,* idque per canones semper regulasque servaverit ... cum ergo *tantae auctoritatis Petrus caput sit* et sequentia omnium maiorum studia firmaverit, ut tam humanis quam divinis legibus ... firmetur Romana Ecclesia, cuius locum nos regere ipsius quoque potestatem nominis obtinere non latet vos, sed nostis fratres carissimi, et quemadmodum sacerdotes scire debetis: tamen cum *tantum nobis esset auctoritatis, ut nullus de nostra possit retractare sententia,* nihil egimus quod non ad vestram notitiam nostris ultro litteris referremus ». (ML. 20, 676).

Bonifatius I ad Rufum suum vicarium Thessalonicensem: « Manet b. apostolum Petrum per sententiam dominicam *universalis ecclesiae* ab hoc *sollicitudo* suscepta, quippe quam, Evangelio teste, in se noverit esse fundatam, nec umquam eius honor vacuus potest esse curarum, cum certum sit, *summam rerum ex eius deliberatione pendere* ... Quoniam locus exigit, si placet recensere canonum sanctiones, reperietis quae sit post Ecclesiam romanam secunda sedes, quaeve sit tertia. A quibus (sanctionibus) ideo ita rerum videtur ordo distinctus, ut se ecclesiarum pontifices caeterarum, sub uno tamen eodemque sacerdotio, habere cognoscant quibus caritate servata propter ecclesiasticam disciplinam debeant esse subiecti. Et quidem haec sententia canonum a vetustate duravit, ut nuncusque Christo nostro favente perdurat. Nemo umquam *apostolico culmini, de cuius iudicio non licet retractari,* manus obvias audacter intulit; nemo in hoc rebellis existit nisi que de se voluit iudicari. Servant ecclesiae magnae praedictas per canones dignitates, Alexandrina et Antiochena, habentes ecclesiastici iuris notitiam. Servant, inquam, statuta maiorum, *in omnibus deferentes* et eius vicissitudinem recipientes gratiae,

quam se in Domino, qui pax nostra est, *nobis deberi cognoscunt.* Sed quia res postulat, approbandum documentis est *maximas Orientalium ecclesias in magnis negotiis, in quibus opus esset disceptatione maiori, sedem super consulisse romanam,* et, quoties usus exegit, eius auxilium postulasse ». Coustant, o. c., p. 1039 sq.

Leo M. primatum Petri et Romani Pontificis egregie illustravit et multifariam exercuit. Doctrinam quod attinet, pauca ex eius sermonibus colligimus, de ipsius exercitio mox acturi:

Sermo III: « Soliditas illius fidei, quae in apostolorum principe est laudata, perpetua est: et sicut permanet quid in Christo Petrus credidit, ita *permanet quod in Petro Christus instituit*... Manet ergo dispositio veritatis, et Beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans *suscepta Ecclesiae gubernacula* non reliquit... Qui nunc plenius et potentius quae sibi commissa sunt peragit... Si quid itaque *a nobis* recte agitur recteque decernitur... illius est operum atque meritorum *cuius in sede sua vivit potestas et excellit auctoritas*... Rationabili obsequio celebratur hodierna festivitas, ut in persona humilitatis meae ille intellegatur, ille honoretur, in quo et *omnium pastorum sollicitudo* cum commendatarum sibi ovium custodia perseverat, et *cuius dignitas etiam in indigno herede non deficit* Unde venerabilium quoque fratrum et consacerdotum meorum desiderata et honoranda praesentiae hinc sacratior est atque devotior, si pietatem huius officii in quo adesse dignati sunt ei principaliter referunt, quem non solum huius sedis praesulem, sed *et omnium episcoporum noverunt esse primatem* » (ML. 54, 145-147).

Sermo IV: « Soliditas enim illa quam de petra Christo etiam ipse petra factus accepit *in suos transfudit heredes,* et ubicumque aliquid ostenditur firmitatis non dubie apparet fortitudo pastoris... Cum itaque, dilectissime, tantum nobis videamus praesidium divinitus institutum, rationabiliter et iuste in ducis nostri meritis et dignitate laetamur, gratias agentes sempiterno Regis Redemptori D. N. J. C., quod tantam potentiam dedit ei quem *totius ecclesiae principem fecit,* ut si quid etiam nostris temporibus recte *per nos agitur,* illius sit operibus, illius sit gubernaculis deputandum, cui dictum est: Et tu confirma fratres tuos, et cui post resurrectionem suam Dominus ad trinam aeterni

amoris professionem, mystica insinuatione ter dixit: pasce oves meas. Quod nunc quoque procul dubio facit ... » (ML. 54, 152).

Sermo V « Quamvis singuli quique pastores speciali sollicitudine gregibus suis praesint, sciantque se pro commissis sibi ovibus reddituros esse rationem, *nobis tamen cum omnibus cura communis est,* nec cuiusquam administratio non nostri laboris est portio: ut *dum ad beati apostoli Petri sedem ex toto orbe concurritur,* et illa universalis Ecclesiae a Domino eidem commendata dilectio ex nostra dispositione deposcitur, tanto amplius nobis instare oneris sentiamus quanto cunctis maiora debemus » (ML. 54, 153).

Gelasius I *a*) ad Anastasium Augustum: « Si cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit corda submitti, quanto potius sedis illius praesuli consensus est adhibendus *quem cunctis sacerdotibus et divinitas summa voluit praeeminere,* et subsequens Ecclesiae generalis iugiter pietas celebravit. Ubi pietas tua evidenter advertit nunquam quolibet penitus humano consilio elevare se quemquam posse illus privilegio vel confessioni, *quem Christi vox praetulit universis,* quem Ecclesia veneranda confessa semper est et habet devota primatem ... Apostolicae vero sedis auctoritas, quod *cunctis saeculis christianis Ecclesiae praelata sit universae,* et canonum serie paternorum et multiplici traditione firmatur ». Thiel, Romanorum Pontificum epistulae (1868), epist. 12, p. 351 sq.

b) Ad episcopos Dardaniae scribit de sede romana: « Quae et unamquamque synodum *sua auctoritate confirmat ... pro suo scilicet principatu quem beatus Petrus apostolus Domini voce perceptum,* Ecclesia nihilominus subsequente, *et tenuit semper et retinet* Quoniam sicut id, *quod sedes prima non probaverat, constare non potuit,* ita quod illa censuit iudicandum, Ecclesia tota suscepit » Thiel, Epist. 26, p. 395, sq.

c) In eadem epistula reperitur hoc magnificum testimonium: « Non reticemus quod cuncta per mundum novit Ecclesia, quoniam *quorumlibet sententiis ligata pontificum sedes beati Petri apostoli ius habeat resolvendi,* utpote quae *de omni ecclesia fas habeat iudicandi,* neque *cuiquam de eius liceat iudicare iudicio;* siquidem, ad illam de qualibet mundi parte canones appellari

voluerint, ab illa autem nemo sit appellare permissus». Thiel, p. 399.

d) In Concilio Romano asserit Gelasius: « Sedes apostolica quidem, quae *Christo Domino delegante totius Ecclesiae retinet principatum,*. pro dispensatione curaque generali, quam vel pro fide catholica vel pro paternis canonibus regulisque maiorum necessaria semper circumspectione rependit, Misenum atque Vitalem... communione pariter et honore merito iureque submovit». Thiel, epist. 30, p. 441.

Decretum sic dictum *Gelasianum*: « Quamvis universae per orbem catholicae diffusae Eclesiae unus thalamus Christi sit, sancta tamen Romana Ecclesia *nullis Synodicis constitutis ceteris ecclesiis praelata est, sed evangelica voce Domini et Salvatoris primatum obtinuit*: Tu es Petrus, inquiens, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... Addita est societas beatissimi Pauli Apostoli, vasis electionis, qui non diverso sicut haeretici garriunt, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans coronatus est; et pariter supradictam Ecclesiam Romanam Christo Domino consecrarunt » Thiel, p. 454 sq.

Anastasius II ad imperatorem Anastasium: « Ut per ministerium humilitatis meae, sicut semper est, sedes beatissimi Petri *in universali ecclesia assignatum sibi a Domino Deo teneat principatum* ». Thiel, p. 616.

Ex Patribus pauca testimonia allegare sufficiat:

Petrus Chrysologus ad Eutychen archimandritam constantinopolitanum: « In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his quae beatissimo papa Romanae civitatis scripta sunt obedienter attendas, quoniam *beatus Petrus qui in propria sede et vivit et praesidet*, praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei, *extra consensum Romanae civitatis episcopi, causas fidei audire non possumus* ». (ML. 54, 743).

Vincentius Lirinensisi in Commonitorio: « Cum ergo undique ad novitatem rei [in quaestione baptismali] cuncti reclamarent, atque omnes quaquaversum sacerdotes pro suo quisque studio reniterentur, tunc beatae memoriae papa Stephanus, apostolicae sedis antistes, cum ceteris quidem collegis suis, sed tamen prae ce-

teris restitit, dignum, ut opinor, existimans si *reliquos omnes tantum fidei devotione vinceret, quantum loci auctoritate superabat* ». (ML. 50, 645).

Qualis sit haec loci principalitas alibi clare exprimit scribens: « Lectae ibidem [in concilio Ephesino] quaedam ad quosdam epistulae S. Felicis martyris et Sancti Iulii, urbis Romae episcoporum. Et ut non solum *caput orbis,* verum etiam latera illi iudicio testimonium perhiberent, adhibitus est a meridie beatissimus Cyprianus, a septentrione Sanctus Ambrosius ». In eodem Commonit. (ML. 50, 681).

Prosper eandem dignitatem capitalem exprimit notis versibus: « Sedes Roma Petri, quae *pastoralis honoris facta caput mundo,* quidquid non possidet armis, Religione tenet ».

Theodoretus Cyrensis in Comment, ad epist. ad Romanos: « Totius quasi terrarum orbis nomine eam [ecclesiam romanam] salutavit [Paulus], quae *universo terrarum orbi praesidebat* » (MG. 82, 221). Et alibi: « Habet enim Sanctissima illa sedes [romana] *ecclesiarum, quae in toto orbe sunt, principatum* multis nominibus », epist. (MG. 83, 1324).

Concilium Ephesinum

Primatus romanus manifestatur: a) ante concilium; b) in concilio; c) post concilium.

Ante concilium auctoritas suprema Romani Pontificis multifariam innotescit: a) Ex prima ecclesiae Orientalis sede fit recursus ad Romam; sic enim scribit Cyrillus Alexandrinus ad Caelestinum papam: « sed quoniam Deus hisce in rebus vigilantium a nobis exigit, et *longa ecclesiarum consuetudo suadet* ut huiusmodi res cum sanctitate tua communicentur, scribo necessitate adactus ... Opus est autem ut tuae pietatis sententiam super hanc rem tum Macedoniae episcopis, tum omnibus Orientis antistibus manifesta fiat ». Coustant, p. 1090 sq.

b) Porro Romae synodus celebratur a 430, totaque Nestorii causa diligenter discussa, Caelestinus sententiam promulgat statuens: « Aperte igitur hanc nostram scias esse sententiam: ut nisi de Christo Deo nostro ea praedices, quae Romana et Alexandrina

et universalis Ecclesia tenet ... et hanc perfidam novitatem ... intra decimum diem a primo innotescentis tibi huius conventionis die numerandum, aperta et scripta confessione damnaveris, ab universalis te Ecclesiae catholicae communione deiectum » Cf. Kirch, Enchiridion ... n. 718.

c) Caelestinus hanc sententiam Cyrillo Alex. suo vicario exequendam tradit: « *Auctoritate igitur tecum nostrae sedis adscita, vice nostra usus, hanc exequeris districto vigore sententiam* ». Acta Conc. Oec. I 2, p. 6.

d) Caelestinus suis legatis dat litteras instructionis: « Cum Deo nostro, sicut credimus et speramus, auctore ad destinata vestra caritas venerit loca, ad fratrem et coepiscopum nostrum Cyrillum consilium vestrum omne convertite, et quidquid in eius videritis arbitrio facietis. *Auctoritatem sedis apostolicae custodiri debere mandamus.* Siquidem et instructiones quae vobis traditae sunt, hoc loquantur, ut interesse conventui debeatis, ad disceptationem si fuerit ventum, *vos de eorum sententiis iudicare debetis, non subire certamen* ». O. c. p. 25.

e) Ad Patres quoque Concilii scribit Caelestinus: « Direximus pro nostra sollicitudine sanctos fratres et consacerdotes nostros ... Archadium et Proiectum episcopos et Philippum praesbyterum, qui his quae agenda sunt intersint, et *quae a nobis antea statuta sunt exequentes;* quibus praestandum a vestra sanctitate consensum non dubitamus, quando id quod legitur, videatur pro universali Ecclesiae securitate decretum » O. c., p. 24.

In Concilio: a) Legati romani imprimis notant in causa Nestorii agi de re a Caelestino papa iam definita, quae executioni mandanda fuerat. Sic Philippus ait: « Dudum quidem beatissimus sanctissimusque papa noster Caelestinus, sedis apostolicae episcopus per suas epistulas ad Cyrillum sanctum virum ac piissimum ecclesiae Alexandrinae episcopum *de praesenti hac causa ac negotio definivit;* quae litterae sacro vestro coetui sunt exhibitae ... ». Acta Conc. Oecum. I 1, 3, p. 53 — Consonat Firmus Caesareae Cappadociae episcopus: « Apostolica et sancta sedes Caelestini sanctissimi episcopi per litteras quas ad religiosissimos episcopos, ad Cyrillum inquam Alexandrinum... etiam ante *de praesenti negotio sententiam regulamque praescripsit,* quam nos quo-

que secuti... *formam illam executioni mandavimus,* agnita in ea canonica et apostolica sententia ». O. c., p. 57.

b) Patres porro Concilii fatentur se formam seu sententiam Caelestini executioni mandasse necessitate vere constrictos: « *Coacti per sacros canones et epistulam... Caelestini Romanae Ecclesiae episcopi... ad hanc contra eum* [Nestorium] *sententiam necessario venimus* ». O. c., p. 54.

c) Philippus legatus in tertia sessione primatui petrino et romano splendidum testimonium coram Patribus perhibet: « *Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est* quod sanctus beatissimusque Petrus, Apostolorum *princeps et caput, fideique columna et catholicae ecclesiae fundamentum* a Domino nostro I. Ch. salvatore generis humani ac redemptore claves regni accepit, solvendique et semper *in suis successoribus vivit et iudicium exercet.* Huius itaque secundum ordinem successionis et locum tenens sanctus beatissimusque papa noster Caelestinus, nos ipsius praesentiam supplentes ad hanc sanctam synodum missit ». O. c., p.

d) Finita demum synodo, Patres relationem de omnibus mittunt ad Caelestinum: « Quoniam autem *oportebat omnia ad scientiam tuae sanctitatis referri,* quae subsecuta sunt scribimus necessario... Lectis vero in sancta synodo gestis quae celebrata sunt in depositionem irreligiosorum Pelagianorum... censemus et nos valida et firma perdurare *quae definita fuerunt a tua reverentia,* et consentanei sumus in sententia omnes, depositos eos habentes. Ut autem integre omnia cognoscas, quae acta sunt, destinavimus gesta ». ML. 50, 521 sq.

Post Concilium. a) Patres in Concilio simul cum Nestorio alios quoque damnaverant. Caelestinus porro approbat Nestorii depositionem eiusque successoris Maximiani in sede constantinopolitana institutionem. Quoad alios vero et maxime quoad Ioannem Antiochenum *sibi reservat sententiam definitivam*: « De iis autem qui cum Nestorio videntur pari impietate sensisse, atque se socios eius sceleribus addiderunt, quaquam legatur in eos vestra sententia, *tamen nos quoque decernimus* quod videtur. Multa per spicienda sunt in talibus casibus, quae apostolica sedes semper aspexit... Antiochenum vero, si habet spem correctionis, episcopum, a vestra fraternitate volumus conveniri, ut nisi quae senti-

mus, senserit, novellam blaspemiam, eodem exemplo scripta sua professione condemnans, intelligat de se quoque Ecclesiam quod fidei nostrae respectus imperat, ordinare». (ML. 50, 542). Advertas Ioannem Antiochenum fuisse iam a Concilio excommunicatum.

b) Facta iam pace inter Cyrillum Alexandrinum et Ioannem Antiochenum, *Xistus III,* Caelestini in cathedra romana successor, sic de Antiocheno decernit: « De Ioanne autem Antiochiae *haec definimus debere servari,* quae in litteris ante missis praescripta sunt, ut noverit se futurum unum catholicorum, si cuncta per synodum damnata damnans, ostenderit se ipsum catholicum sacerdotem. Retine igitur fortiter *quae a synodo, tum quae a nobis definita sunt,* frater dilectissime... Haec vero ad vicinorum fratrum notitiam volo mitti per pietatem tuam, ut discant in re tanta, etsi olim cuncta plenissima definita fuerunt, non cessare autem segnem tamen esse apostolicam sedem; neque enim permittit nos quietos esse ab eiusmodi curis *omnium ecclesiarum sollicitudo* » (ML. 50, 589).

c) Xistus demum ad Ioannis Antiocheni epistulam sic rescribit 15 Sept. 433: « Haec sanctitatem tuam volumus praedicare quae scribit. Expertus es negotii praesentis eventu *quid sit sentire nobiscum. Beatus Petrus Apostolus in succesoribus suis quod accepit, hoc tradit.* Quis ab eius se velit separare doctrina, quam ipse inter apostolos primum Magister docuit? Ergo quia... fides una est, quae et vincenter obtinuit, dicenda credamus, et tenenda dicamus. Nihil ultra liceat novitati, quia nihil addi convenit vetustati; dilucida et perspicua maiorum credulitas nulla caeni permixtione turbetur » (ML. 50, 1176).

Concilium Chalcedonense

Primatus romanus rursus manifestatur ante concilium; *b*) in concilio; *c*) post concilium.

Ante Concilium: Eutyche condemnato in synodo Constantinopolitana:

Flavianus patriarcha mittit ad Leonem papam gesta conciliaria rogatque approbationem sententiae synodalis: « sic enim et quae insurrexit haeresis et ob eam excitatus tumultus *facile ces-*

sabil, Deo cooperante, *per vestras litteras; prohibebitur* vero et quae evulgatur *futura synodus* ».

Euthyches a synodo Constantipolitana excommunicatus *appellat ad Leonem* eique obedientiam promittit. Sic apparet ex epistula Leonis ad imperatorem Theodosium II: « cum in libello suo, quem ad nos misit, hoc saltem sibi ad promerendam veniam reservaverit, ut *correcturum se esse promitteret quidquid nostra sententia de his quae male senserat improbasset* ». Iaffé, Regesta Pontificum Romanorum, n. 425. Cf. etiam epistulas Leonis ad concilium, ibid. n. 427.

Petrus Chrysologus episcopus Ravennae (urbis imperialis in Occidente), apud quem Eutyches auxilium quaesierat, sic ad eum rescribit: « Haec breviter respondi, frater, litteris tuis, plura rescripturus si ad me frater et coepiscopus noster Flavianus aliqua de hac causa scripta misisset... In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his quae a beatissimo Papa romanae civitatis scripta sunt obedienter attendas, quoniam beatus *Petrus,* qui in propria sede et *vivit et praesidet* (προκάθηται) praestat quaerentibus fidei veritatem. Nos enim pro studio pacis et fidei *extra consensum Romanae civitatis episcopi causas fidei audire non possumus* ». (ML. 54, 143).

Eusebius episcopus Doryleae condemnatus in conciliabulo Ephesino *appellat* ad Leonem Magnum scribens: « Curavit desuper et ab exordio consuevit thronus apostolicus iniqua perferentes defensare, et eos qui in inevitabiles factiones inciderunt adiuvare, et humi iacentes erigere secundum possibilitatem (potestatem) quam habetis... Quoniam igitur dura et iniqua praeter divinos canones pertuli a Dioscoro et ab aliis religiosis episcopis, qui timore et necessitate compulsi voluntati eius obtemperaverunt et in condemnatione mea consenserunt sicuti sciunt qui a vestra sanctitate missi sunt in loco vestrae beatitudinis religiosissimi viri, quibus et *libellos obtuli appellationis meae,* (in quibus *vestrae sedis cognitionem poposci*), deprecor vestram beatitudinem et genua vestra tangens, si non manu, et tamen linguae perfungor officio: *pronuntiate evacuari et inanem fieri meam iniquam condemnationem* a religiosissimo episcopo Dioscoro, et eorum decretum qui in-

viti consenserunt eius voluntati, *reddentes mihi dignitatem episcopatus* et vestram communionem litteris vestris ad meam exiguitatem datis, quibus et dignitatem repraesentetis et communionem ». Neues Archiv (Mommsen), t. XI, p. 364 sq. De hac appellatione merito notat Battifol: « C'est un recours à une juridiction capable de casser la sentence d'un concile d'Orient convoqué par l'empereur et qui a tous les dehors d'un concile général ». Le Siège apostolique (1924), p. 517.

Theodoretus episcopus Cyrensis condemnatus et ipse in latrocinio Ephesino similiter *appellat ad Leonem*: « Si Paulus praeco veritatis, tuba Spiritus S. ad magnum Petrum se contulit... multo magis nos humiles et pusilli ad apostolicam sedem vestram accurrimus ut Ecclesiarum ulceribus remedium a vobis accipiamus. *Vobis enim primas in omnibus tenere convenit*... ego *apostolicae vestrae expecto sententiam,* et oro atque obtestor sanctitatem vestram ut mihi rectum ac iustum tribunal vestrum invocanti opem ferat, iubetque ad vos venire, et doctrinam meam apostolicis vestigiis inhaerentem ostendere... Ante omnia ut a vobis docear oro *an me oporteat in hac iniusta depositione acquiescere, an non; vestram enim sententiam expecto. Quod si in iudicatis manere me iusseritis, manebo,* neque ulli hominum deincens molestus ero ». ML. 54, 847 sq.

Ipse Flavianus damnatus a pseudosynodo Ephesina *appellat ad Leonem* scribens: « Oportuit quidem ad praesens tempus me dignitanter referre et *uti appellatione apostolica ad vestram sanctitatem,* ut progrediens ad Orientem *auxilium ferret periclitanti* piae sanctorum patrum *fidei*... Ecce enim confusa sunt omnia; solutae sunt ecclesiasticae ordinationes perierunt ea quae sunt fidei, dissensione retinentur piae animae... Oro itaque vestram sanctitatem, ne obdormire patiamini super his... sed insurgere primum quidem in causa rectae fidei nostrae quae quadam libidine periit; deinde propter eversionem ecclesiasticarum constitutionum curam facere...; *dare etiam formam,* quam Deus vestrae menti inspirabit, ut tam Occidentali quam etiam Orientali in unum facta patrum synodo similis ubique praedicetur fides, ut in *irritum deduci valeant* atque dissolvi quae male gesta sunt ». Neues Archiv, t. c. p. 362 sq.

In Concilio non minus clare innotescit sedis r. auctoritas suprema:

Leo imprimis doctrinam fidei a Patribus tenendam *clare definit* in sua ad synodum epistula: « Unde, fratres carissimi, reiecta penitus audacia disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium infidelitas conquiescat, *nec liceat defendi quod non licet credi,* cum secundum evangelicas auctoritates, secundum propheticas voces, apostolicamque doctrinam plenissime et lucidissime *per litteras quas ad b. m. Flavianum episcopum misimus fuerit declaratum,* quae sit de sacramento Incarnationis D. N. Iesu Christi pia et sincera confessio ». ML. 54, 937.

Legati Pontificii vindicant auctoritatem tomi Leonis in sessione quinta concilii: « Si non consentiunt epistulae apostolici et beatissimi viri papae Leonis, iubete nobis rescripta dari, ut revertamur, et ibi (in Italia) synodus celebretur ». Ad haec respondent legati imperiales synodo praesidentes: « Dioscorus dicebat: Quod ex duabus naturis est (Christus) suscipio, duas non suscipio; sanctissimus autem archiepiscopus Leo duas naturas dicit esse in Christo unitas inconfuse, inconvertibiliter et indivisibiliter in uno unigenito Filio Salvatore nostro: Quem igitur sequimini: sanctissimum Leonem aut Dioscorum? Reverendissimi episcopi clamaverunt: Ut Leo sic credimus » — Magnificentissimi et gloriosissimi iudices dixerunt: « Ergo addite definitioni: *Secundum iudicium sanctissimi Patris nostri Leonis* duas esse naturas in Christo inconvertibiliter et inseparabiliter et inconfuse ». Mansi, sacrorum Conciliorum nova et amplissima lectio, VII, 102 sq.

Marcianus imperator a Leone confirmationem concilii petit: « Tua pietas litteras mittere dignabitur per quas omnibus ecclesiis et populis manifestum fiat in sancta synodo peracta a tua beatitudine rata haberi... Quam ob rem tua veneranda dignitas decretum quam celerrime emittat quo confirmare ipsam Chalcedonensem synodum manifestatissime ostendat, ut ii qui exoptant impia diverticula nullam habere possint suspicionem de iudicio tuae sanctitatis ». ML. 54, 1019. Quibus Leo respondet: « Haec ad omnes fratres et coepiscopos nostros qui praedicto concilio interfuerunt scripta direxi, quae gloriosissimus princeps, sicut poposci, in notitiam vestram mittere pro catholicae fidei amore di-

gnabitur ut et fraterna universitas et omnium fidelium corda cognoscant me non solum per fratres qui vicem meam executi sunt, sed etiam per approbationem gestorum synodalium propriam vobiscum unisse sententiam in sola videlicet causa fidei, quod saepe dicendum est, propter quam generale concilium et ex praecepto christianorum principum et ex consensu apostolicae sedis placuit congregari ». Ml. 54, 1029.

Patres Concilii primatum romanum testantur in sua ad Leonem epistula: « Unde et nos, quippe ut *inchoatore bonorum te* ad utilitatem utentes, Ecclesiae filiis hereditatem sortemque veritatis ostendimus... eramus in communi corona gaudii, deliciis spiritualibus epulantes, quas *per tuas litteras* Christus praeparaverat invitatis... Quibus (episcopis) tu quidem, *sicut membri caput praeeras* (ἑγεμόνευες) in his qui tuum tenebant ordinem benevolentiam praeferens. Imperatores vero fideles *ad ornandum* decentissime praesidebant... [Dioscorus qui multa prius pessima operatus supervicit priora sequentibus. Nam... et Eutychen, pro impietate damnatum, suae tyrannidis decretis innoxium statuit, et *dignitatem quae a vestra illi ablata fuerat sanctitate,* ille restituit... Et post haec omnia, insuper et contra ipsum, *cui vineae custodia a Salvatore commissa est,* extendit insaniam, id est contra tuam quoque dicimus sanctitatem, et excommunicationem meditatus est contra te qui *corpus Ecclesiae unire* festinas ». ML. 54, 951-953.

Post concilium recurrunt novae et illustriores primatus romani manifestationes.

a) Peractis his quae ad fidei causam spectabant, Patres constantinopolitani sollicitos se produnt de praeparando ac definiendo canone 28° in quo primum confirmatur canon 3us concilii constantinopolitani I asserens: « Constantinopolitanae civitatis episcopus habere oportet primatum honoris post Romanum episcopum, propterea quod ea sit nova Roma »; eidem dein episcopo c. tribuitur potestas ordinandi metropolitanos provinciarum tam Asianae quam Ponticae vel Thraciae.

b) Legati Pontifici advertentes rem totam extraconciliariter actam vehementer resistunt: « Qui enim locum vestrae sanctitatis obtinent sanctissimi episcopi Paschasinus et Lucentius et

qui cum eis est reverendissimus presbyter Bonifacius, his ita constitutis vehementer resistere tentaverunt, procul dubio a vestra providentia inchoari et hoc bonum volentes, ut sicut fidei sic bonae ordinationis vobis deputetur effectus » aiunt PP. Concilii ML. 54, 957.

c) Hinc est quod Imperator, Anatolius ep. c. et ipsi Patres conciliares *novi canonis confirmationem instanter a Leone papa petunt.* Imperator quidem Marcianus sic ad Leonem scribit: « Quoniam vero et hoc constitutum est, ut ea quae a centum quinquaginta episcopis... erga venerabilem constantinopolitanam Ecclesiam statuta sunt, quaeque nunc a sancta synodo de eadem re sancita sunt, firma serventur... *dignetur sanctitas tua etiam huic parti assensum praebere* » ML. 54, 973. — Anatolius similiter scribit ad Leonem: « Quoniam vero etiam de aliis rebus oportebat nos considerare... et hanc rem aggressi sumus confidentes merito vestrae beatitudini fore ut proprium reputet honorem sedis constantinopolitanae... Nam sedes c. habet patrem thronum apostolicum ve strum... Et sicut utilia ecclesiastico statui omnia quae consecuta sunt et rite gesta in sanctissima et universali synodo *rata habere dignamini, ipsam quoque definitionem supradictam de sede constantinopolitana curavimus mittendam ad vestram sanctitatem... vehementerque obtestamur ut congruam responsionem recipiat* unaquaeque propositio » ML. 54, 979 sq. — Eadem demum petitio iteratur a Patribus concilii: « Indicamus vero quia et altera quaedam pro rerum ipsarum ordinata quiete et propter ecclesiasticorum statutorum definivimus firmitatem *scientes quia et vestra sanctitas addiscens et probatura et confirmatura est eadem...* Quae igitur difinivimus ad interemptionem quidem totius confusionis... haec sicut propria et amica, et ad decorem convenientissima, *dignitare complecti,* sanctissime et beatissime pater... *Rogamus igitur, et tuis decretis nostrum honora iudicium;* et sicut nos capiti in bonis adiecimus constantiam, sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat » ML. 955 sq.

d) Leo papa petitam confirmationem fortiter denegat in sua ad Marcianum epistula: « Miror et doleo quod pacem universalis Ecclesiae divinitus reformatam ambitionis rursus spiritus inquietat... Habeat; sicut optamus, Constantinopolitana civitas glo-

riam suam, ac protegente dextera Dei, diuturno clementiae vestrae fruatur imperio. *Alia tamen est ratio rerum saecularium, alia divinarum; nec praeter illam petram quam Dominus in fundamento posuit stabilis erit ulla constructio.* Propria perdit, qui indebita concupiscit. Satis sit praedicto (Anatolio) quod vestrae pietatis auxilio et *mei favoris assensu* episcopatum tantae urbis obtinuit. Non dedignetur regiam civitatem, *quam apostolicam non potest facere sedem;* nec ullo speret modo quod per aliorum possit offensiones augeri » ML. 54, 993 sq. His gemina sunt quae scribit ad Pulcheriam augustam: « Frater et episcopus meus Anatolius parum considerans quanto pietatis vestrae beneficio et *mei favoris assensu* Constantinopolitanae Ecclesiae sacerdotium fuerit consecutus, non tam de adeptis gavisus, quam de immodicis appetendis supra mensuram sui honoris accensus est... Superbum nimis est, antiquitate calcata, alienum ius velle praeripere, atque ut unius crescat dignitas tot metropolitanorum impugnare primatus... atque ut venerabilium Patrum decreta (nicaena) solvantur, quorundam episcoporum proferre consensum, *cui tot annorum series negavit effectum...* Agnoscat cui successerit viro, Flaviani fidem, Flaviani modestiam, Flaviani humilitatem imitetur... Hac observantia meum quoque animum illi spondeo copulandum, et apostolicae sedis dilectionem, quam Constantinopolitanae Ecclesiae semper impedit, nulla mutabilitate violandam... Consensiones vero *episcoporum* (canonem tertium conc. constantinopolitani) sanctorum canonum apud Nicaeam conditorum regulis repugnantes, unita nobiscum vestrae fidei pietate *in irritum mittimus et per auctoritatem beati Petri apostoli generali prorsus definitione cassamus* » (ML. 54, 998 sq.).

Fortiora sunt quae ad ipsum Anatolium scribit: « Post illa ordinationis tuae non inculpata principia, post consecrationem Antiocheni episcopi, quam tibi contra canonicam regulam vindicasti, doleo etiam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut sacratissimas Nicaenorum canonum constitutiones conareris infringere; tanquam opportune se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, et Antiochena Ecclesia proprietatem tertiae dignitatis amiserit; ut his locis iuri tuo subditis omnes metropolitani episcopi proprio honore pri-

ventur. Quibus inauditis et nunquam ante tentatis ita praeveniris excessibus, ut Sanctam Synodum ad extinguendam solum haeresim et ad confirmationem fidei catholicae, studio christianissimi principis congregatam, in occasionem ambitus trahas, et ut conniventiam suam tibi dedat impellas... Absit a conscientia mea ut tam prava cupiditas meis studiis adiuventur, ac non potius et meo et omnium qui non alta sapiunt, sed humilibus consentiunt, opere subruatur... Persuasioni tuae in nullo penitus suffragatur quorundam episcoporum ante sexaginta, ut iactas, annos facta conscriptio *nunquam a praedecessoribus tuis ad apostolicae sedis transmissa notitiam*... Nihil Alexandrinae sedi eius, quam per sanctum Marcum evangelistam beati Petri discipulum meruit pereat dignitatis; nec Dioscoro impietatis suae pertinacia corruente, splendor tantae Ecclesiae tenebris obscuretur alienis. Antiochena quoque Ecclesia, in qua primum praedicante beato apostolo Petro, Christianum nomen exortum est, in paternae constitutionis ordine perseveret, et in gradu tertio collocata nunquam se fiat inferior. Alliud enim sunt sedes, aliud praesidentes... Haec tibi scribens, frater, in Domino hortor ac moneo ut, deposito ambitionis desiderio, spiritu potius ferveas caritatis... Nam si inconcessa quaesieris, ipse te tuo opere atque iudicio universalis Ecclesiae pace privabis » ML. 54, 1003 sq. Quid ad haec Orientales?

e) *Imperator Marcianus,* nedum resistat vel etiam miretur has Leonis praetensiones, laudat ipsius zelum et sollecitudinem in urgenda executione sacrorum canonum: « Illud profecto, ut decebat episcoporum apostolicae sedis excellenter tua sanctitas praestitit, ut ecclesiasticos canones custodiendo nihil antiqui moris et ordinis olim constituti et ad hanc usque diem inviolabiliter observati passa sit innovari ». ML. 54, 1019. — *Anatolius* item, nedum adversetur, plenam obedientiam Leoni spondet, seipsum expurgare satagit, omnem ambitionis causam in clerum constantinopolitanum refundit, et auctoritati Sanctae sedis magnificum testimonium perhibet: « Nunc vero cunctis aliis acrior me pressit anxietas, quam diutina peperit vestrae *non solita sanctitatis intermissio litterarum,* maxime cum mihi quae scriptae essent a vobis aliis ostenderentur epistulae, quae maius facerent doloris augmentum, qui frequentius cuperem potiri vestris affatibus, ut *illa*

vobis obediendo complerem... absit ut ego eis quaecumque fuissent mandata per litteras *adversarer...* De his autem quae Constantinopolitanae gratia sedis sancita sunt in Chalcedonesi super universali synodo, pro certo beatitudo vestra hoc habeat, nullam esse culpam in me... sed *Constantinopolitanae Ecclesiae reverentissimus clerus est, qui hoc habuit studium,* et istarum partium religiosissimi sacerdotes qui in hoc fuere concordes et sibi pariter adiutores; cum et *sic gestorum vis omnis et confirmatio auctoritati vestrae beatitudinis fuerit reservata* » ML. 54, 1082 sq. — Simile primatus romani encomium protulerant Patres Concilii: « Ut autem cognoscatis quia nihil cuilibet donando per gratiam fecimus.. omnem vobis gestorum vim insinuavimus ad comprobationem nostrae sinceritatis et *ad eorum quae a nobis gesta sunt firmitatem et consonantiam* » ML. 54, 959.

Saeculo sexto recurrit *Formula Hormisdae* in qua continetur magnificum testimonium primatus romani. En in primis textum:

« Prima salus est rectae fidei regulam custodire et a constitutis Patrum nullatenus deviare. Et quia non potest Domini Nosti Iesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam...: Haec quae dicta sunt, rerum probantur effectibus, quia *in Sede Apostolica citra maculam semper est catholica servata religio.* De qua spe et fide minime separare cupientes et Patrum sequentes constituta, anathematizamus omnes haereses, praecipue Nestorium haereticum... Suscipimus autem et probamus epistulas beati Leonis Papae universas, quas de Christiana religione conscripsit, sicut praediximus, sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, et praedicantes omnia eius constituta. Et ideo spero ut in una communione vobiscum, quam Sedes Apostolica praedicat, esse merear, *in qua est integra et verax Christianae religionis et perfecta soliditas*: promittens in sequenti tempore sequestratos a communione Ecclesiae catholicae, id est, non consentientes sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria. Quodsi in aliquo a professione mea deviare tentavero, his, quos damnavi, complicem me mea sententia esse profiteor. Hanc autem professionem meam ego

manu mea subscripsi, et tibi Hormisdae Sancto ac venerabili Papae urbis Romae direxi » Cf. DB. n. 171-172.

Huius testimonii vim ut plenius assequaris notes sequentia:

a) In Sede Apostolica (romana) citra maculam semper est catholica servata religio: En assertum *factum historicum* de Sede romana centro orthodoxiae oecumenicae.

b) In Sede Apostolica est integra et verax et perfecta christianae religionis soliditas: En proclamatum *principium iuridicum* continens praerogativam propriam huius sedis = auctoritas suprema qua constituitur perenne unitatis principium.

c) Quia non potest praetermitti Domini Nostri sententia dicentis: Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam...: En designatam *rationem ontologicam* huius praerogativae = promissionem primatialem Petro a Christo factam.

d) Promittens sequestratos a communione Ecclesiae catholicae omnes non consentientes Sedi Apostolicae: En deductam *consequentiam* huius praerogativae = Sedes romana est arbitra communionis catholicae. Nemo potest esse vere catholicus, quin sit romanus. Vides in his contineri egregiam confessionem primatus iuridici romani divinitus constituti. Cuius ceteroquin *exercitium* elucet tum in facto excommunicati Acacii patriarchae constantinopolitani, cuius nomen de diptychis deleri debet, tum in eo quod huius Formulae professio imponitur omnibus qui ex schismatae Acaciano ad Ecclesiam catholicam regredi cupiebant.

Haec porro Formula, ut advertit Denzinger in nota, *subscripta et acceptata est ab omnibus Orientis episcopis,* ab imperatore Iustiniano, patriarchisque Constantinopolitanis Epiphanio, Ioanne et Menna.

Ipse quoque imperator Iustinianus, non obstante suo insigni Caesaropapismo, illustre testimonium perhibet primatui romano in sua epistula (8 iunii 533) ad papam Ioannem II. « Honorantes vestram beatitudinem, omnia quae ad ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad notitiam deferre vestrae Sanctitatis... Itaque omnes sacerdotes universi orientalis tractus et *subiicere et unire sedi vestrae* sanctitatis properavimus... Nec enim patimur quidquam quod ad ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum et indubitatum sit, quod movetur, ut non etiam vestrae in-

notescat Sancti, *quae caput est omnium sanctarum ecclesiarum*». ML. 66, 15. Advertas hanc epistulam simul cum responso pontificio fuisse insertam in alteram Codicis editionem (16 Novembris 534).

Quanti vero faceret imperator communionem sive suam sive episcoporum orientalium cum sede apostolica romana nullibi clarius apparet, quam in synodo oecumenica quinta (de tribus capitulis). Ubi in ipso actu, quo Vigilium papam condemnat eiusque nomen e diptycis auferri iubet, scribit ad episcopos: «*Unitatem vero ad apostolicam et nos servamus, et certum est quod et vos custodietis*». Ad quae synodus respondet: «*Servemus itaque unitatem ad Apostolicam sedem* antiquioris Romae, omnia secundum tenorem lectarum apicum peragentes». Mainsi IX, 199.

Saeculo VII nova et illustria testimonia recurrunt:

Praecedat testimonium papale: Agatho papa in suis ad imperatorem Constantinum Pogonatum litteris scribit: «Petri annitente praesidio haec apostolica sedes numquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est; cuius auctoritatem, utpope Apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Ecclesia et universales synodi amplexae... quae sedes ab exordio fidei christianae illibata finetenus permanet secundum ipsius Domini pollicitationem: Petre, inquiens: ecce Satanas expetivit vos ut cribraret sicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua...» Mansi XI, 242.

Accedat testimonium conciliare. Ad litteras Agathonis synodus oecumenica sexta respondet hisce verbis: «Maximi morbi maioribus indigent auxiliis, ut scitis, beatissime; atque idcirco Christus verus Deus Noster sapientem dedit medicum, vestram a Deo honoratam sanctitatem, contagia haereticae luis fortiter propulsantem remediis orthodoxiae, ac valetudinis robur membris Ecclesiae largientem. Itaque tibi, *ut primae sedis antistiti*, libenter perlectis verae confessionis litteris a vestra paterna Beatitudine ad piissimum imperatorem missis, quas ut a summo apostolorum vertice divine perscriptas agnoscimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris multiplicem sectam depulimus». Mansi XI, 666.

Ecclesiae africanae fidem prodit epistula antistitum africanorum ad Theodorum papam (Mansi X, 920): « Magnum et indeficientem omnibus christianis fluenta redundantem apud Apostolicam sedem consistere fontem nullus ambigere possit, de quo rivuli prodeunt affluenter universum largissime irrigantes orbem christianorum. Cui etiam in honore beatissimi Petri patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam in requirentis Dei rebus, quae omnino et sollicite debent maxime vero iusteque ab ipso praesulum examinari vertice apostolico, cuius vetusta sollicitudo est tam mala damnare, quam probare laudanda. Antiquis enim regulis sancitum est ut quidquid quamvis in remotis vel in longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum sit nisi ad notitiam almae sedis vestrae fuisset deductum, ut huius auctoritate iusta quae fuerit pronuntiatio firmaretur; indeque sumerent ceterae ecclesiae veluti de natali suo fonte praedicationis exordium, et per diversas totius mundi regiones puritatis incorruptae maneant fidei sacramenta salutis ».

Ecclesiae Cypriensis fides patescit ex epistula sui episcopi Sergii ad eundem papam Theodorum: « Firmamentum a Deo fixum et immobile, atque tituli formam lucidissimam fidei vestram apostolicam sedem constituit, o sacer vertex, Christus Deus noster. Tu es enim, sicut divinum veraciter pronuntiat Verbum, Petrus, et super fundamentum tuum ecclesiae columnae confirmatae sunt; tibi et claves coelorum commisit, atque ligare et solvere protestative quae in terra et in coelis sunt, promulgavit. Tu profanarum haereseon depositor existis, ut princeps et doctor orthodoxae et immaculatae fidei » Mansi X, 914.

Testimonium S. Maximi Confessoris est vere pretiosum: «Non enim fas est illum (Pyrrum) ex quacumque laude cognominari, qui iam olim damnatus et abiectus est ab apostolica sede romanae urbis, donec ab ea recipiatur conversus ad ipsam... Festinet pro omnibus sedi Romanae satisfacere. Hac enim satisfacta, communiter ubique omnes pium hunc et orthodoxum praedicabunt. Nam frusta solummodo loquitur qui mihi similes suadendos putat, et non satisfacit et implorat Sanctissimae Romanorum Ecclesiae beatissimum papam, id est, apostolicam sedem, *quae ab ipso incarnato Dei Verbo, sed et omnibus sanctis synodis,* secundum sacros ca-

nones et terminos, universarum quae in toto orbe terrarum sunt sanctarum Dei ecclesiarum in omnibus et per omnia *percepit et habet imperium,* auctoritatem et potestatem ligandi et solvendi. Cum hac enim ligat et solvit etiam in caelo Verbum, quod coelestibus virtutibus principatur ». MG. 91, 144.

Saeculi VIII fides tum orientalis tum occidentalis multifariam manifestatur. Ecclesiae orientalis fidem produnt praeprimis ipsi patriarchae constantipolitani.

Ioannes patriarcha C. scribit ad Constantium papam: « Ipse naturae nostrae opifex cum suo artificio curasset ut caput toti corpori praeficeretur, in eo collocatis praecipuis sensuum instrumentis omnem reliquorum membrorum motionem et perfectionem illinc ordiri fecit... His vestrum quoque apostolicum pontificatum comparare possumus, o sanctissimi et christiani sacerdotii caput vos canonice reputantes, merito per vos quaerimus aegritudini, quae ecclesiastico nostro accidit corpori a pestilenti et exitiosa animis tyrannica potestate, accipere solatium. Omnino enim vos quoque, ut est proprium capitis, nos involuntarie laborantes minime despicietis ». Mansi XII, 195.

Tarasius ad Hadrianum papam scribit: « Petro divino apostolo, *cuius cathedram sortita est* faterna sanctitas vestra, hos (simoniacos) tamquam Simonem Magnum deponente... Igitur fraterna et summo sacerdotio decorata sanctitas vestra iure ac secundum Dei voluntatem pontificalem ordinans pietatem opinatissimam habet gloriam ». Hardouin IV, 514.

Nicephorus archiepiscopus Constantinopolitanus in suo apologetico pro sacris imaginibus summam Concilii Nicaeni secundi auctoritatem tuetur hisce verbis: « Et quidem haec synodus summae auctoritatis est, atque ad plenam fidem faciendam sufficiens; quia et oecumenica fuit et plene libera, et extra omnem calumniae reprehensionisque aleam posita, et cuiusvis alieni dogmatis insons culpaque carens. Eetenim celebrata fuit aequissime et in primis legitime; nam secundum edita antiquitus divina decreta paeeminebat in ea praesidebatque ex occidentali fastigio, id est, ex vetere Roma pars non modica: *sine quibus* (Romanis) *ullum dogma* quod in Ecclesia ventilatum, decretis canonicis et sacerdotali

consuetudine fuisset antea, ratum, *numquam tamen probatum habebitur,* neque in praxim adducetur, quia *illi sacerdotii principatum sortiti sunt,* eamque a duobus coriphæis apostolicis traditam habent ». MG. 100, 598.

Ignatius patriarcha constantinopolitanus ad papam senioris Romae scribit: « Eorum vulnerum atque livorum, qui in membris hominum consistunt, multos medicos protulit ars; eorum vero qui in membris fiunt Christi et Dei Salvatoris omnium nostrum capitis et sponsae catholicae et apostolicae ecclesiae unum singularem et praecellentissimum atque catholicissimum ipse princeps summus, et fortissimus sermo, et ordinator et curator, et solus ex toto magister Deus omnium produxit, videlicet, tuam fraternam sanctitatem et paternam almitatem: propter quae dixit Petro magno et summo apostolorum: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... *Tales enim beatas voces non secundum quandam utique sortem apostolorum principi solum* circumscripsit et definivit, *sed per illum ad omnes qui post illum* secundum ipsum *efficiendi erant summi pastores, et divinissimi sacrique pontifices senioris Romae transmisit;* et ideo ab olim et prisco tempore in exortis haeresibus et praevaricationibus eradicatores et interemptores malorum zizaniorum, et tabefactorum et penitus insanabiliter aegrotantium membrorum multi multoties facti sunt eorum, qui sanctitatem et summam paternitatem tuam illic praecesserunt successores scilicet principis apostolorum ». Mansi XVI, 47.

Ecclesiae occidentalis fidem testatur Hadrianus papa ad Tarasium patriarcham scribens: « Cuius (Petri) sedes *in omnem terrarum orbem primatum tenes* refulget, et caput omnium ecclesiarum Dei consistit. Unde idem beatus Petrus apostolus Domini praecepto pascens Ecclesiam nihil dissolutum dimisit, sed *tenuit semper et tenet principatum.* Cui si adhaerere cupit vestra sanctitas, et nostrae apostolicae sedis, quae est caput omnium ecclesiarum Dei... hoc primum onnipotenti Deo offerat sacrificium...». Mansi XII, 1081.

Theodori Studitae fides nota est et passim manifestata. Sufficiant hic praeclara verba, quae ad papam Paschalem I scribit opem implorans adversus Ichonomacos: « Audi, apostolicum ca-

put, a Deo praeposite pastor ovium Christi, janitor regni caelorum, petra fidei super quam aedificata est catholica Ecclesia. Petrus enim est tu, Petri sedem exornans et gubernans». MG. 99, 1151.

Saeculo nono eminent duo praeclara testimonia, unum papale, alterum conciliare. Primum est Nicolai I papae, alterum concilii constantinopolitani quarti.

Nicolaus papa ad Michaelem imperatorem haec fortissima verba scribit a. 865: «Porro si nos non audieritis, restat ut sitis apud nos necessario quales Dominus noster Iesu Christus hos haberi praecepit, qui Ecclesiam Dei contempserint, praesertim cum *Ecclesiae Romanae privilegia Christi ore in B. Petro firmata,* in Ecclesia ipsa disposita, antiquitus observata et a sanctis universalibus synodis celebrata, atque a cuncta Ecclesia iugiter venerata, nullatenus possint minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari, quoniam fundamentum, quod Deus posuit, humanus non valet commovere conatus, et quod Deus statuit, firmum validumque consistit... Ista igitur privilegia huic santae Ecclesiae *a Christo donata, a synodis non donata,* sed iam solummodo celebrata et venerata». Mansi XV, 196, Denzinger n. 332. Vix possit exprimi felicius, clarius, fortius primatus sedis Romanae iure divino institutus.

Concilium Constantinopolitanum IVum imprimis acceptavit *Formulam Hormisdae,* in qua, ut vidimus, continetur splendidum testimonium primatus romani. Non erit abs re nonnullas huius acceptationis circumstantias referre. Hadrianus II papa suis legatis iniunxerat ne quem ad concilium admitterent, nisi antea formulam Hormisdae propria suscriptione confirmatam ipsis offerrent. «Verum postquam omnes chirographa fecerunt et testibus roborata tradiderunt, surrexerunt quidam eorum et ad... Ignatium (patr. c.) atque ad Basilium imperatorem accedentes, secreto dixerunt non bene factum fuisse, quod *ecclesiam Constantinopolitanam tanta subiectione Romanae subdi Ecclesia permiserunt, ita ut hanc ei tamquam dominae ancillam tradiderint.* Quibus verbis imperator commotus iussit primoribus, qui vicariorum apostolicae sedis obsequio deputati fuerant, dum illi ad aliquam ecclesiam

cum suis pergererent, ipsi mansionem eorum ingressi chirographa (formulae H.) latenter auferrent; nam eos palam scandalizare penitus recusabat ». Mansi XVI, 29. Furto consummato, Anastasius, Bibliothecarius Romanae Ecclesiae ac Ludovici II in Byzantio legatus, Basilium ad restituenda chirographa efficaciter induxit: Narrat Anastasius Basilium legatos pontificios his verbis esse allocutum: « Ego quidem *ut magistrum ecclesiasticorum negotiorum sedem apostolicam* per meos legatos adii et ideo vestram praesentiam praestolatus sum, ut vestro decreto et solertia ecclesia nostra remedia sanitatis reciperet, et nos *non nostris motibus sed vestrae sententiae paremus.* Ergo chirographa, quae a nostris sacerdotibus ac cunctis clericis salubriter exegistis recipite, et spirituali patri nostro sanctissimo papae repraesentate; ita ut si quis eorum per abrupta vitiorum vel devia pravitatum solito incedere more tentaverit, his quodammodo habenis ab eo refrenetur, et talibus loris ad rectum iustitiae tramitem revocetur ». LP. ed. Duchesne, II, p. 188 sq.

Concilium Lydunense II continet egregiam primatus confessionem ab episcopis etiam Orientalibus subscriptam: « Ipsa quoque sancta Romana Ecclesia *summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinet;* quem *se ab ipso Domino* in beato Petro Apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus, Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit. Et sicut prae ceteris tenetur fidei veritatem defendere, sic et si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent iudicio definiri. Ad quam potest gravatus quilibet super negotiis, ad ecclesiasticum forum pertinentibus, appellare; et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius potest iudicium recurri: et *eidem omnes ecclesiae sunt subiectae,* ipsorum praelati oboedientiam et reverentiam sibi dant. Ad hanc autem sic *potestatis plenitudo consistit,* quod ecclesias ceteras ad sollicitudinis partem admittit; quarum multas et patriarchales praecipue diversis privilegiis eadem Romana Ecclesia honoravit, sua tamen observata praerogativa tum in generalibus conciliis, tum in aliquibus aliis semper salva ». Mansi XXIV, 70 sq. cf. D. B. n. 466.

Concilii Fiorentini solemne testimonium argumento historico

finem tandem imponat: « Item definimus sanctam Apostolicam Sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis Apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Iesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur ». Mansi XXXI 1030 sq. cf. D. B. n. 694.

Plura si cupis testimonia pro primatu, conferas D. B. nn. 230, 251 sq., 298, 436, 469, 621, 717, 740, 765, 999, 1825 sq., 3008-3015.

Obiectiones solvuntur

1. Primatus iurisdictionis implicat potestatem convocandi concilia oecumenica. Atqui primum concilium oecumenicum — Nicaenum I — non fuit convocatum a Papa, sed ab imperatore Constantino. Ergo tempore huius concilii mondum admittebatur primatus iuridicus episcopi romani.

Resp. Dist. maior. Primatus iurisdictionis implicat *ius nativum* convocandi concilia, C.; *exercitium* necessarium huius iuris, N.: Dist. etiam minor: Concilium Nicaenum I fuit convocatum ab imperatore convocatione *materiali*, C.; convocatione *formali* et iuridica, N. Convocatio facta ab imperatore eatenus fit iuridica et legitima, quatenus habet adiunctam approbationem pontificiam. Hanc approbationem minime defuisse in primo omnium concilio oecumenico vel inde solum constare potest, quod Papa ad hoc concilium suos legatos miserit, id quod nullatenus prestitisset, si convocationem imperatoriam reprobasset. Quaenam fuerint partes Papae Silvestri in convocatione et praesidentia huius concilii est quaestio obscura et acriter hinc inde disputata. Studio brevitatis prohibemur ingredi in has omnes controversias, quarum solutio ceteroquin non est necessaria ad plenam obiectae difficultatis solutionem. Sufficiat duo notare, quae singularem episcopi et ecclesiae romanae auctoritatem, in concilio Nicaeno agnitam, clare manifestant.

a) Cataloghi antiquissimi subscriptionum exhibent *primum* subscribentem Hosium (concilii praesidem) et legatos pontificios. Quod Hosius, concilii praeses et legatus (Papae? Imperatoris?), primas partes inter subscribentes obtineat, facile intelligitur. Quod *presbyteri* romani in concilio Orientali praecedant partiarchae Alexandrino, Antiocheno, Hierosolymitano ceterisque magnarum ecclesiarum praesidibus, nullam aliam aptam explicationem habere potest, nisi agnitam in Concilio singularem sedis romanae auctoritatem.

b) Formula, quae post longas et acres controversias acceptata demum fuit a Patribus in Concilio tamquam genuina orthodoxiae catholicae tessera, fuit *consubstantialitas Verbi* (ὁμοούσιος). Porro haec formula classica erat vere romana a Dionysio papa romano alteri Dionysio Alexandrino imposita, ut superius vidimus. Mirantur hunc influxum doctrinalem romanum in Concilio exercitum non tantum doctores catholici Duchesne et Batiffol, sed etiam acatholici ut Loofs et Harnack. Vides primam definitionem oecumenicam praeformari Romae opera Dionysii, sicut Ephesina deinceps praeparabitur a Caelestino, et Chalcedonensis a Leone I.

c) Accedit praecellens *Silvestri* auctoritas collucens in traditione Orientali etiam antiquori: Concilium oecumenicum sextum, quod fuit Constantinopolitanum III, tribuit *convocationem concilii Nicaeni* I imperatori Constantino et Papae Silvestro (cf. Mansi XI, 661). Hodierna etiam separatorum liturgia graeco-slavica — scribit d'Herbigny — pastorale S. Silvestri munus supra totum Ecclesiae gregem laudat, et primatum eius in ipso Concilio (Nicaeno) profitetur, imo celebrat explicitis verbis eius infallibilitatem. *Ad Vesperas*: « Silvester Pater, columna visus es ignis, *sancte prohigoumenos sacri conventus*, et nubes obumbrans, ab Ageyptio (Arii) errore fideles eripiens, et ad divinum splendorem transferens *infallibilibus doctrinis semper* ». — *In Odis*: « Ut *divinus coriphaeus* sacrorum Patrum sacratissimum dogma validasti haereticorum obstruens impia ora. Postravisti, Silvester, adversantium coetum praeliantem contra Apostolorum praedicationem. Confusae sunt linguae errori consentientes per virtutem Spiritus divini in te operantis ».

2. Canon sextus Concilii Nicaeni I ait: « Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Libiam et Pentapolim, ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem.*Quia et urbis Romae episcopo paralis mos est* ». Unde arguitur: Similis potestas agnoscitur a Concilio in episcopo romano ac in episcopo Alexandrino. Atqui huic nonnisi quaedam iura patriarchalia conceduntur. Ergo episcopus romanus non est nisi patriarcha ditionis romanae.

Resp. Dist. maior. Similis potestas *patriarchalis* (vel metropolitana) agnoscitur a Concilio in episcopo romano ac in alexandrino, C.; similis potestas *suprema* et primatialis, N. Canon hic non agit de primatu iurisdictionis Romani Pontificis, sed de potestate ipsius in regionem sic dictam *suburbicariam*. Patet id ex antiquis huius canonis versionibus latinis. Antiquissima versio *Caeciliani* episcopi Carthaginiensis, qui Concilio adfuit, sic canonem interpretatur: « quoniam et episcopo urbis Romae similis mos est, ut in *suburbicaria* loca sollicitudinem gerat ». Interpretatio sic dicta Prisca (saeculi V) sic habet: Antiqui moris est, ut urbis Romae episcopus habeat principatum, ut *Suburbicaria* loca et omnem provinciam sua sollicitudine gubernet ». Versio Ruffini (saeculi IV-V) sic: « ut vel ille Aegypti, vel hic *su-*

burbicariarum ecclesiarum solicitudinem gerat ». Cf. Turner, MIA, I, p. 150.

Quo sensu hic canon Romae intelligeretur patet ex epistula Innocentii I ad Alexandrum episcopum Antiochenum: « Revolventes itaque autoritatem Nicaenae synodi — quae una omnium per orbem terrarum mentem explicat sacerdotum — quae censuit de Antiochena Ecclesia cunctis fidelibus, ne dixerim sacerdotibus esse necessarium custodire, quae supra *dioecesim* suam praedictam ecclesiam, non super aliquam *provinciam* recognovimus constitutam ». Coustant, o. c. p. 851. Vides distingui inter provinciam et dioecesim. Antiochenus episcopus habet potestatem non tantum super *provinciam Syriae,* sed super *dioecesim* sic dictam « Oriens ». Similiter episcopus Alexandrinus habet potestatem super dioecesim « Aegyptus » et Romanus super *dioecesim* « Italia suburbicaria ». Ad hanc pertinebant Picenum, Valeria, Tuscia — Umbria, Campagnia, Samnium (Apulia — Calabria, Brutti — Lucania, Corsica, Sardinia, Sicilia.

Quaenam sit *natura huius potestatis* apparet ex eadem Innocentii epistula: « Itaque arbitramur, frater carissime, ut sicut *metropolitanos* auctoritate *ordinas* singulari, sic et caeteros non sine permissu conscientiaque tua sinas episcopos procreari. In quibus hunc modum recte servabis, ut longe positos litteris datis ordinari censeas, ab his qui nunc eos tantum ordinant arbitratu, vicinos autem, si aestimas, ad manus impositionem tuae statuas pervenire ». Agitur ergo de potestate potissimum sita in facultate *consecrandi metropolitanos,* et de modo tenendo in aliorum episcoporum consecratione.

3. Sed canon tertius Concilii constantinopolitani asserit: « Constantinopolitanae civitatis episcopus habere oportet primatum honoris post Romanum episcoporum propterea quod ea sit nova Roma ». Unde arguitur: Ideo postulatur secundus locus pro episcopo constantinopolitano, quia haec urbis est nova Roma. Ergo ratio quare Romana sedes habeat primum locum in hoc stabat, quod Roma erat caput imperii, non vero in eo quod episcopus romanus esset successor Petri in primatu divinitus constituto.

Resp. a) Canon agit de primatu *honoris*; tendit vero non ad tollendum primum locum romanis, quibus primatus expresse tribuitur, sed ad violandum ordinem sancitum in Concilio Nicaeno, ad cuius norman secundus post Romam locus pertinebat ad episcopum Alexandrinum, tertius vero ad Antiochenum. Allata ratio de Constantinopoli nova Roma non prodit *sinceram* Patrum convictionem de primatu iuridico vel etiam honorifico Romano episcopo competenti propter imperialem urbis dignitatem, sed potius manifestat *morbi byzantini* virulentiam, qui hic primum erumpere satagit...

b) Hic canon non (nisi serius) fuit Romae approbatus nec in praxim deductus, ut probant allata superius verba Leonis ad Pulcheriam: « Superbum nimis est ultra proprios terminos tendere... atque ut venerabilium Patrum decreta solvantur, quorundam episcoporum proferre consensum, *cui tot annorum series negavit effectum.* Nam sexagesimus fere annus huius

conniventiae esse iactatur, qua se praedictus episcopus aestimat adiuvari, frustra cupiens id sibi prodesse quod etiam si quisquam ausus est velle, *nullus tamen potuit obtinere* ». ML. 54, 999 sq. Similiter ad Marcianum: « Habeat constantinopolitana civitas gloriam suam... Alia tamen ratio est rerum saecularium, alia divinarum; nec praeter illam petram quam Dominus in fundamento posuit stabilis erit ulla constructio... Non dedignetur regiam civitatem, *quam apostolicam non potest facere sedem.* Privilegia Ecclesiarum, sanctorum Patrum canonibus instituta, et venerabilis Nicaenae synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate mutari ». o. c. col. 995.

c) Canon tertius Concilii Constantinopolitani non solum non fuit Romae approbatus, sed expresse reiectus et condemnatus a praedicto Leone I.: « Consensiones episcoporum, sanctorum canonum apud Nicaeam conditorum regulis repugnantes, in irritum mittimus, et *per auctoritatem beati Petri Apostoli generali prorsus definitione cassamus* ».

4. *Instabis*: Canon 28 Concilii Chalcedonensis obstare videtur nostrae interpretationi. Sic enim in eo decernitur: « Canonem, qui nuper lectus est, centum et quinquaginta episcoporum agnoscentes, eadem quoque et nos decernimus et statuimus de privilegiis Ecclesiae constantinopolitanae novae Romae. Etenim antiquae Romae throno, quod urbs illa imperaret, iure Patres privilegia tribuerunt, recte iudicantes urbem quae et imperio et senatu honorata sit, et aequalibus cum antiquissima regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis, non secus ac illa extolli ac magnifieri, secundam post illam existentem, et ut Ponticae et Asianae et Thraciae dioeceseos metropolitani soli, praeterea episcopi praedictarum dioeceseon quae sunt inter barbaros, a praedicto throno ordinentur ». Unde multipliciter arguitur; Primo quidem *aequalia privilegia* decernuntur pro antiqua et nova Roma. Ergo negatur primatus romanae ecclesiae super universum orbem catholicum. — Privilegia dein romanae sedis orta dicuntur non ex divina Christi institutione, sed ex mera Patrum concessione. — Demum ratio movens Patres ad hanc concessionem fuit sola imperialis urbis dignitas. Ergo verus iurisdictionis primatus episcopo Romae iure divino competens aperte negatur.

Resp. Si externa tantum forma spectetur, qua canon redactus est, negari nequit seriam inde oriri difficultatem contra genuinum primatum romanum. At vera canonis historia non modo omnem tollit obscuritatem, sed novo etiam lumine primatum romanum collustrat, ut fuse superius ostendimus.

Summatim ergo: *a*) In hoc canone *non agitur de primatu iurisdictionis.* In ordine *honorifico* primatus tribuitur Romae; Patres namque volunt constantinopolitanam ecclesiam « extolli ac magniferi *secundam post illam* (— Romam). — In ordine *iuridico* canon non tribuit novae Romae potestatem oecumenicam *ne quidem Orientalem.* Nulla potestas in dioecesim « Ae-

gypti », nulla in « Orientem » vel etiam in Illyricum. Solum postulatur potestas *ordinandi metropolitanos dioeceseon* Ponti, Asiae et Thraciae. Hinc est quod Leo papa in sua protestatione non queratur de violato primatu romano, sed de inculcato ordine apud Nicaeam constabilito contra iura sedis Alexandrinae et Antiochenae.

b) *Haec ipsa iura* et privilegia patriarchalia tribuuntur episcopo constantinopolitano *non absque praesumpta licentia et approbatione sedis romanae*, ut expresse fatentur Patres in sua ad Leonem epistula: « Nos enim curantes tam piissimos et Christi amicos imperatores, *qui super hoc delectantur*, quam clarissimum senatum, et totam, sicut dicere convenit, imperii civitatem, opportunum credidimus esse honoris eius confirmationem ab universali Concilio celebrari, et *velut haec a tua sanctitate fuerint inchoata*, eo quod fovere semper studeas, roboravimus, *praesumentes*, dum noverimus quia quidquid rectitudinis a filiis fit, *ad patres recurrit, facientes hoc proprium sibi*. Rogamus igitur, et *tuis decretis nostrum honora iudicium* ». ML. 54, 957 sq.

c) *Originem primatus romani* quod attinet, Patres explicite fatentur eam sitam esse non in splendore urbis imperiali, sed in apostolica dignitate et praecellentia: « Confirmavimus autem et centum quinquaginta sanctorum Patrum, qui in Constantinopoli congregati sunt, regulam... confidentes quia *lucente apud vos apostolico radio et usque ad Constantipolitanorum Ecclesiam*, consuete gubernando parentes, *hunc saepius expandetis*, eo quod absque invidia consueveritis *vestrorum bonorum participatione ditare domesticos* ». o. et l. c.

d) *Originem praetensionis* novae Romae in *morbo Byzantino* positam esse sincere fatetur Anatolius simulque agnoscit *totam vim canonis pendere demum ab approbatione sedis romanae*: « *Constantinopolitanae Ecclesiae clerus est qui hoc studium habuit*, et istarum partium religiosissimi sacerdotes qui in hoc fuere concordes et sibi pariter adiutores; cum et sic gestorum *vis omnis et confirmatio auctoritati vestrae beatitudinis fuerit reservata* ». Vides primatum romanum, nedum obscuretur, canone Chalcedonensi egregie illustrari.

5. Synodus oecumenica quinta (Constantipolitana II) condemnavit Vigilium papam, eiusque nomen e diptychis sacris auferri iussit. Ergo supremam episcopi romani auctoritatem non agnovit.

Resp. Quaestio de papa Vigilio, de tribus capitulis, necnon de caesaropapismo Iustiniani imperatoris complexior est, quam ut possit ad pauca revocari. Alibi de his quaestio recurret. Sufficiat hic notare sequentia:

a) Vigilius papa, etsi longo exilio probatus, iura tamen sanctae sedis invicte defendit. Sic vel in ipsis fidei professionibus ad Iustinianum imperatorem missis: « Iura vero quae a Deo donata sunt sedi meae exigo ... Iura vero quae a Deo donata sunt nostrae sedi, *neque concessi, neque concedo*,

sed quandiu vivo quae iusta sunt *iura sedis meae exigo* ». Ipse imperator promiserat se haec iura servaturum: « honorem meum in omnibus servare promisisti, sed et personam meam custodire et cum Dei adiutorio defendere, sed et *privilegia meae sedis servare* ». Cf. Iaffe, 926.

b) Iustinianus falsam sententiam Vigilio tribuens, quasi nunc approbasset tria capitula prius et saepius a se condemnata, declarat papam a communione catholica separatum: « Praeterea *ipse semetipsum* alienum catholicae Ecclesiae fecit, defendens praedictorum capitulorum impietatem, separans autem semetipsum a vestra (Patrum conciliarum) communione. His igitur ab eo factis alienum christianis iudicavimus nomen ipsius sacris diptychis recitari, ne eo modo inveniamur Nestorii et Theodori impietati communicantes. Unde prius quidem sine scriptis hoc manifestum vobis fecimus, nunc vero et in scriptis certum vobis facimus per nostros prae eius nomen sacris diptychis non inferatur. *Unitatem vero ad apostolicam sedem et nos servamus, et certum est quod et vos custodietis* ». Ad haec synodus respondet: « *Servemus itaque unitatem ad apostolicam sedem* antiquoris Romae, omnia secundum tenorem lectarum apicum peragentes ». Mansi IX, 199. Vides quam altis radicibus in animo tum imperatoris tum episcoporum inhaereat persuasio de sede romana *centro catholicae communionis necessario adeundo*. In ipso actu, quo episcopum romanum alienum catholícae Ecclesiae declarant, communionem se cum sede romana fatentur (!).

6. Hieronymus in epistula ad Evangelium scribit: « si auctoritas quaeritur, orbis maior est urbe. Ubicumque fuerit episcopus sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli... eiusdem est meriti, eiusdem est sacerdotii ». ML. 22, 1194.

Resp. Auctoritas, quae dicitur maior in orbe quam in urbe, non intelligitur iurisdictionis et regiminis, sed *consuetudinis* et traditionis. Item, quod ubicumque fuerit episcopus, eiusdem sit meriti, intelligitur spectato Sacerdotio sue potestate *ordinis.* In contextu et epistula tota non comparatur episcopus romanus cum aliis episcopis, sed dignitas presbyteri cum dignitate diaconi: « Audio quendam in tantam erupisse vecordiam, ut Diaconus Presbyteris, id est, episcopis anteferret. Nam cum Apostolus perspicue doceat eosdem esse presbyteros quos Episcopos, quid patitur mensarum et viduarum minister ut supra eos se tumidus efferat ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur?... Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod Pesbyter non facit! Nec altera Romanae urbis Ecclesia, altera totius orbis existimanda est. Et Galliae, et Britanniae, et Africa, et Persis, et Oriens, et India, et omnes barbarae nationes unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis... Sed dices, quomodo Romae ad testimonium Diaconi Presbyter ordinatur? Quid mihi profers *unius urbis consuetudinem?* quid paucitatem, de qua ortum est supercilim, in leges Ecclesiae vindicas? Omne quod rarum est, plus appetitur... Diaconos paucitas honorabiles, Presbyteros

turba contemptibiles facit. Caeterum etiam in Ecclesia Romae Presbyteri sedent, et stant Diaconi ». l. c. Vides ergo quaestionem esse non de negando aut obscurando primatu Romani Pontificis, sed de retundenda tumiditate diaconorum qui presbyteris se praeferebant.

7. *Synodus Constantiensis* in sessione V[a] docet: « Quod ipsa in Spiritu Sancto legitime congregata Concilium generale faciens et Ecclesiam catholicam repraesentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cuiuscumque status et dignitatis, *etiamsi papalis existat, obedire tenetur* in his quae pertinent ad fidem et extirpationem dicti schismatis et reformationem dictae Ecclesiae in capite et membris ». Ergo potestas suprema non reperitur in episcopo romano sed in collegio episcopali et conciliari.

Resp. a) Decretum hoc asserit papam *dubium* teneri obedire auctoritati Concilii; agitur enim de « extirpatione dicti schismatis » i. e. Occidentalis. E propria Concilii confessione contat « quod papa electus ligari non potest ». I. Turrecremata, qui Concilio praesens fuit, scribit: « Non universaliter aut indefinite, sed singulariter facta est illa definitio sive declaratio ». De Eccl. l. II, c. 100.

b) — Deinde quamvis ageretur de papa vero et certo, haec decreta non sunt edita a toto Concilio, sed ab una tantum parte e tribus sic dictis obedientiis; maxime vero non sunt approbata a romano Pontifice Martino V, qui ea tantum confirmavit « quae in materia fidei et *conciliariter* statuta erant et non aliter ».

8. *Instabis*: Martinus V. in Bulla « Inter cunctas », articulis 5 et 6 proponit interrogationes Wicleffitis et Hussitis faciendas: « Item, utrum credat, teneat et asserat, quod quodlibet Concilium generale et *etiam Constantiense* universalem Ecclesiam repraesentat. Item, utrum credat quod illud, quod sacrum Concilium Constantiense, unversalem Ecclesiam repraesentans, aprobavit et aprobat in favorem fidei et ad salutem animarum, quod hoc est universis Christi fidelibus approbandum et tenendum ». cf. D. B. n. 567 sq. Atqui decreta sessionis quartae et quintae edita sunt in favorem fidei. Ergo...

Resp. Constat decreta sessionis IV et V non fuisse approbata a Romano Pontifice. Quin imo *Eugenius* IV reiecit tamquam impiam et scandalosam sententiam illam supra commemoratam secundum quam « Synodus Constantiensis potestatem immediate a Christo habet, cui quilibet cuiuscumque status... obedire tenetur ». In litteris datis ad legatos suos in Germania viventes sic loquitur: « Sicut illi (praedecessores nostri) generalia Concilia suis temporibus rite instituta atque canonice celebrata recipere, amplecti et venerari consueverunt, sic generalia Concilia *Constantiense et Basileense* ab eius initio usque ad translationem per nos factam, *abque tamen praeiudicio iuris, dignitatis et praeeminentiae sanctae Sedis Apostilicae*, ac potestatis sibi et in eadem canonice sedenti in persona beati Petri a Christo concessae, cum

omni reverentia et devotione suscipimus, amplectimur et veneramur». cf. DB. p. 21 in nota.

9. Nonnulla documenta ecclesiastica asserunt Romanum Pontificem succedere Petro *et Paulo* in administratione ecclesiae romanae. Atqui Paulus non habuit primatum. Ergo...

Resp. Dist. maior.: Romani Pontifices dicuntur succedere Petro et Paulo *eodem sensu* i. e. in primatu iurisdictionis utrique communi, N. in sensu valde diverso, C. Documenta ecclesiastica i. e. Patres, Concilia et Pontifices, quum extollunt sedem apostolicam primatialem, semper loquuntur de *cathedra Petri.* Item plerique catalogi episcoporum romanorum seriem horum deducunt et reducunt ad Petrum, non ad Paulum. Latiore aliquo senso potest dici, et reapse nonnunquam dicitur, Romanos Pontifices succedere Petro et Paulo, gubernare auctoritate Petri et Pauli, quatenus vere succedunt Petro in potestate suprema et administratione illius Ecclesiae quam Paulus quoque doctrina et praedicatione rigavit, necnon sanguine et martyrio consecravit, potestate etiam (subordinata) administravit. Sic v. gr. Decretum Gelasianum post egregiam primatus romani confessionem innixam verbis Domini ad Petrum directis (Mt. 16, 18-19), pergit: «Addita est societas Pauli beatissimi Pauli Apostoli, vasis electionis qui non diverso, sed uno tempore, uno eodemque die gloriosa morte cum Petro in urbe Roma sub Caesare Nerone agonizans coronatus est et pariter supradictam sanctam Romanam Ecclesiam Christo Domino consecrarunt atque venerando triunpho praetulerunt... Est ergo prima *Petri Apostoli sedes,* Romana Ecclesia ...» DB n. 163.

10. Sed negari nequit testimonia priorum saeculorum pauciora esse et obscuriora, quam oportet in hac gravissima materia. Ergo historica thesis demonstratio infirmior est, quam ut ei inniti et fidere possimus.

Resp. a) Facile conceditur testimonia christianitatis primaevae nec numero nec claritate posse comparari cum testimoniis subsequentis aetatis. Qua in re nulla te iusta admiratio percellere debet. Etenim ex una parte pauciora omnino exstant primaevae illius atque remotissimae aetatis monumenta nobis asservata; ex alia vero parte primatialis potestas iuridica quidem est, at simul paternalis et spiritu humilitatis exercenda; ipsius dein exercitium primis illis temporibus, spectata tum urbis imperialis conditione religiosa et politica, tum ipsa charismatum maiore frequentia apud christianos, nec adeo facile, nec adeo frequens, nec adeo intensum potuit esse, quam in aetate subsequenti quum Ecclesia, obtenta demum pace politica et religiosa, ad tot difficiles gentes est diffusa; quum maior fuit refrenandae divisionis (potissimum Orientalis) necessitas; quum maior est inducta itinerum et commercii epistolaris facilitas. Quin imo, si rem totam et difficilem illorum temporum conditionem aequo animo perpendas, iure merito miraberis tot itinera Romam versus instituta non solum a catholicis sive episcopis sive scrip-

toribus ecclesiasticis, sed et ipsis etiam haereticis et schismaticis; tam frequens epistolare commercium vi et splendore episcopatus romani provocatum; tam mirum rerum, personarum, negotiorum concursum in Romanam Sedem confluentem.

b) Allata testimonia et facta ex aetate christiana primaeva multo facilius intelliguntur et explicantur admisso primatu romano, quam eodem denegato. Optimi quique critici acatholici fatentur in illis sive dictis sive factis verum primatus romani *exercitium* contineri et manifestari. Hoc unum negant, hanc talem potestatem *iure divino* esse inductam. At huius negationis ratio non est proprie historica et critica, sed falsa praeiudicia circa authentiam et verum sensum verborum quibus Christus Petro promisit et contulit verum iurisdictionis primatum in legitimis successoribus continuandum. Ceterum minus caute procedere nobis videntur auctores illi, qui ex singulis testimoniis etiam primaevis seorsum spectatis totidem argumenta per se stantia construere satagunt. Argumenti historici vis plena ex his tribus simul sumptis eflorescere videtur: Primo quidem *testimonia evangelica* ostendunt verum primatum iuridicum divinitus in Petro constitutum atque in *legitimis successoribus continuandum.* — *Testimonia* dein *historica* priorum saeculorum clare produnt singularem auctoritatem ac potiorem principalitatem in sede romana vigentem. — *Testimonia* demum *posteriora* naturam et ambitum huius auctoritatis plena in luce collocant. Putasne fieri posse ut error *in hac tali materia.* nemine advertente, nemine reclamante, invadat tot doctores et ecclesias, eisque tam altis radicibus per tot saecula inhaereat?

c) Demum admitti potest totam primatus vim et plenitudinem prioribus (saltem multis) Ecclesiae doctoribus non ea claritate innotuisse, qua nos illam hodie pernovimus. Primatus, sicut reliqua Ecclesiae ratio tota et institutio, merito assimilatur grano synapis, quod initio quidem minimum est, at paulatim, agente vi sibi insita, excrescit in arborem magnam. Si in aliorum dogmatum penitiori intelligentia et enucleatiori expositione certus quidam progressus iure admittitur, quidni admittatur similis profectus in huius quoque dogmatis intellectu et expositione? Iustos tamen limites nostro iudicio facile excederet qui cum Poschmann primatum iurisdictionis in textibus evangelicis *nonnisi implicite* contentum putaret, ita quidem ut prioribus rei christianae saeculis vix ulla ipsius cognitio atque conscientia in christianitate vigeret. Principium in hac re vere fundamentale. Romanum episcopum esse successorem Petri in cathedra apostolica et primatiali, unde sit petenda unitas in causis fidei et disciplinae ecclesiasticae sat clare cognoscitur et in praxin deducitur iam inde a primis Ecclesiae temporibus.

Corollarium. Probata iam thesi de Romano Pontifice successore Petri in primatu, invicte concluditur *veram Christi Ecclesium esse Romano-catholicam,* illam nempe quae obedit et commu-

nionem servat cum episcopo romano. Sane Christus dixit: « super *hanc petram* aedificabo Ecclesiam *meam*, et portae inferi non praevalebunt adversus eam ». Liquet ergo a vera Christi Ecclesia, imo a *vero Christianismo* longe aberrare eos omnes, qui ab hac petra abalienati praeter quam oportet colligunt. En primam et facilem viam ad detegendam veram Ecclesiam.

« Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiorem eius principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua servata est semper ab his, qui sunt undique, ea quae est ab Apostolis traditio... *Et est haec plenissima ostensio* ». Irenaeus l. s. c.

« *Probatio est facilis* compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego dico tibi quia tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... Qui *cathedram Petri,* super quem Ecclesia fundata est, *deserit* et resistit, *in Ecclesia se esse confidit?* » Cyprianus in editione altera c. 4 l. de Unitate Ecclesiae.

« *Negare non potes* scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collocatam... *in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur...* ut iam schismaticus esset qui contra singularem cathedram alteram collocaret... Vestrae cathedrae vos originem reddite qui vobis vultis sanctam Ecclesiam vindicare ». Optatus Milev. l. s. c.

« Ego nullum primum nisi Christum sequens, Beatitudini tuae, id est *cathedrae Petri communione consocior. Super illam petram aedificatam Ecclesiam scio.* Quicumque extra hanc domum agnum comedit, profanus est... In tres partes scissa Ecclesia ad se rapere festinat... Ego interim clamito: *si quis cathedrae Petri iungitur, meus est* ». Hieronymus, l. s. c.

« Tenet me (in Ecclesia catholica) *ab ipsa sede Petri* apostoli, qui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, *usque ad pretesentem episcopatum successio sacerdotum* ». Augustinus, l. s. c.

« Adeone populis ad praedicandam positus non legeras super apostolorum principem a Christo Deo nostro Ecclesiam esse aedificatam!... Quod si legeras *ubinam praeter ipsum esse credebas*

Ecclesiam? » Pelagius I in epistula « Adeone » ed episcopum quendam, DB. n. 230.

« *Ubi namque sit Ecclesia* constituta, licet *ipsius Domini voce* in sancto evangelio sit apertum...» Pelagius II in epistula « Dilectionis vestrae » DB. n. 247. Brevissime vero omnium Ambrosius formula lapidaria: « *Ubi ergo Petrus, ibi Ecclesia* », l. s. c. Vides quam confidenter Patres in viam Romanitatis ingrediantur ad detegendam veram Christi Ecclesiam.

Scholion I. - *De connexione primatus cum sede romana.*

a) Tria sunt *dogmatice* tenenda in quaestione de primatu: 1° Christum instituisse primatum iurisdictionis in b. Petro — 2° Hunc primatum debere continuari usque ad fidem saeculorum in legitimis Petri successoribus — 3° Romanum Pontificem esse iure divino legitimum Petri successorem in primatu. Cf. DB. nn. 1823, 1824, 1825.

b) Romanum Pontificem *iure divino* succedere Petro in praedicto primatu dupliciter intelligi potest: Vel iure divino statuente *legem successionis* — *aliquem debere* succedere; vel iure divino stautente tum legem successionis, tum *modum seu conditionem successionis* — praefatum successorem debere esse *episcopum romanum*. Ius divinum primo sensu sumptum invicte consequitur ex duplici thesi praecedenti a nobis demonstrata. Num sit admittendum ius divinum altero sensu intellectum, i. e. num sit admittenda connexio iure divino inducta inter iura primatialia et sedem episcopalem romanam controvertitur. Quadruplex sententia circumfertur:

Prima sententia tenet hanc connexionem esse inductam *iure ecclesiastico* ita quidem, ut ecclesia sola (sine Petri eiusve successoris auctoritate possit primatum transferre ex Roma in aliam civitatem. Sic Febronius et Nuytz. Haec sententia est erronea et damnata a Pio IX in Syllabo, prop. 35. Cf. DB. n. 1735.

Secunda sententia docet hanc connexionem esse inductam *praecepto divino* sive antecedenti, sive saltem consequenti liberam Petri electionem. Sic Melchior Cano, Valentia, alii.

Tertia sententia vult hanc connexionem esse inductam *per Petrum* ita quidem ut quilibet Petri successor possit sedem mutare. Sic D. Soto, Bañez et pauci alii.

Quarta sententia contendit Petrum sedem Romanam ut primatialem determinasse *dispositione divina* i. e. sub influxu et motione gratiae divinae. Porro haec Petri electio, etsi non formaliter praecepta, ita confirmata et quasi sancita manifestatur a Deo, ut ne ab ipsa quidem Petri aut successoris auctoritate mutari iam posse videatur. Haec videtur esse sententia communior inter recentes auctores, licet non omnes eodem modo intelligant vim et naturam illius divinae dispositionis. Concilium Vaticanum quaestionem dirimere noluit: « Et hoc quidem intelligitur de Romano Pontifice ut historice et de facto habetur in Ecclesia absque interruptione ab initio temporis, relictis quaestionibus et hypothesibus in schola *plus minus libere agitatis quoad perpetuitatem urbis Romae et coniunctionem primatus cum sede romana* ». Cf. Coll. Lac. VII, 293, 364 sq. Ad hanc ergo normam interpretari oportet quaedam documenta ecclesiastica nimium premi solita, v. gr. ea quae dicuntur in ipso Concilio Vaticano, sessione IV, c. 2: « Unde quicumque *in hac cathedra* (romana) Petro succedit, is *secundum Christi ipsius institutionem* primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet » (DB. n. 1824). Nihilominus quarta seu ultima sententia nobis praeferenda videtur, quam longe probabiliorem et veriorem habemus.

Spectato scopo apologetico quem persequimur, tota haec quaestio minoris momenti esse videtur; hinc, brevitati consulentes, eam praetermittendam censuimus. Totam quaestionem fuse et nervose tractatam reperies apud *Franzelin* o. c. integra thesi XII, p. 192-220. Rem totam in breviorem synthesim feliciter redigit *Lercher*, o. c. (1927), p. 378-386. Pauca notare licebit: *a*) Valor argumenti historici pro primatu romano *essentialiter* non pendet a controversa olim quaestione de adventu Petri in Romam. *b*) Historica certitudine constat de martyrio (et episcopatu) Petri romano. Incerta manent tum epocha adventus in Romam, tum diuturnitas commorationis romanae. *c*) Seposito iure divino connectente sedem Romanam cum primatu, elevatio permanens huius sedis ad dignitatem primatialem non videtur sufficienter demonstrari ex *mero*

facto episcopatus romani a Petro usque ad mortem retenti. *d*) Ulteriores quaestiones de modo eligendi Papam, de modis amittendi dignitatem primatialem etc., ad Ius canonicum remittimus.

Scholion II. *De natura et amplitudine primatus.*

Concilium Vaticanum postquam egit de institutione ac perpetuitate primatus, « necessarium esse iudicavit doctrinam de natura eiusdem sacri Apostolici primatus cunctis fidelibus credendam et tenendam, *secundum antiquam et constantem universalis Ecclesiae fidem,* proponere atque contrarios dominico gregi adeo perniciosos errores proscribere et condemnare » DB. n. 1821 in fine.

Hi errores perniciosi maximam partem exorti sunt occasione *schismatis Occidentalis,* quo tempore genuina ac germana vis seu natura primatus obscurata et corrupta est in mentibus quorundam catholicorum, qui ab antiqua et constanti universalis Ecclesiae fide infeliciter decesserunt, (Gallicanismus, Febronianismus, Conciliarismus). *Quomodo nata et efformata* sit doctrina Conciliarismi de superioritate Concilii oecumenici supra Papam dilucide exponit Victor *Martin.* En synthesin ab ipso auctore concinnatam.

« On voit comment est née cette doctrine de la superiorité du Concile sur le pape. Bien qu'on l'ait qualifiée, plus tard, de « gallicane », ses origines n'ont rien de specifiquement français. La competénce du concile sur le pape *hérétique* est une maxime admise par le droit canonique, dès avant le IX[e] siècle, sans distinction de pays. Les appels de la fin du XIII[e] siècle et du début de XIV[e] s'y rattachent. Ils contribuent à familiariser les esprits avec la possibilité de soumettre, en cas de besoin, le conduite des suoverains pontifes au jugement d'une autorité plus haute. Tout naturellement, la conviction que le concile est seul capable de faire cesser le schisme issu de la double election de 1378 s'impose à beaucoup de contemporains. Sans doutes un grande nombre ne la raisonne; mais ceux que préoccupe le souci de procéder de façon régulièr cherchent le *moyen de justifier leur suggestion,* et ils le trouvent dans les idées répandues naguère par *Occam* et dont plu-

sieurs ont été soutenues déjà par *Marsile de Padoue*. C'est vraisemblablement dans *l'Université de Paris* que se fit d'abord ce travail d'adaptation, mais les maîtres dons les écrits apparissent, sous ce rapport, les plus importantes, sont précisément des étrangers » (= Conradus a Gelnhausen in sua *Epistula concordiae* et Henricus a Langestein in sua *Epistola concilii pacis*).

Veram primatus naturam exponit Concilium in sessione IV, cap. 3 (DB. n. 1827 sq.) Quam totam sic tandem canone claudit et munit: « Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; atque hanc eius potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias sive in omnes et singulos partores et fideles: anathema sit ». DB. n. 1831. Ad cuius definitionis normam:

a) Potestas primatialis Romani Pontificis est vere *episcopalis seu pastoralis*. Non est ergo merum *officium inspectionis aut directionis*, sed est vera potestas legifera, iudiciaria, coactiva; talis videlicet, qualis competit episcopo in suum gregem, quem debet non tantum mera inspectione dirigere, sed vera potestate regere per leges, doctrinam, iudicia etc.

b) Porro haec iuridictionis potestas est *ordinaria*, talis nempe quae Romano Pontifici competat *vi muneris* stabilis, non vi delegationis revocabilis; quae praeterea se protendit non ad quosdam tantum casus extraordinarios, sed ad generalitatem causarum.

c) Eadem potestas exhibetur ut *immediata*, non quod excludat omnem aliam potestatem intermediam vere episcopalem, sed ideo potius, quia independenter ab omni alia potestate potest ipsa, sine ullo alio medio necessario interponendo, et valide et licite exerceri in omnes et singulos sive pastores sive fides.

d) Est praeterea haec primatialis potestas vere *suprema*. quae videlicet nullam aliam habet in Ecclesia universa nec maiorem nec parem. Cui proinde debent obstringi officio hierarchicae

subordinationis omnes postores et fideles sive seorsum singuli, sive collective omnes.

e) Demum potestas Romani Pontificis dicitur et est *plena.* Quae videlicet continet non tantum potiores partes supremae illius potestatis, sed totam ipsius plenitudinem. Unde sequitur illam non posse accessu aliarum partium vere compleri. Potestas ergo Concilii oecumenici seu omnium episcoporum simul cum Romano Pontifice non est maior (intensive), quam potestas solius Pontificis.

Probationem quod attinet, omnes hae primatus proprietates demonstrari possunt non tantum dogmatice, auctoritate videlicet Ecclesiae infallibilis, sed *etiam via mere apologetica* et critica. Omnia quippe facile fluunt et derivantur vel sola instituta analysi potestatis primatialis, qualis exhibetur in verbis Christi Petro eiusque successoribus immediate directis, ut superius ostendimus. Sane primatus Petro immediate et directe promissus ac collatus implicat potestatem iuridictionis *vere plenam.* Atqui nequit esse plena, si non sit episcopalis, ordinaria, immediata et suprema. Ergo...

Prob. maior. Plena est potestas quae nequit augeri seu compleri accessu aliarum potestatum quae sunt in Ecclesia; quae proinde *se sola* potest ligare et solvere omnia quaecumque possunt ligari et solvi in universa Ecclesia. Atqui talis est potestas soli Petro immediate promissa et collata — *quodcumque* ligaveris super terram erit ligatum et in caelis... Profecto non est maior potestas quae traditur omnibus Apostolis simul cum Petro (Mt. 18, 18). Vides ergo totam potestatis supremae plenitudinem soli Petro eiusque successoribus esse concessam.

Minor per se patet. Nequit enim esse plena potestas, sed multipliciter limitata, quae non sit suprema, ordinaria, immediata et episcopalis.

Obiectiones singulas persequi nimis longum foret. Praecipuas perstringemus:

1. Princeps contra thesim argumentum superius consideravimus: petitur nempe e Synodi Constantiensis decreto: « Docet nempe haec Synodus quod ipsa in Spiritu Sancto congregata... potestatem a Christo immediate habet cui quilibet cuiuscumque status vel dignitatis, *etiamsi papalis existat,* obedire tenetur in iis quae ad fidem (finem?) et extirpationem dicti schisma-

tis et reformationem dictae Ecclesiae in capite et membris». Ergo potestas papalis non est suprema nec plena.

Resp. *a*) Si hoc decretum agit de papa *dubio*, qui nempe ab initio dubius fuerit nec adhuc ab Ecclesia acceptatus, obiectio non tenet. Thesis nostra respicit potestatem papae certi: advertas ipsum Concilium declarasse quod «papa electus ligari non potest».

b) Etsi decretum agat de papa quolibet, etiam certo, nullum valorem iuridicum habet, quia non fuit agnitum a papa Martino V. Qui ea tantum approbavit quae ad fidem pertinent et *conciliariter* acta sunt. Idem dicas de Eugenio IV, qui doctrinam *Concilii Basileensis* de superioritate Concilii supra papam, nedum approbaverit, aperte reprobavit in Constitutione «Moyses», idque «Sacro approbante Concilio».

2. *Replicabis*: Sed decreta Constantiensia et Basileensia ostendunt doctrinam de superioritate Concilii supra papam esse acceptam a non paucis Patribus et theologis. Ergo doctrina de potestate papali suprema et plena manet incerta.

Resp. Doctrinam de vera natura et vi potestatis pontificiae fuisse obscuratam in mentibus aliquorum Doctorum et Theologorum omnino concedimus. At haec singularis sententia nec habet fundamentum in traditione priori, nec radices fixit in traditione posteriori. Unde merito ait Pius II: «Execrabilis et *pristinis temporibus inauditus* tempestate nostra inolevit abusus, ut a Romano Pontifice Iesu Christi Vicario, cui dictum est in persona beati Petri: Pasce oves meas — Quodcumque ligaveris super terram... nonnulli spiritu rebellionis imbuti... ad futurum Concilium provocare praesumant». DB. n. 717. Ipse *Gerson* theoriae conciliaris novitatem fatetur scribens: «Fallor, si non ante celebrationem huius sacrosanctae Constantiensis Synodi sic occupaverat mentes plurimorum ista traditio (Conciliarismo opposita), ut oppositorum dogmatizator fuisset *de haeretica pravitate* vel notatus vel damnatus». Theoria conciliaris, occasione et ratione schismatis Occidentalis saeculo XV nata, decursu duorum saeulorum omne fere patrocinium amisit. De ea *Pascal* vere dicere potuit: «Il n'y a presque plus que la France où il soit permis de dire que le Concile est au-dessus du pape». Apud Martin o. c.

3. Concilium CP. III damnavit Honorium papam ut haereticum. Ergo Concilium est superius papa. — Condemnatio ista cadit in Honorium mortuum, quum iam non erat papa. Quaestio de Honorio deinceps recurret.

4. Decretum Gratiani, dist. XL, c. 6 ait: «Si papa suae et fraternae salutis negligens deprehenditur inutilis et remissus... Huius culpas istic redarguere praesumit mortalium nullus, quia cunctos ipse iudicaturus a nemine est iudicandus, *nisi deprehendatur a fide devius*». Consentit Innocentius III:

« In tantum enim fides mihi necessaria est, ut cum de ceteris peccatis solum Deum iudicem habeam, propter solum peccatum quod in fide committitur possem ab Ecclesia iudicari. Nam qui non credit, iam iudicatus est». Cf. ML. 117, 656. Ergo aliquando saltem papa subest Concilio.

Resp. Si aliquando fiat ut papa (qua persona privata) incidat in haeresim publicam, eo ipso desinit esse membrum Ecclesiae, et consequenter amitteret dignitatem papalem. Concilium in hoc casu (possibili?) posset *declarare* papam deiecisse e suo statu et dignitate papali.

5. Sed doctrina de plenitudine potestatis papalis videtur tribuenda *Decretis Pseudo-isidorianis.* Ergo non est doctrina vere traditionalis.

Resp. Negatur prorsus antecedens: *Decreta Pseudo-isidoriana* audit Collectio quaedam saeculo IX in Gallia orta, quae sub ficto nomine Isidori Hispalensis spurias quasdam epistulas prioribus antiquae Ecclesiae papis adscribit.Auctor huius compilationis pro scopo habuit non tam augere potestatem pontificiam, quam tueri iura episcoporum contra protestatem civilem, necnon contra potestatem metropolitanorum. Porro haec Decreta eatenus influxerunt ad roborandam potestatem pontificiam, quatenus praxis, in Ecclesia iam vigens, nonnullis antiquis papis tribueretur, quibus adscribenda reapse non erat. Doctrina de potestate suprema et plena Romani Pontificis, item quod prima sedes a nemine iudicari potest, multo ante saeculum nonum in Ecclesia docebatur.

6. At si tanta potestatis plenitudo papae adscribatur, oporteret dicere episcopatum non esse necessarium, vel etiam episcopos esse meros papae vicarios.

Resp. Negatur assertum. Episcopatus non minus est institutionis divinae, quam papatus; hinc vere in Ecclesia necessarius. Nec verum est episcopos reddi meros papae vicarios, quia suos greges ex institutione divina pascunt protestate ordinaria et propria. Cfr. *van Laak,* Repet. p. 301 sq. ubi totam hanc materiam accurate explicatam et ab obiectionibus vindicatam reperies.

Notae bibliographicae

Ad ipsam thesim: Utiliter conferri possunt d'*Herbigny,* o. c. n. 281 sq.; *Dieckmann,* o. c. n. 507 sq.; *Ottiger,* Theologia Fundamentalis II, (1911), p. 660 sq. *Franzelin,* o. c. p. 163 sq.; *Palmieri,* de Romano Pontifice, thes. VIII sq.; *Wilmers,* o. c. n. 117 sq.; *G. Glez,* Dict. Theol. cathol., v. 25 ad vocem « Primauté », col. 266 sq.; *Felder* (1923), p. 110 sq.; *Lercher,* o. c. (1927), n. 350 sq.; *van Laak,* Repetitiorium, p. 299 sq.; *Du Manoir,* Gregorianum, 1939, p. 481-506.

De testimonio Clementis R.: *Van Cauwelaert* in Rev. Hist. Eccl., v. 31 (1935), p. 267-306; *Zeiller*, ibid. p. 762 sq.; *Altaner*, Theol. Rev., 35 (1936), p. 41 sq.; *F. Segarra*, Estudios Eclesiásticos, 15 (1936), p. 380 sq.; *Lebreton*, Rech. sc. relig., 25 (1935), p. 607, nr. 25; *P. Pauwels*, Nederl. Kathol. Stemmen, 26 (1936), p. 43 sq.; *de Aldama*, Gregorianum, 18 (1937), p. 107 sq.; *van Laak*, Institutiones Theologiae Fundamentalis, tr. 4, vol. I (1911), 119 sq.; *L. Lemarchant*, Rev. Sc. Rel. (1938), p. 448 sq.

De testimonio S. Ignatii A. *van Laak*, o. c. p. 132-147; *Ottiger*, o. c. p. 626 sq.; *J. Chapman*, Rev. Ben. 1896 p. 385-400; *Funk*, Kirchengeschichtliche Abhandlungen u. Untersuchungen I, 1897, p. 1 sq. Ex acatholicis videri possunt I. *Langen*, Geschichte der römischen Kirche... (1881), p. 93 sq., maxime vero *Harnack*, Sitzungsberichte der K. Preuss. Akad. d. Wissensch. (1896), p. 111-131; *O. Perler*, Divus Thomas 1944, p. 413 sq.

De testimonio Irenaei: *Straub*, De Ecclesia Christi (1912), p. 358 sq.; *Ottiger*, o. c. p. 630 sq.; *Wilmers*, o. c. p. 218 sq.;*H. Hagemann*, Die römische Kirche... p. 598 sq.; *Schneemann*, Collectio Lacensis IV, Appendix I-XXXIV; *Savio*, Civiltà Cattolica (1908) 11, p. 219 sq. III, p. 33 sq.; *Chapman*, Rev. Ben. (1895), p. 49 sq.; *Funk*, Kirchengesch. Abhandl... (1897), p. 12 sq.; *G. Esser*, Katholik (1917), p. 289 sq. item in Theologia und Glaube 14 (1922), p. 244 sq,; *Forget*, Ephemerides Theol. Lovan. (1928), p. 437 sq.; *Van den Eynde*, Les normes de l'ensignement chrétien (1933), p. 171 sq. *Kneller*, Stimmen aus Maria - Laach (1909), p. 402 sq.: Ex acatholicis: *Harnack* in Sitzungsber. der Akad. ... (1893), p. 939 sq.; *H. Koch* in Theol. Studien u. Kritiken (1921), p. 54 sq. *T. G. Jalland.* The Church and the Papacy, 1944, p. 11 sq. Inter omnes facile eminet Straub.

De testimoio Cypriani: *Hugo Koch*, Cathedra Petri (1930); *Idem* in Texte und Untersuchungen (1910) — Cyprian und der römische Primat — p. 1-169 sq.; *B. Poschmann*, Ecclesia principalis (1933); *Idem*, Die Sichtbarkeit der Kirche nach der Lehre des hl. Cyprian (1908); *D'Herbigny*, o. c. II, p. 179-186; *Ottiger*, o. c. p. 653-677; *D'Alès* La Theologie de Saint Cyprien (1922), p. 91-223; K. *Adam* in Theol. Quartalsch. (1928), p. 203 sq.; *O. Casel* in Rev. Bénédict. (1913), p. 413 sq.; I. *Erns*, Cyprian and das Papstum (1912); C. A. *Kneller* in Zeitschrift f. Katholische Theologie, 36 (1912), p. 280 sq.; T. *Zapelena* in Gregorianum, 15 (1934), p. 500-523; 16 (1935), p. (196-224)). T. G. *Jalland*, o. c. p. 177 sq.

De duplici editione c. 4 De Unitate Ecclesiae: *Chapman* in Rev. Bénéd. t. XIX, p. 246-254; 357-373; t. XX, p. 26-52; *D'Ales*, o. c. p. 104 sq.; *Van den Eynde*, in Revue d'Hist. Eccles., 1933, p. 5-24; *Poschmann*, o. c. p. 69 sq.; M. *Benevot*, St. Cyprian's De Unitate: Chap. 4 in the ligt of the

Manuscripts, 1936. *Lebreton* in Recherches de Science Religieuse (1934), p. 456 sq.; 193 p. Nostro iudicio tota haec controversia minoris est momenti. Nihil est in editione controversa quod non contineatur in editione recepta considerata ad lumen capitis quinti et reliquorum scriptorum de quorum authentia nemo dubitat.

De primatu romano in Concilio Ephesino: *P.Galtier,* Le Centenaire l'Ephèse, Rome et le concile, in Rech. d. Sc. Relig. (1931), p. 186-199; 269-281; F. *Segarra* in Anacleta sacra Tarraconensia (1931), p. 57-79; A. A. *Grumel,* in Echos d'Orient (1931), p. 293-314; A. M. *Strgacic,* in Bogoloska (1932), p. 29-54; M. *de Mieres,* in Etudis Franciscans (1932), p. 257-320.

De primatu romano apud Leonem M.: P. *Batiffol,* Le siège apostolique (1924), p. 417-589; P. *Santini,* Il Primato e la infallibilità del Romano Pontefice in S. Leone Magno e gli scrittori greco-russi (1936); T. *Harapin,* Primatus Romani Pontificis in Concilio Chalcedonensi et Ecclesiae Dissidentes, 1923; D'Hrbigny, o. c. II, p. 135-136.

De ortu et formatione Conciliarismi: Victore *Martin* in Rev. Sc. Rel. (1937), p. 121-143; 261-289; 406-427; H. X. *Arquillière,* L'origines des théories conciliaires in Séances et travaux de l'Académie des Sciences morales et politiques, t. 175 (1911). — *Idem* in Revue des questions historiques (1911), p. 23-55; A. *Kneer,* Die Entstehung der Konciliaren Theorie in Römische Quartal chrift für christ. Alterthumskunde und für Kirchengeschichte (1893), p. 48-60.

THESIS XI

Vera Christi Ecclesia est fide, regimine et communione una; morali ac simultanea universalitate catholica.

Connexio materiae

Vidimus Ecclesiam a Christo institutam non alibi reperiri, quam in coetu Romano-catholico. Hanc conclusionem ostendimus *via romanitatis,* quam sua commendat brevitas, claritas, securitas. Eandem conclusionem *nova via demonstrare aggredimur.* Sed ut quid perditio haec? Duplex est ratio addendae novae viae. Una est *interna,* ut ipsa nempe demonstratio *catholica* plenior ac securior sit. Nonne in ipsa demonstratione *christiana* multiplex signorum sue criteriorum apparatus adhiberi consuevit? Altera ra-

tio est *externa,* desumpta nempe ex adversariis, quibus Romanitas schismatis et separationis occasio fuit. Ad hos convocandos utiliter instituitur secunda via incedens per territorium quadantenus neutrale, quod efformant certae quaedam proprietates verae Christi Ecclesiae necessario inhaerentes, facile observabiles, ipsa Ecclesia notiores, ab omnibus litigantibus aliquo saltem sensu et gradu admissae. Sunt enim illae ipsae quas recensuit concilium Nicaeno-constantinopolitanum praedicans fidem in *unam, sanctam, catholicam et apostolicam Ecclesiam.*

Haec est *via notarum,* quam nunc ingredimur sequentibus gradibus percurrendam. Ostenditur: *a*) quatuor haec attributa *necessario competere* verae Christi Ecclesiae, hinc esse veras Ecclesiae *proprietates; b*) *abesse* omnes vel saltem aliquas in aliis coetibus christianis; *c*) *adesse* omnes in coetu romano catholico; *d*) unde iterum concluditur veram Christi Ecclesiam esse Romano-catholicam, hinc quatuor praefatas proprietates esse *veras quoque Ecclesiae notas.*

Attento duplici huius quaestionis scopo, facile patet viam notarum posse proponi duplici modo: *vel* supposito ac concurrente primatu — *vel* praescindendo a primatu. Utrumque respectum in argumentatione prae oculis babebimus. Thesis praesens duplici parte constat: Prima explicat veram Ecclesiae *unitatem;* altera tuetur genuinam ipsius *catholicitatem.*

I

De unitate Ecclesiae

Praenotanda

Unum bifariam sumi potest. Primo quidem prout importat *unicitatem,* quae excludit pluralitatem facti et iuris. Unicam esse Christi Ecclesiam supponimus ex antea demonstratis; ceterum unicitas Ecclesiae logice sequitur ex eiusdem unitate *catholica.* Deinde unum sumi potest philosophice, denotatque ens in se indivisum et divisum a quolibet alio. Excludit haec unitas partium

vel existentiam vel divisionem intraneam; includit vero divisionem ab alio ente sibi extraneo, cuius sit pars.

Quum unitas sit proprietas entis, talis concipiatur oportet, qualis est ipsa entitas quam consequitur. Porro duplex est Ecclesiae consideratio: una prout est *Corpus Christi mysticum;* altera prout est *societas externe visibilis* et hierarchice compacta. Hinc duplex est Ecclesiae unitas: una interna et mystica cuius principium est Spiritus Christi vivificans; altera externa et visibilis, cuius principium est ministerium Petrino-apostolicum, forma vero triplex, quae statim iam describenda venit.

Unitas fidei consistit in eo quod omnia Ecclesiae membra profiteantur unam eandemque fidem ab uno eodemque magisterio ecclesiastico authentice propositam. Hinc requiritur *a*) Unitas fidei *internae,* quae *in ipso corpore* ecclesiastico necessario postulatur. Num vero in *aliquibus* membris abesse possit, pendet a conditione membri controversa (de haereticis internis); *b*) Unitas fidei *externae* i. e. professionis externae,nam quae latet tota in mente inepta est tum ad animos socialiter devinciendos, tum ad veram Ecclesiam notificandam: *c*) Unitas fidei *formalis,* talis nempe quae sit determinata per sinceram omnium fidelium submissionem uni eidemque regulae externae seu magisterio ecclesiastico: *d*) Unitas fidei *totalis* i. e. quae se protendat ad omnem doctrinam revelatam. Minime tamen requiritur fides *explicita* in omnes et singulos fidei articulos; sufficit fides universalis *implicita,* quae universim fertur in omnia a Deo revelata et a magisterio ecclesiastico proposita vel proponenda. Quaenam sint *explicita fide* credenda ab omnibus, determinantur in Tractatu de fide. — Patet hanc talem unitatem minime frangi sive *dissensionibus theologorum* de re nondum eliquata disputantuim, quum omnes disputantes sint parati acquiescere definitivis magisterii ecclesiastici definitionibus, sive *progressu dogmatico,* quo multa explicantur ac evolvuntur in aliis implicata, quae iam fide tenebantur implicita.

Unitas regiminis stat in hoc, quod cuncti fideles obediant uni eidemque auctoritati supremae a Christo institutae. Haec unitas regiminis diversimode intelligitur, prout supponitur vel non supponitur primatus. Si *primatum supponis,* eoque uti velis in de-

monstratione per viam notarum, unitas intelligitur regiminis *monarchici*, postulatque omnium fidelium submissionem uni legitimo Petri successori, quicumque demum ille sit. *Si praescindis a primatu*, unitas haec intelligitur regiminis *hierarchici*, postulatque omnium fidelium submissionem uni eidemque collegio episcopali, succedenti collegio Apostolico in suprema Ecclesiae potestate.

Unitas communionis (κοινωνία) respicit unionem *fidelium omnium inter se;* consistit vero in hoc quod omnia Ecclesiae menbra *invicem cohaereant* inter se in una vita communi mystica et sociali: Hinc supponit haec communio unitatem capitis, unitatem Spiritus, unitatem regiminis (et magisterii), unionem corporis in uno sacrificio, in iisdem sacramentis, in communi omnium conspiratione ad eundem finem communem; hinc est quod saepe vocatur unitas *caritatis* socialis, ad quam prorsus requiritur ut nulla sint in Ecclesia membra, nullae communitates quae agant per modum *totius* cuiusdam indipendentis, sed omnes *sint et operentur* ut partes unius eiusdem corporis socialis et mystici. Vides hanc communionem seu coinoniam esse complexam et multiformem; videlicet: somaticam, pneumaticam, capitalem, doctrinalem, disciplinarem, cultualem, sacramentalem, potissimum vero *eucharisticam*. — Vides quoque hanc unitatem non dissolvi nec legitima varietate rituum in Ecclesia obtinentium, quum haec qualiscumque varietas non afficiat substantiam cultus a Christo instituti, nec diversitate legum disciplinarum, quibus sive mores sive ipsi actus pro aliis temporum, locorum, personarum adiunctis diversimode ordinantur.

Nota: *a*) Desideratur apud auctores *nomenclatura uniformis*: multi loquuntur tantum de unitate fidei et regiminis, sed in hac ultima (vel etiam in utraque) supponunt implicatam unitatem communionis; alii loquuntur de unitate fidei et communionis; sed hi quoque auctores supponunt unitatem regiminis implicatam in unitate communionis. Haec unitas communionis saepissime recurrit sive in monumentis. Traditionis, sive in documentis ecclesiasticis: ideo nos illam explicite commemoratam voluimus.

b) Unitas sacramentorum vel liturgica, quam multi auctores commemorant, continetur in triplici unitate superius descripta. Nam tum sacrificium, tum sacramenta sunt et ipsa revelata; hinc

ex hac parte pertinent ad unitatem fidei; eorundem vero administratio reservatur ministerio ecclesiastico; unde ex hac parte subiiciuntur unitati regiminis. Demum ex qua parte sunt bona socialia communia trahuntur ad unitatem communionis.

Positio adversaria

Protestantes generatim distinguunt duplicem ecclesiam: unam *stricte* dictam et essentialem, qui est coetus electorum vel sanctorum (Ecclesia promissionum), alteram *late* dictam seu historicam, qui est coetus vocatorum. Prima est invisibilis et soli Deo nota, hinc *nullae sunt notae* pro hac ecclesia promissionum; altera est visibilis et redditur discernibilis per duas notas: per puram verbi praedicationem et legitimam sacramentorum administrationem. Quaeritur qualis unitas requiratur pro hac ecclesia visibili.

Unitas regiminis nulla postulatur apud Protestantes. Christus nullam potestatem legislativam in Ecclesia instituit. Potestas *excommunicandi,* si quae datur divinitus constituta, exercetur in singulis coetibus localibus independenter ab aliis.

Unitas communionis stricte talis non admittitur apud Protestantes, quia supponit unitatem regiminis, quam reiiciunt. Non raro loquuntur de corpore ecclesiastico uno sub uno Christo Capite, sub uno Spiritu; sed haec unitas ex una parte est invisibilis, ex alia vero insufficiens ad veram communionis unitatem.

Unitas fidei totalis (et formalis) reiicitur eodem modo. Unitas fidei *partialis* seu restricta admittitur ab iis qui acceptant novam interpretationem propositam a Petro *Jurieu,* cui sufficit unitas fidei in *articulis fundamentalibus.* Quod si queras quinam sint habendi articuli fundamentales varia responsa successive tentata sunt: vel illi qui sine salutis dispendio ignorari non possunt; vel illi qui in ss. Scripturis clare continentur; vel illi quos communi consensu admittunt omnes legitimi coetus christiani. At Jurieu post laboriosam inquisitionem clare demum determinat ambitum horum articulorum. Articuli nempe fundamentales complectuntur tum *attributa essentialia omnis religionis verae* = existentia nempe Dei creatoris et gubernatoris mundi, animae humanae immortalis, sanctio aeterna; tum etiam *attributa essen-*

tialia Christianismi = mysterium nempe Trinitatis, messianitas Iesu, opus redemptorium Christi liberatoris et sanctificatoris universalis. Vera Christi Ecclesia constituitur secundum Jurieu ab his omnibus et solis christianis, qui admittunt has veritates fundamentales. Vides nullam demum requiri unitatem regiminis, nullam strictae communionis, sed solam (partialem) fidei unitatem.

Anglicani Oxonienses et Ritualistae proposuerunt sic dictam *theoriam ramorum.* Concedunt triplicem illam fidei, regiminis et communionis unitatem esse rem maxime optabilem et Christi voluntati conformem. At fuit culpa hominum misere truncata, hinc rursus sollicite quaerenda et procuranda. Sed nequit haec triplex unitas dice *absolute essentialis.* Hinc vera Christi Ecclesia constituitur a tribus ramis: anglo-catholico, romano-catholico, graeco-catholico. Vides iterum nullam postulari unitatem regiminis, nullam strictae communionis socialis, sed solam fidei communionem se protendentem ad omnes et solos articulos quos Ecclesia universalis profitebatur ante factum separationis.

Hodiernus Protestantismus exhibet duplicem tendentiam: alii quaerunt omnium christianorum unionem mere practicam citra omnem fidei unitatem (Life and Work); alii solliciti sunt de servanda aliqua saltem fidei unitate (Faith and Order).

Orientales Theologi minime consentiunt in doctrina de vera Ecclesiae unitate. Omnes fere premunt unitatem *internam et mysticam* Ecclesiae ab *uno Spiritu* vivificatae. Unitatem *externam* quod attinet: *alii* simpliciter fatentur illam periisse in Ecclesia: sic theologi illi pro quibus Ecclesia Orientalis est *pars* Ecclesiae universalis; *alii* solam commemorant unitatem fidei; *alii* addunt unitatem sacramentariam et orationis seu liturgiae. « Sed estne ex mente theologorum dissidentium necessaria unitas hierarchica vel regiminis? Talem unitatem certe non ecclesiae necessariam censerent ii qui videntur adhuc ecclesiam Romanam considerare ut partem Ecclesiae universalis... Sed ex aliis theologis aliqui *hanc unitatem commemorant*, ut Antonij. Alii quidem praeter unitatem externam fidei et sacramentorum etiam *unitatem hierarchicam* ponunt, sed eam *sat late concipiunt*: per talem unitatem non impediri, quominus ecclesiae particulares diversam constitu-

tionem habeant; sat indeterminate eam consistere exhibent — in unitate hierarchica — in iisdem canonibus — in una hierarchica constitutione — in aequalitate constitutionis; manifestari vero eandem — in conciliis — in fraternis relationibus — in agnita vavaliditate actionum singularum ecclesiarum autocephalarum — in communicatis negotiis, quae universam Ecclesiam spectant, etc... *Tamen nunquam necessitatem subiectionis uni eidemque auctoritati communi clare et expresse indicant* ». Sic Spacil. *Summatim ergo*: Orientales unitatem (numericam) regiminis et communionis *strictae* non requirunt. Unitatem fidei formalis admittunt, licet restrictam ad eas veritates quae in septem prioribus Conciliis oecumenicis definitae atque explicatae fuerunt.

Probatur thesis

Ostendemus *a*) Ecclesiam esse unam; *b*) hanc unitatem esse internam (mysticam) simul et externam; *c*) Unitatem externam esse triplicem in thesi enuntiatam.

a) *Ecclesiam unam* ostendunt parabolae ac similitudines quibus illa exhibetur: Ecclesia imprimis est *Regnum* (messianicum). At, ipso dicente Christo, omne regnum *divisum* contra se desolabitur (Mt. 12, 25). Sed Regnum messianum in aeternum non dissipabitur. Stabit ergo firmum unum atque indivisum. — Ecclesia dein est *Domus* fundamento Petrino innixa. Porro « domus *divisa* contra se non stabit » (ibid.). Atqui domus ecclesiastica stabit firma contra portas inferni (Mt. 16, 18). Erit ergo semper indivisa seu una. — Ecclesia Christi est *Ovile* congregandum ex ovibus iudaeis et gentilibus. Atqui hoc ovile « erit unum sub uno Pastore » (Io. 10, 16) Ergo...: — Ecclesia demum est *corpus* Christi. Atqui hoc corpus est stricte unum. « Sicut enim corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, *unum tamen corpus est, ita et Christus* (— mysticus). Etenim in uno Spiritu omnes nos in *unum corpus* baptizati sumus » (I Cor. 12, 12-13). Item Ecclesia est *Sponsa* Christi. At haec sponsa est unica et una. Sane « propter hoc reliquet homo patrem et matrem suam, et adherebit uxori suae: et erunt duo in *carne una* (εἰς σάρκα μίαν). Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico *in Christo et in Ecclesia* (εἰς Χριστὸν καὶ τὴν ἐκκλησίαν).

b) *Unitatem Ecclesiae mysticam simul et socialem* ostendunt Christus et Paulus:

Christus praeprimis naturam et sublimitatem unitatis ecclesiasticae egregie describit in oratione sua sacerdotali, qualem profert Ioannes in capite XVII sui evangelii. Huius orationis tenorem et cursum ut aptius intelligas, advertas Patrem dedisse Christo *omnem carnem* (omne genus humanum) *vivificandam* (17, 2). Haec est autem vita aterna: « ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem missisti Iesum Christum » (17, 3). Haec vero cognitio erit fructus triplicis praeconii: Christiani, hierarchici, ecclesiastici. Christus manifestavit (et clarificatus iterum manifestabit) nomen Patris suis *Apostolis;* Apostoli a Christo eruditi et a Spiritu Christi illustrandi manifestabunt *Ecclesiae* nomen seu dignitatem Patris et Filii. Ecclesia hierarchica Spiritu Christi et ministerio apostolico mire unificata manifestabit *mundo* stupendam Patris et Filii dignitatem (ut cognoscat mundus quia tu me misisti). Hinc tres orationis partes arctissimo et secreto vinculo inter se colligatae: Christus imprimis postulat pro se claritatem corporis glorificati, qua fiat in Spiritum vivificantem (17, 1-5): — Christus dein petit pro Apostolis (eorumque successoribus) Spiritum fortitudinis, pacis, sanctitatis et veritatis, quo fiant constantes in fide et confessione Patris et Filii, mundo eiusque spiritu maligno superiores, uniti fortiter inter se in uno collegio apostolico, charismate demum veritatis illustrati et communiti (17, 6-20). Christus tertio orat pro Ecclesia universa petitque « ut omnes unum sint ». Quali unitate? Unitate praeprimis mystica et supernaturali: « ut et ipsi *in nobis unum sint* ». Quid sibi velit illud « in nobis » subito explicatur: *Ego in eis, et tu in me,* ut sint consummati in unum ». Quomodo vero erit Christus in nobis, ulterius explicatur: « Et ego *claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut unum sint,* sicut et nos unum sumus ». Agitur ergo de unitate mirabili, quae fiet mediante effusione vitae divinae, quae e Patre descendit in Christum, et e Christo Capite in nos membra, mediante communione Spiritus vivificantis per dona gratiae multiformia. Audias Athanasium altitudinem mysterii profunde explicantem: « Quia Verbum est in Patre, Spiritus autem ex Verbo datur, vult nos accipere Spiritum, ut hoc accepto,

atque habentes Spiritum Verbi, quod est in Patre, ostendamus et nos *per Spiritum unum* esse in Verbo et per Verbum in Patre. Unde... in Filio et Patre erimus et *censebimur unum facti* in Filio et in Patre, *quia in nobis est Spiritus,* qui est in Verbo et Verbum in Patre». Contra Arian. oratio 3. MG. 26, 373. Vides in oratione Christi agi cumprimis de unitate mystica et supernaturali, cuius nempe principium est unitas Christi capitis, et unitas Spiritus vivificantis. Sed agitur etiam de *unitate externa sociali et hierarchica.* Christus namque orat non tantum pro apostolis, « sed et pro *eis qui credituri sunt per verbum eorum in me* ». En unitatem externam et socialem cuius principium (proximum) est magisterium vivum eorum quos Christus mittet in mundum. Vides hanc unitatem externam esse fidei formalis (hinc totalis), communionis et regiminis (fidelium *sub* Collegio Apostolico) quum unitas tantum fidei nec sit analoga unitati Trinitariae, nec apta sit mundum malignum revincere ac persuadere de divina Christi missione. Hisce praestitutis sit iam

Argumentum in forma: Ecclesia nequit carere illa unitate quam Christus petivit pro ea oratione efficaci. Atqui Christus petivit pro Ecclesia sua hierarchica unitatem mirabilem mysticam simul et socialem oratione vere efficaci. Talem porro fuisse orationem Christi facile patebit si spectentur: *Persona petentis*: etenim petit Filius a Patre, ille qui, teste Paulo, exauditus est pro sua reventia (Hebr. 5, 7), ille qui alibi dixerat: « Ego autem sciebam quia semper me audis (Io. 11; 42): — *adiuncta orationis*: orat quippe Christus in occasione sollemnissima, post institutam Eucharistiam, quum iam instat sacrificium crucis, quum in eo est, ut relinquat mundum iterum reversurus ad Patrem: — *Motiva petitionis* qualia sunt opus egregie consummatum, quod Pater ei dederat ut faceret, claritas in Patrem redundanda unitate hierarchica et ecclesiastica, conditio discipulorum, qui non sunt de hoc mundo, pro quo Christus *nunc* non vult orare, odium mundi in quod inciderunt ob sermonem Christi, missio ipsius Christi probanda ex unitate quae fulgebit in eis eorumque discipulis: — Demum Christus eodem tenore et modo petit pro Ecclesia universa ac petierat pro sua propria glorificatione et Apostolorum confortatione. Atqui haec Christus absolute et efficaciter postulasse pa-

tuit ex ipso rerum eventu quo novimus Patrem splendide glorificasse Filium in die resurrectionis, et Filium clarificatum misisse in discipulos Spiritum veritatis et fortitudinis in die Pentecostes.

Paulus multiplicem unitatem corporis mystici et ecclesiastici magnifice describit quum alibi, tum vel maxime in epistula ad Ephesios, cap. 4°. Ubi fideles hortatur servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. « Unum corpus, et unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis ». Est ergo Ecclesia unum corpus et unus Spiritus. Hoc unum corpus efformatur ab iis omnibus qui unam fidem profitentur praedicatam ab iis quos Christus posuit in Ecclesia Apostolos, Prophetas, evangelistas, pastores et doctores; uno baptismate initiantur et sic incorporantur uni Domino, qui est Christus ex quo derivatur tota illa vis multiformis qua operantur diversa organa hierarchica et charismatica secundum dynamismum sibi proprium, sicque provocant totius corporis ecclesiastici augmentum quum intensivum in caritate, tum extensivum continua gentium aggregatione. Ad hanc Pauli descriptionem:

Unitas Ecclesiae est: primo quidem *mystica et interna* quippe cuius principium est unus Pater, unus Dominus, unus Spiritus: — Est quoque *externa et socialis,* eaque multiplex: a) *unitas* imprimis *fidei* externae, formalis (hinc totalis); *unitas* dein *communionis,* quum sit propria corporis unius connexi et compacti in quo membra invicem cohaerent inter se; *unitas* demum *regiminis,* quippe quae fulgeat in fidelibus qui sunt constituti sub Apostolis, pastoribus et doctoribus.

Unitas externa triplex separatim demonstranda iam venit:

Unitas fidei probatur primo ex *testimonio* Christi *evangelico* (Mc. 16, 15-17; Mt. 28, 18-20). « Euntes in universum mundum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur ».

Ubi datur Apostolis eorumque successoribus mandatum praedicandi integrum evangelium, docendi omnia quae Christus servanda mandavit, et fidelibus vicissim imponitur officium gravissimum credendi integrum evangelium a magisterio ecclesiastico propositum. Atqui in his continetur unitas fidei internae, externae formalis, universalis. Ergo...

Minor quoad singula elementa sufficienter patet ex ipso textu. Agitur imprimis de fide interna; etenim oportet credere, et qui non credit, condemnatur; agitur dein de fide externa profitenda, quia sine hac externa fidei professione baptismus administrari nequit a ministro qui internum actum fidei non videt; agitur tertio de fide praestanda magisterio ecclesiastico, hinc de unitate fidei formalis; agitur denique de professione fidei totalis seu universalis, eo ipso quod sit formalis, quia fidelibus non datur facultas acceptandi aliquos tantum articulos, qui sibi magis fundamentales videantur, sed imponitur obligatio acceptandi omnia quae Christus servare iussit. Advertas Christum non tantum imposuisse mandatum sive praedicandi sive acceptandi integrum evangelium, sed auxilium quoque efficax promisisse: « Ego vobiscum ero usque ad consummationem saeculi ». Ergo numquam deerunt in vera Christi Ecclesia sive authentici praecones, sive fideles verbi Dei acceptatores.

Testimonium apostolicum superius audivimus ex Paulo, apud quem sicut unum est baptisma, unus panis eucharisticus, sic etiam *una est fides* (Ephes. 4, 6). Agitur porro de unitate fidei formalis seu praestanda his quos Christus dedit apostolos... pastores et doctores donec omnes occummarum *in unitatem fidei.*

Testimonium ecclesiasticum innotescit ex usu et praxi Ecclesiae. Quae iam inde ab aetate apostolica haereticos declarabat et a communione sua expellebat quotquot vel unum fidei dogma negabant. Sic iam Paulus vitandos declarat Hymenaeum et Philetum, « qui a veritate exciderunt dicentes resurrectionem iam esse factam et subvertunt quorundam fidem » (II Tim. 2, 16-12). Similiter Ecclesia damnabat Cerinthianos, Gnosticos, Montanistas, Marcionitas, Novatianos, Arianos, Nestorianos, Monophysitas, Eutichianos etc.

Unitas regiminis facile probatur in hypothesi sive inclusi sive exclusi primatus: *Si supponis primatum*, probatio est facilis compendio veritatis: Unitas regiminis constit in hoc, quod omnes fideles obediant uni eidemque potestati supremae. Atqui Christus iubet ut omnes obtemperent Petro eiusque legitimis successoribus. Ergo...: Nec voluit tantum aut praecepit Christus perennem omnium huic potestati primatiali subordinationem, sed praedixit praeterea portas inferni non praevalituras contra hanc talem Ecclesiam. Unitas ego regiminis monarchici non est tantum praecepta, sed etiam praedicta et promissa.

Si praescindis a primatu, argumentum procedit sic: Unitas regiminis stat in eo quod omnia Ecclesiae membra pareant uni eidemque potestati supremae. Atqui Christus hanc potestatem supremam promisit (Mt. 18, 18) et contulit (M. 28, 18-20) collegio apostolico-episcopali. Ergo eo ipso praecepit ut omnes obtemperent huic tali collegio. Nec solum praecepit sed auxilium quoque efficax promisit usque ad consummationem saeculi.

Unitas communionis sequitur iam instar corollarii ex asserta et demonstrata duplici unitate priori. Nam ubi omnes fideles eandem fidem profitentur, idem magisterium audiunt et eidem regimini subsunt, fieri non potest, ut non omnes ad invicem cohaereant ut partes unius corporis socialis, in quo praecise consistit praefata communionis unitas. Verbo: Unitas communionis est idem ac unitas societatis. Ibi ergo est unitas communionis, ubi datur una (numerice) societas. Atqui Ecclesia non est collectio societatum, sed una numerice societas. Ergo una communio.

Patres multifariam extollunt unitatem Ecclesiae:

Hermae Pastor: « Omnes gentes quae sub caelo habitant, postquam audierunt et crediderunt, in nomine Filii Dei vocati sunt. Accepto igitur sigillo, unam cogitationem habuerunt et unum sensum, et *una fides eorum fuit et una caritas* ». Funk, Patres Apostolici I, p. 611.

Irenaeus: « Hanc praedicationem cum acceperit, et hanc fidem ... ecclesia, et quidem in universum mundum disseminata, diligenter custodit quasi *unam domum* inhabitans; et similiter credit iis quasi *unam animam* habens, et *unum cor*, et consonanter

haec praedicat, et docet, et tradit, quasi *unum possidens os*. Nam etsi in mundo loquelae dissimiles sunt, sed tamen *virtus traditionis una et eadem est* Cum una et eadem fides sit, neque is qui multum de ea dicere potest, ampliat, neque is, qui minus, deminorat ». Adv. haer. I, 10, 2 (MG. 7, 552). Hinc est quod dum haeretici constringuntur « alteram et alteram ambulare exorbitantes viam ..., eorum qui ab Ecclesia sunt semita, circumiens mundum universum, quippe firmam habens ab Apostolis traditionem, et videre nobis donans *omnium unam et eandem esse fidem* », ibid. V, 16, 13 (MG. 7, 1169). Nihil iam mirum si invehitur in « eos qui schismata operantur, qui sunt inanes non habentes dilectionem Dei, suamque utilitatem potius considerantes quam unitatem Ecclesiae, — et propter modicas quaestiones et quaslibet causas *magnum et gloriosum corpus Christi conscindunt et dividunt*, et, quantum in ipsis est, interficiunt ». Ibid IV, 33, 7 (MG. 7, 1076). Quibus si addas enucleatum superius locum de potentiori principalitate Ecclesiae Romanae, et illatam inde unam et eandem omnium in fide consensionem (III, 3, 2) habes ab Irenaeo commemoratam et vindicatam catholicam et triplicem unitatem fidei, communionis et regiminis etiam monarchici.

Clemens Alexandrinus non minori claritate loquitur: « Unus universorum Pater; unum etiam Verbum universorum, et unus Spiritus Sanctus, et ipse est ubique: *una autem, unica enim mater virgo;* iucundum mihi eam vocare Ecclesiam » (Paedag. l. 6, 42, 1). Quibus affinia sunt quae alibi scribit: Manifestum esse existimo *unam esse veram Ecclesiam,* eam quae est vere antiqua... Cum enim unus sit Deus et unus Dominus, propterea id etiam quod est summe pretiosum ex eo quod sit unicum laudatur Unitatis igitur naturam participat Ecclesia una quam conantur in plures dividere haereses. Et essentia igitur, et conceptu, et principio, et excellentia, unicam esse dicimus antiquam et catholicam Ecclesiam, in unitatem unius fidei quae est ex propriis testamentis, vel potius ex testamento, quod est unum diversis temporibus ». (Stromat. VII, 17).

Cyprianus prae ceteris perfectam Ecclesiae unitatem constanter vindicat: « Unus est Deus, et Christus unus, et una ecclesia eius, et *fides una, et plebs una in solidam corporis unitatem* con-

cordiae glutino copulata: scindi unitas non potest, nec corpus unum discidio compaginis separari » (de unitate Eccles., 23). Haec unitas socialis maxime fit et obtinetur glutino *sacerdotum sibi invicem cohaerentium.* Nec enim est aliud « ecclesia (quam) *plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens* (unde patet) frustra sibi blandiri eos, qui pacem cum sacerdotibus Dei non habentes obrepunt et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando ecclesia, quae catholica una est, scissa non sit neque divisa, sed sit utique connexa et cohaerentium sibi sacerdotum glutino copulata » (epist. 66). Ideo hanc « unitatem tenere firmiter et vindicare debemus maxime episcopi qui in ecclesia praesidemus, ut *episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum* probemus ... Episcopatus unus est, cuius a singulis *in solidum* pars tenetur » (de Unitate Eccles. 5). Principium vero unitatis sacerdotalis et episcopalis stat in cathedra Petri. Etenim Dominus « super unum aedificat Ecclesiam ... (et) unitatis eiusdem originem *ab uno incipientem* sua auctoritate deposuit » (ibid. 4). Hinc iure miratur quod haeretici « navigare audent et ad Petri cathedram atque ad ecclesiam principalem, *unde unitas sacerdotalis exorta est* » (epist. 59). Sane « Deus unus est et Christus unus et una ecclesia et *cathedra una* super Petrum Domini voce fundata » (epist. 43). « Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit. *Qui cathedram Petri,* super quem Ecclesia fundata est, deserit et resistit, *in Ecclesia se esse confidit?* ». Habes in his egregie vindicatam unitatem fidei, communionis et regiminis, saltem collegii episcopalis. Frustra ergo sibi blandiuntur Anglicani et fautores theoriae ramorum, qui pacem cum Cypriano habere non possunt.

Hilarii quoque praeclarum est testimonium: « *Unum* Ecclesia *corpus est, non quadam corporum confusione permixtum,* neque singulis in indiscretum acervum et informem cumulum adunatis, sed *per fidei unitatem, per caritatis societatem,* per operum voluntatisque concordiam, per sacramenti unum in omnibus donum, unum omnes sumus » (in psalm. 121, 5).

Optatus Milev. clare effert *unitatem regiminis monarchici* tamquam principium totius unitatis ecclesiasticae. Siquidem Petro fuit primum Romae a Christo collata cathedra episcopalis, « *in*

qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur, ne ceteri apostolis singulas sibi quisque defenderent, *ut iam schismaticus* et peccator esset *qui contra singularem cathedram, alteram collocaret* Vestrae cathedrae vos (haeretici) originem reddite, qui vobis vultis sanctam ecclesiam vindicare » (Contra Parmen. Donatistam, 2, 2).

Hieronymus consentit: « Super Petrum fundatur ecclesia: licet id ipsum in alio loco super omnes apostolos fiat ... et ex aequo super eos ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut, *capite constituto, schismatis tollatur occasio* ». (Adv. Iovin. 1, 26).

II

De catholicitate Ecclesiae

Praenotanda

1. *Catholicum* vi nominis idem est ac universale. Potest autem Ecclesia dici universalis multis modis: Primo ratione *doctrinae revelatae,* quam totam sibi commissam et diligenter custodit et infallibiliter praedicat. Deinde ratione *mediorum salutis*: nam omnia merita, omnes gratias a Christo in cruce obtentas possidet, easque hominibus indesinenter applicat. Tertio ratione *hominum,* quos ex omni genere, ex omni classi, nullo facto discrimine, recipit. Quarto ratione *necessitatis;* omnibus quippe hominibus necessaria est ad salutem necessitate sive medii, sive praecepti. Quinto ratione *durationis* ad omnia tempora in finem usque mundi se protendentis. Tandem ratione *loci,* quatenus ab omni ditione nationumque finibus abhorrens, debet fieri internationalis et ubique gentium diffundi. Quae ultima acceptio classica iam evasit, et unice in thesi consideranda venit.

2. *Definitur vero*: Unius eiusdemque ecclesiae lata per orbem diffusio cum magna quadam et conspicua membrorum mul-

titudine. Ubi distinguas duplex elementum: *a*) *materiale* in ipsa per orbem diffusione positum, quam forsan obtinet *plures* sectae eodem nomine generico utentes; *b*) alterum *formale,* quod implicat *unius eiusdemque ecclesiae* diffusionem per totum orbem. In ipso elemento materiali distinguenda est diffusio *mere numerica,* uni forsan genti adstricta, ab alia *geographica* seu ethnographica ad multas gentes dilatata. Triplex ergo est elementum catholicitatis: unitas — diffusio numerica — extensio geographica. Primum elementum a nonnullis vocatur *fundamentale;* ipsam vero extensionem appellant elementum formale.

3. Catholicitas formalis *multiplex distinguitur*: Primo quidem *iuris,* quippe quae implicat verum ius, imo et officium diffundendi se per omnem terrarum orbem, cui proinde catholicitati insita est tum aptitudo et exigentia, qua iugiter sollicitetur ad omne opus missionarium, tum vis ac potentia ad superandum omnem particularismum nationalem, necnon ad vincendas omnes difficultates ortas ex tanta gentium, populorum, culturae ... varietate. Hanc vocant aliqui catholicitatem *qualitativam.*

Deinde vero datur catholicitas *facti,* quae indicat *actualem* Ecclesiae diffusionem per orbem. — Catholicitas facti potest esse *physica,* si nempe Ecclesia actu occupat omnes mundi nationes et provincias, nulla excepta; vel *moralis,* si Ecclesia, quamvis non actu occupat totam terram, attamen habet in notabili eius parte splendorem quendam universalem, quo possit eius dignitas et maiestas agnosci, et ab haereticorum turbis discriminari.

Catholicitas moralis alia est *successiva,* alia *simultanea,* prout vel uno eodemque tempore magnam illam diffusionem obtineat, vel successivis demum temporibus ad omnes gentes deveniat, ita ut hic cessare possit, cum alibi florescere incipit. — Catholicitas simultanea iterum fingi potest vel *perpetua,* quae inde ab ortu suo usque ad consummationem saeculi sine interruptione perdurat, vel *temporanea,* si nunc quidem viget, at deinde per plura forsan saecula cessat. Ceterum haec perpetuitas sumi potest vel sensu rigoroso et *physico,* vel sensu latiore seu morali, tali nempe qui breves quosdam hiatus permittat. — Tandem catholicitas adhuc distinguitur duplex: *absoluta* in qua sola attenditur magna Ec-

clesiae diffusio per orbem in se ipsa spectata, et *relativa* in qua haec diffusio consideratur per comparationem seu respectum ad alios coetus chirstianos, quos omnes, sive singillatim sive collective sumptos forte superat.

STATUM QUAESTIONIS determinant sequentes animadversiones;

a) Verae Christi Ecclesiae est imprimis essentialis catholicitas *iuris,* sed haec, quum sit invisibilis, minus apta est ad notificandum ...

b) Catholicitas ergo *facti* requiritur; at *non physica* (nisi forte successive versus finem mundi), etenim iuxta praedictiones Christi simul cum tritico crescet et zizania, iudaei nonnisi serius (versus finem mundi) convertentur, evangelium pedetentim praedicabitur in universo orbe, et tunc veniet consummatio ...

c) Ipsa etiam catholicitas *moralis* concipiatur oportet secundum certas leges *progressiva;* etenim parva initia habens crescet regnum caelorum sicut granum sinapis sub auxilio quidem divino, sed dependenter ab instrumento humano. Debet ergo tendere ad occupandas omnes terras statis temporibus cognitas et praedicationi humanae accessibiles.

d) Catholicitatem vero moralem intelligimus *simultaneam* et saltem moraliter *perpetuam.* Immerito tamen postules diffusionem semper progredientem; surgent enim haereses et schismata, nec fas semper erit omnes iacturas *statim* reparare.

Positio adversaria

Protestantica catholicitatis notio longe aberrat a genuino eiusdem conceptu. Id facile intelliges, si advertas in vera catholicitatis idea implicari elementum duplex: unum (quod diximus materiale) in ipsa per orbem diffusione positum, alterum formale (vel si vis fundamentale), quod est unitas fidei, regiminis et communionis. Protestantes porro non admittunt regiminis et communionis unitatem. Reiecta ergo vera et stricta catholicitate, *laxior* quaedam universalitas confingitur: — Aliis sufficit sola catholicitas *iuris*: — Alii requirunt catholicitatem *etiam facti,* sed con-

tendunt eam nulli coetui determinato competere sive romano, sive orientali, sive protestantico; catholicitas facti est quidem attributum essentiale verae Christi Ecclesiae, at vera Christi Ecclesia constituitur complexu omnium christianorum qui admittunt articulos fidei fundamentales. Sic fautores et asseclae *Jurieu*: — Similem catholicitatis ideam proponunt fautores *theoriae ramorum,* nisi quod vera Christi Ecclesia pro his est Ecclesia *hierarchica* antiqua et universalis, primum quidem arcte unita, nunc misere confracta et divisa in tres ramos: anglo-catholicum, graeco-catholicum; romano-catholicum: — Varias *Panchristianismi* ideas, necnon diversa vagi cuiusdam *oecumenismi* tentamina apud hodiernos Protestantes superius notavimus.

Orientalium separatorum varias conceptiones circa ideam catholicitatis describit *Jugie.* Qui varias tendentias ad quatuor capita reducit: cf. Theol. Dogm. Christ. Orient., IV, p. 565 sq.

Alii solam fere admittunt catholicitatem *qualitativam* seu *iuris.* Sic Philaretus *Orozdov* in cathechismo maiori: « Ecclesia vocatur catholica, quia nullo loco, nullo tempore, nulla natione circumscribitur, sed in se includit omnes vere credentes omnium locorum, temporum et nationum ». Affinis est notio quam exprimit *Bernardakis*: « Ecclesia est catholica vi suae naturae et praedestinationis, quae in hoc est, ut in suo sinu comprehendat omnes homines absque distinctione loci et temporis, tribus et linguae, ordinis et conditionis, id est omnes cuiuscumque temporis vel loci fideles » apud Jugie.

Alii solam catholicitatem *quantitativam* (actualem diffusionem per orbem) commemorant. Ita Plato Levkkin: « Ecclesia est catholica, id est, invenitur in omnibus mundi partibus. Per hoc intelligimus communitatem christianorum veri nominis, qui per omnes orbis partes dispersi sunt. Omnes veri fideles, ubicumque loci sint vel temporis, membra sunt Ecclesiae catholicae ». Apud Iugie.

Alii utramque catholicitatem iuris, inquam, et facti commemorant. Sic *Mesoloras*: « *Catholicam* vocamus Ecclesiam non solum quia per totum orbem diffusa est, sed etiam quia per Christi, Apostolorum et successorum eorum doctrinam, quam servat, om-

nes vocat ad salutem, ad omnes in sui sinu complectendos destinatur, ut fiat unum ovile sub uno pastore Christo ». Apud Iugie.

Alii novum prorsus conceptum catholicitatis proponunt innixi verbo *sobornaiia,* qua voce reddita est inde a saeculo XIV vox graeca καθολική adhibita in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano. Porro *sobornaiia,* spectato etymo vocis, idem est ac *synodalis,* « et ita illud *principium synodale* seu *sobornost,* quod tam saepe iactant Graeco-Russi recentiores suum fundamentum dogmaticum in ipso Symboli textu inveniret, ipsaque *sobornost* ex notis verae Ecclesiae una evaderet ... In altera tantum Nicaeno-Constantinopolitani versione (slavica), quae saeculo XIV non videtur antiquior, primum apparet vox sobornaiia; quae utique, etymo seposito, reddenda est per καθολική *catholica,* non vero per *synodalis* vel *conciliaris,* ut etymon postularet » Jugie.

Khomiakov induxit profundiorem quandam innovationem in conceptu catholicitatis. Ecclesia apud ipsum est catholica quia est *omnimoda unitas in multitudine* et multitudo in unitate, quaedam fere species *communismi spiritualis* vi cuius singula membra caritate devincta omnia bona omnesque Ecclesiae praerogativas participant. Reiicienda ergo foret vulgata distinctio in Ecclesiam docentem et discentem, eo quod communitas ecclesiastica sit demum subiectum infallibilitatis. Apud Iugie.

Donatistae praecesserant in neganda catholicitate facti, etiam morali, secundum notam eorum sententiam: « in paucis frequenter veritas; errare multorum est ». Cfr. Augustinum contra Cresconium 3, 75.

Simultaneam catholicitatem non requirunt *Bellarminus, Cano* et *Driedo,* quibus videtur sufficere catholicitas moralis *successiva,* qua Ecclesia ad unam tantum regionem restringi possit, modo constet eandem illam esse, quae magnam ante diffusionem obtinuit aliquo tempore vel diversis temporibus. — De nova quadam sententia recenter proposita a Poulpiquet inferius agemus.

Qualitas theseos. a) Catholicitas iuris et facti *moralis* est certissima; *b)* Catholicitas moralis *simultanea* et *perpetua* est doctrina communis theologorum, et videtur moraliter certa; *c)* Catholicitas *perpetua* num sit intelligenda sensu physico, an moralis, difficulter determinatur. Videtur sufficere perpetuitas *moralis.*

Probatur thesis

Primo quidem *catholicitas iuris* evidenter constat ex S. Mt. 28, 19-20. Ubi Christus iubet apostolos docere *omnes gentes,* et promittit auxilium efficax usque ad finem mundi duraturum. Hinc Ecclesia habet ius, officium, aptitudinem et exigentiam diffundendi se per totum mundum. Huc spectant quae superius disputavimus de universalismo evangelico.

Catholicitas facti probatur triplici argumento biblico:

Probatur primo ex Genesi. Etenim semen spirituale Abrahae est vere catholicum. Atqui hoc semen Abrahae est Ecclesia Christi. Ergo vera Christi Ecclesia est catholica.

Ad maiorem: Ex Genesi 28, 14: « Eritque semen tuum quasi pulvis terrae; dilataberis ad Occidentem et Orientem, et Septentrionem, et Meridiem; et benedicentur in te et in semine tuo cunctae tribus terrae ». Ubi recurrit triplex catholicitatis elementum: unitas, diffusio geographica, diffusio numerica.

Ad minorem: Semen Abrahae est Christus mysticus. Atqui Christus mysticus est Ecclesia Christi. Ergo semen Abrahae est Ecclesia Christi. Maior constat ex epistula Pauli ad Gal. 3, 16: « Abrahae dictae sunt promisisones, et semini eius. Non dicit in seminibus quasi in multis, sed quasi in uno; et semini tuo, qui est Christus ». Hic porro Christus non est Christus singularis, sed mysticus, ut apparet ex v. 27. « Quicumque in Christum baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudaeus et Graecus; non est servus, neque liber; non est masculus, neque faemina. Omnes enim vos unus estis in Christo Iesu. Si autem vos Christi, ergo semen Abrahae estis, secundum promissionem heredes ». Ergo semen Abrahae est Christus mysticus. Christus porro mysticus est Ecclesia Christi, ut apparet ex epistula Pauli ad Ephes. 1, 22-23: « Et omnia subiecit sub pedibus eius: et ipsum dedit caput super omnia Ecclesiae, quae est corpus ipsius, et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur ». Ecclesia ergo constituitur Christo capite et fidelibus baptizatis Christo capiti incorporatis. Christus porro cum fidelibus sibi incorporatis est Christus mysticus.

Probatur secundo ex Psalmis et Prophetis: Vera Christi Ec-

clesia est Regnum messianicum a Prophetis vaticinatum. Atqui hoc regnum messianicum est vere et de facto catholicum. Ergo vera Christi Ecclesia est catholica.

Ad maiorem: Regnum messianicum a Prophetis vaticinatum est regnum a Christo Messia hisce in terris erigendum. Atqui Christus hisce in terris nullum aliud regnum erexit praeter regnum ecclesiasticum et Petrinum. Ergo regnum messianicum, a Prophetis vaticinatum, est vera Christi Ecclesia.

Ad minorem: Catholicitas regni messiani demonstratur multifariam multisque modis.

Regnum messianicum est domus Domini, collocata in vertice montium, ad quam *fluent omnes gentes,* ut edoceantur vias Dei. Is. 2, 2.

Regnum Messianicum habitat in tentorio, cuius locus debet dilatari, pelles extendi, funiculi elongari, clavi consolidari, quia *ad dextram et sinistram debet penetrare, et omnes gentes hereditare.* Is. 54, 2-3.

Regnum Messianicum est nova Hierusalem, ad quam congregabuntur omnes gentes et non ambulabunt post pravitatem sui cordis pessimi. Hierem. 3, 17.

Regnum Messianicum est surculus cedrinus, a Domino plantatus in monte Israel, erumpens in germen, et *crescens in cedrum magnam* in qua habitabunt et nidificabunt *omnes volucres* et universum volatile. Ezeq. 17, 23.

Regnum Messianicum est lapis abscissus de monte sine manibus, percutiens statuam et crescens in *montem magnum cooperientem universam terram* Dan. 2, 34 sq.

Regnum Messianicum est regnum religiosum, in quo *omnes gentes in omni loco* sacrificabunt et offerent Numini divino oblationem mundam. Malach. 1, 10 sq.

Regnum Messianicum est regnum erigendum a Messia, cui Pater dabit gentes hereditatem suam, et possessionem suam *terminos terrae.* Ps. 2, 8.

Regnum Messianicum est regnum Messiae, cuius potestas extendetur a mari ad mare, a flumine *usque ad terminos orbis terrae.* Ps. 71.

Conclusio: Ergo Regnum Messianicum a Prophetis vaticinatum est vere catholicum.

Probatur tertio ex Novo Testamento. Quinque textus veniunt potissimum considerandi et ordinandi:

1° Christus apud Mt. 24, 14 praedicit evangelium Regni praedicandum *in toto orbe, in testimonium omnibus gentibus.*

2° Christus apud Luc. 24, 46-47 determinat ordinem huius praedicationis: *a Hierusalem in omnes gentes.*

3° Idem ordo successivus reperitur apud Luc. in Act. Ap. 1, 8: Eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudaea, et Samaria, et *usque ad ultimum terrae.*

4° Christus in parabola de grano synapis (Mt. 13, 31) annuntiat extensionem Regni Dei, initio parvam, in fine oecumenicam.

5° Christus apud Io. 12, 32 annuntiat tractionem universalem a semetipso perficiendam per mortem crucis et fundationem suae Ecclesiae.

Conclusio: Christus ergo annuntiat Regnum messianicum, quod est Ecclesia, praedicandum in toto orbe, dilatandum per omnem terram, dilatatione, quae primum erit parva et Hierosolymitana, dein Samaritana, demum universalis et oecumenica.

Patet in his omnibus praedicari catholicitatem:

Facti seu actualem: nam semen Abrahae de facto *dilatabitur* ad orientem et occidentem, ad septentrionem et meridiem: Deus *revera dabit* Christo omnes gentes: — *Convertentur* reapse ad Christum universae cognationes terrae, etc. ...

Simultaneam: Etenim, ut bene observat *De San,* dilatatio illa Ecclesiae ad orientem et occidentem, ad septentrionem et meridiem; magna illa ecclesiae diffusio et ingens illa eius dominatio *a mari usque ad mare,* et a flumine usque ad terminos terrae; — congregatio illa gentium in Ecclesiam in tanta multitudine, ut ad eam capiendam necesse sit spatium, quod occupat Ecclesia, dilatari; assimilatio illa *monti cooperienti universam terram, haec,* inquam, et alia similia sonant sine dubio catholicitatem simultaneam.

Perpetuam. Nam psalmi, prophetae et generatim omnia oracula loquuntur de universali diffusione regni messiani sine ulla limitatione temporis. Debet ergo intelligi universalitas ut character inhaerens saltem moraliter regno messiano, quamdiu sit tale regnum. Atqui regnum hoc erit perpetuum. Ergo ... Ceterum catholicitas perpetua magis clarescit ex argumento traditionis.

Probatur quarto ex Traditione.

Patres decertantes pro catholicitate longa serie proferri possent. Seligo pauca, quae ad probandam catholicitatem simultaneam et perpetuam sufficere possint.

Basilius (in epist. ad Evaesenos). « Ipsum orbem inspicite, et videte modicam esse portionem, quae morbo (ariano) laborat, reliquam vero universam ecclesiam, quae ab orbis finibus usque ad fines evangelium recepit, sanam hanc et rectam doctrinam sectari, a cuius communione petimus non excidere et vobis simul oramus ut non excidatis ».

Optatus Milevitanus (contra Parmenianum donatistam): « Ergo ut in particula Africae, in angulo parvae regionis, apud vos possit esse Ecclesia; apud nos in alia parte Africae non erit? Si apud vos tantummodo esse vultis; in tribus Pannoniis, in Dacia, Moecia, Thracia, Achacia, Macedonia, et in tota Graecia, ubi vos non estis, non erit ... Et per tot innumerabiles et exteras provincias, quae numerari vix possunt, ubi vos non estis, non erit? *Ubi ergo erit proprietas catholici nominis,* cum inde sit dicta catholica, quod sit rationabilis et ubique diffusa?

Cyrillus Hierosol. (Catech. 18, 23 et 26): « Catholica enim vero vocatur (ecclesia), eo quod per totum orbem ab extremis terrae finibus ad extremos usque fines diffusa est ... Et si quando peregrinatus fueris in civitatibus, ne simpliciter requiras ubi sit dominicum; nam et caeterae impiorum sectae atque haereses suas ipsorum speluncas dominicorum nomine honestare nituntur; neque ubi sit simpliciter ecclesia, sed ubi sit catholica ecclesia; *hoc enim proprium nomen est* huius sanctae et matris omnium nostrorum ».

Pacianus (Epist. 1ª): Christianus mihi nomen est, catholicus vero cognomen; illud me nuncupat, *istud ostendit, hoc probor*, inde significor Quare ab haeretico nomine noster populus hac appellatione dividitur, cum catholicus nuncupatur ».

Augustinus (in epist. ad Vincentium): « Acutum aliquid videris dicere, cum catholicae nomen non ex totius orbis communione interpretaris, sed ex observatione praeceptorum omnium divinorum, atque omnium sacramentorum, quasi nos... huius nominis testimonio nitimur ad demonstrandam ecclesiam in omnibus gentibus, et non promissis Dei et tam multis tamque manifestis oraculis ipsius veritatis ». — (De vera religione, c. 7, n. 12): « Tenenda nobis est christiana religio, et eius ecclesiae communicatio, quae catholica est, et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim ipsi quoque haeretici, et schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur ». — Similiter (Tract. 3° in epist. Ioan.): « Tenemus hereditatem Christi, illi (Donatistae) non tenent. Non enim communicant orbi terrarum, non communicant universitati redemptae sanguine Christi ».

Vides omnia haec testimonia et argumenta obviam habere responsionem, nisi intelligantur de catholicitate simultanea et perpetua. Suponunt ergo Patres *hanc catholicitatem* esse essentialem Ecclesiae proprietatem.

Obiectiones solvuntur

1. (Contra unitatem Ecclesiae): Ibi est Ecclesia, ubi adest Christus cum suo efficaci auxilio. Atqui ubi sunt duo vel tres congregati *in nomine Christi*, ibi est Christus in medio eorum (Mt. 18, 20). Ergo ad veram Ecclesiae unitatem sufficit interna quaedam animorum conspiratio, nec requiritur maior aliqua et strictior unitas socialis.

Resp. Dist. min. Christus adest cum suo efficaci auxilio, ubi adsunt christiani congregati in nomine eius, hinc *servantes communionem cum collegio apostolico*, C.; ubi sint christiani aliter congregati, N. Christus ait:

« Iterum dico *vobis*, quia si duo *ex vobis* (i. e. ex apostolis horumque discipulis magisterio et imperio apostolico vere subiectis), consenserint super terram, de omni re quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo » (18, 19). « Unanimitatem prius posuit, concordiam pacis ante praemisit ». Cyprianus, *de Unitate Ecclesiae*, 12.

2. Sed unitas Ecclesiae videtur esse mere interna et spiritualis. « Etenim *in uno Spiritu* omnes nos *in unum corpus baptizati* sumus, sive iudaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi: et omnes *in uno Spiritu* potati sumus » (I. Cor. 12, 13). Ergo principium unitatis ecclesiasticae non est aliqua auctoritas socialis, cui omnes christiani submittantur oportet, sed unus idemque Spiritus S. omnes baptizatos vegetans.

Resp. Dist. conseq. Principium *imparticipatum et invisibile* unitatis, C.; *visibile*, N.

3. *Instabis*: At principium visibile unitatis ecclesiasticae nullum videtur a Paulo agnosci praeter eucharisticum: nam « *quoniam* unus panis, unum corpus multi sumus omnes *enim* (in textu graeco) de uno pane participamus » (I Cor. 10, 17). Ergo ratio vere unitiva fidelium in uno corpore ecclesiastico tandem desumitur ex unitate panis eucharistici: hinc ad veram Ecclesiae unitatem sufficit ad mentem Pauli communio fidelium in eodem pane eucharistico.

Resp. Dist. conseq. Ergo ratio *adaequata* unitatis ecclesiasticae est unitas cibi eucharistici, N.; ratio *inadaequata*, subd. ita ut hic cibus eucharisticus sit *administrandus a collegio apostolico*, et recipiendus ad vitam ab his qui servant communionem cum legitimo ministerio apostolico, C.; aliter, N. Teste Paulo unitas vitalis corporis ecclesiastici derivatur ab eo, « qui est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum *per omnem iuncturam subministrationis...* ». Ephes. 4, 15 seq. Ideo « ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores, in aedificationem corporis Christi... donec occuramus omnes *in unitatem fidei...* ». Vides ergo principia illa unitatis invisibilia et supernaturalia nullatenus excludere alia principia visibilia et socialia.

4. Sed nonne catholici ipsi admittunt discrimen inter dogmata revelata quorum alia sint vere fundamentalia et fide explicita credenda, alia vero minus fundamentalia? Ergo tandem videmur incidere in doctrinam protestanticam de articulis fundamentalibus.

Resp. Dist. antec. Doctores catholici admittunt hoc discrimen, quatenus non omnia revelata sunt eiusdem momenti spectata materia quam continent, hinc et fide *explicita* quam requirunt, C.; quatenus possit citra

haeresim negari vel una qualiscumque veritas revelata et a magisterio ecclesiastico definita, N.

5. Saltem hodie tenemus fide divina aliqua dogmata, quae primis ecclesiae temporibus non sunt credita, imo aperte sunt negata. Ergo...

Resp. Dist. antec. Hodie tenemus fide divina aliqua dogmata, quae primitus non sunt credita fide *explicita*, C., quae non sunt credita nec fide *implicita*, N. *Dices*: sed nonne aliqua ex his sunt etiam negata in Ecclesia. Quomodo ergo implicite credita? *Resp.* Sunt negata ab omnibus, N.; ab aliquibus doctoribus, subd. antequam essent definita a magisterio ecclesiastico, C.; postquam sunt definita, iterum dist. sunt negata *intra* unitatem ecclesiasticam N.; *citra* hanc unitatem, C.

6. At sententia probabilis admittit haerecticos internos esse membra Ecclesiae. Atqui haeretici non habent fidem communem cum orthodoxis. Ergo unitas fidei internae non videtur esse proprietas Ecclesiae.

Resp. Transmissa maiori, dist. conseq.: *Unitas fidei internae non* necessario pertinet *ad ipsum corpus Ecclesiae*, N.: ad singulos fideles tamquam necessaria membri conditio, Trans. Corpus ecclesiasticum nequit constare meris hypocritis. Utrum alterumve hypocritam latere in corpore Ecclesiae, non repugnat.

7. Saltem Cyprianus concedit libertatem dissentiendi in rebus etiam revelatis intra unitatem ecclesiasticam, ut videre est ex his quae protuit in Conc. Carthag. III: « Singuli, quid sentiamus, proferamus, neminem iudicantes aut a *iure communicationis aliquem, si diversum senserit, amoventes* ». Ergo...

Resp. Dist. antec. eodem modo: Cyprianus concessit hanc libertatem dissentiendi in re obscura et nondum definita ab Ecclesia. C.; in re revelata et a magisterio ecclesiastico penitus eliquata et decisa, N. « Nec nos, ait Augustinus, aliquid auderemus asserere, nisi universae ecclesiae concordissima auctoritate firmati; cui *et ipse Cyprianus sine dubio cederet*, si iam illo tempore quaestionis huius veritas eliquata et declarata per plenarium concilium solidaretur », (de bapt. II, 5).

8. Saltem practice Cyprianus negavit ut necessariam unitatem regiminis; siquidem illam libertatem sentiendi imo et agendi retinuit etiam post acceptum responsum romanum: « Nihil innovetur nisi quod traditum est ». Ergo...

Resp. Cyprianus sincere putabat Stephanum errare in hac materia de haereticis non rebaptizandis; ideo conabatur, quantum poterat, eum revincere ut ipsum in doctrinam et in praxim contrariam traheret. Qua in re videtur veros oboedientiae et submissionis limites exorbitasse. Nec tamen ideo putandus est deflexisse a vera *doctrina* de unitate Ecclesiae, quam ille con-

stanter *docuit* esse servandam in communione cum episcopatu et maxime cum cathedra Petri.

9. (Contra catholicitatem). Proprietas Ecclesiae essentialis nequit ab ea separari. Atqui catholicitas actualis initio defuit Ecclesiae. Ergo...

Resp. Dist. min. Defuit initio Ecclesiae catholicitas *iuris*, N.; *facti*, subd. aliqua quae *tunc* ei foret essentialis, N.; quae tunc nondum erat essentialis, C. Ad rem *Pacianus*: « Sub apostolis, inquies, nemo catholicus vocabatur. Esto sic fuerit, vel illud indulge. Cum post apostolos haereses extitissent diversisque nominibus columbam Dei atque reginam lacerare per partes et scindere niterentur, nonne *cognomen suum* plebs apostolica postulabat, quo incorrupti populi distingueret unitatem, ne intemeratam Dei virginem error aliquorum per membra laceraret? Nonne *appellatione propria* decuit marcionitas, cum appolinariacos, cataphrygas, novatianos, et ceteros eiusmodi comperissem, qui se christianos vocarent: quo *cognomine* congregationem meae plebis agnoscerem, *nisi catholica diceretur?* » epist. 1 ad Sympronian, n. 3.

10. Sed in fine etiam mundi deerit catholicitas, ut patet ex Lc. 18, 8: « Verumtamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra? ». Atqui catholicitas supponit unitatem fidei. Ergo...

Resp. Dist. maior. In fine mundi deficiet in multis fides *viva*, C.; fides *omnis* ita ut vera adsit omnium vel plerorumque apostasia, p. probat. Sane « tunc scandalizabuntur multi... et multi pseudiprophetae surgent, et seducent multos. Et quoniam abundabit iniquitas, *refrigescet charitas multorum* » (Mt. 24, 10-12). Quod si in fine mundi reapse talis foret apostasia in plerisque (?), oporteret catholicitatem sic concipere, ut pro stadio immediate et proxime praecedenti consummationem saeculi, sit illa intelligenda valde restricta. Ceterum difficultas respicit finem mundi, non trans-saecularem Ecclesiae existentiam, de qua nos maxime loquimur in thesi.

11. At Christus vocat Ecclesiam «pusillum gregem » (Lc. 12, 32). Ergo catholicitas ante finem quoque mundi restringenda videtur.

Resp. Dist. antec. Christus Ecclesiam vocat pusillum gregem spectatis discipulis, quibus *tunc* sermonem dirigebat, C.; spectata multitudine mox aggreganda, subdist.: potest adhuc Ecclesia vocari pusillus grex *ratione humilitatis*, qua Christus vult eam crescere inter superbos inimicos, C.; *ratione extensionis* numericae et geograficae, qua grex Christi semper esset futurus pusillus, N.

12. Sed Ecclesia videtur semper mensura pusilla. Siquidem « multi sunt vocati, pauci vero electi » (Mt. 20, 16). Sed nemo nisi electus potest venire ad Ecclesiam. Ergo...

Resp. Dist. maior. Pauci sunt electi ad Ecclesiam, N.; ad speciale praemium optimorum operariorum, subdist.: relate ad omnes, quibus evangelium offertur, C.; absolute, N. cfr. contextum.

13. Sed quod nimis probat nihil probat. Atqui textus allati maxime ex A. T. nimis probant; inde enim sequetur admittendam esse catholicitatem *physicam*, quam tamen reicimus. Ergo...

Res. Negatur minor. Ad cuius probationem respondetur cum distinstione: Hoc sequeretur ex aliquibus textibus *singillatim* spectatis, trans.; ex textibus *omnibus harmonice intellectis,* N.

Scholion I. *De ulteriori quadam catholicitatis determinatione.*

a) Catholicitas Ecclesiae est essentialiter *progressiva,* ita quidem ut parva initia habens, et quidem in Iudaea, tendat ad subiugandas omnes gentes. Quo posito iure quaeritur *quandonam* Ecclesia reapse inceperit habere *catholicitatem facti* seu actualem. Variae sententiae circumferuntur: *Murray* opinatur hanc catholicitatem locum habuisse *iam tempore Apostolorum. Bellarminus et Suarez* eam adscribunt *saec.* 2°. *Hurter* seligit *saeculum tertium. Wilmers* proclamat Ecclesiam adultam *sub Constantino. Mendive* non audet Ecclesiam dicere « simpliciter » catholicam (de facto) usque ad *tempora Augustini.* Mira haec sententiarum varietas ostendit in ipso conceptu catholicitatis *moralis* latere aliquid indeterminati et relativi, quod efficaciae demonstrationis catholicae ceteroquin officere nullatenus potest, ut infra apparebit. Ecclesia vocatur iam *catholica* a S. Ignatio A., ep. ad smyrn. c. 8 (Funk I, p. 283). Martyrium S. Polycarpi, c. 8 (ibid. p. 321, 322) loquitur de ecclesia « catholica per orbem terrarum ». Irenaeus *unitatem catholicam* saepe et fortiter premit contra Gnosticos. Aliis vero missis, Optatus M. et Augustinus *nota catholicitatis* fidenter utuntur ad probandam veritatem Ecclesiae Romanae contra Donatistas. Spectato fine nostro apologetico in controversia contra Orientales separatos et Protestantes, tota haec quaestio minoris est momenti.

b) Ostendimus catholicitatem Ecclesiae *absolutam.* At quaeritur ulterius num sit *etiam relativa,* i. e. utrum catholicitas Ec-

clesiae, spectata extensione numerica *et* geographica, sit necessario maior extensione cuiuslibet sectae christianae singillatim sumptae. Controvertitur apud Auctores. Primi subselii doctores affirmativam sententiam fidi tuentur: sic Stapleton, Suarez, Billuart, Murray, Hurter, Wilmers, Mazzella, Mendive Billot, Lercher, Straub, alii. Totam argumentationem large et nervose propositam reperies apud van Laak, Repetitorium (1911) p. 254 sq.

c) Similis quaestio recurrit quoad catholicitatem *perpetuam*. Multi auctores sumunt hanc perpetuitatem sensu *physico* absque ulla prorsus possibili interruptione. Sed probatio huius talis catholicitatis difficultate non caret; hinc praeferenda nobis videtur alia sententia quae praefatam perpetuitatem intelligit *moralem*, talem nempe quae momentaneos quosdam hiatus permitat. Nihil inde offici demonstrationi apologeticae suo loco ostendemus.

d) Utile demum erit notare *diversitatem nomenclaturae* apud auctores: Aliqui auctores distinguunt catholicitatem iuris, virtutis, facti. Nos cum multis aliis catholicitatem virtutis includimus in catholicitate iuris. — Item voces « materiale » et « formale » in notione catholicitatis diversimode sumuntur.

Scholion II. (*dogmaticum*)

I. *De unitate Ecclesiae*: *a*) Unitas Ecclesiae generatim docetur et ut obiectum fidei proponitur in Symbolo: « Credo unam, sanctam ... ecclesiam »: *b*) Haec unitas magis determinatur in Bulla « Unam sanctam » Bonifacii VIII (DB. n. 468): « Unam sanctam Ecclesiam ... urgente fide credere cogimus et tenere ... Hanc autem veneramur et unicam, dicente Domino in Propheta: « Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam ». Pro anima enim id est pro se ipso capite simul oravit (Christus) et corpore, quod corpus unicam scl. Ecclesiam nominavit, propter sponsi, *fidei, sacramentorum et caritatis* Ecclesiae unitatem Igitur Ecclesiae unius et unicae *unum corpus, unum caput,* non duo capita ... Christus videlicet et Christi vicarius Petrus, Petrique successor ». Intelligitur ergo *unitas fidei sacramen-*

torum et regiminis: a) *Pius IX* expresse damnavit theoriam ramorum. Cfr. DB. n. 1685 sq. ubi post descriptam et damnatam theoriam supra dictam concludit S. Pontifex: « Ecclesia igitur catholica una est unitate conspicua perfectaque orbis terrae et omnium gentium, *ea profecto unitate cuius principium,* radix et origo indefectibilis *est beati Petri* Apostolorum Principis, eiusque in Cathedra Romana successorum *suprema auctoritas* et potior principalitas. Nec alia est Ecclesia catholica nisi quae super unum Petrum aedificata in unum connexum corpus atque compactum unitate *fidei et caritatis assurgit* »: *a*) *Explicita definitio* parata erat in Concilio Vaticano: « Si quis dixerit veram Ecclesiam non esse unum in se corpus, sed ex variis dissitisque christiani nominis societatibus constare per easque diffusam esse; aut varias societates ad invicem fidei professione dissidentes atque communione seiunctas, tamquam membra vel partes unam et universalem constituere Christi Ecclesiam, A. S. ». Cfr. Coll. Lac. VII, 577. 569: *e*) *Leo XIII* in Encyclica « Satis cognitum » triplicem unitatem fidei regiminis et communionis magnifice describit. Cf. DB. n. 1954 sq.: *f*) *Pius IX* totam doctrinam confirmat et explicat in Encycl. « Mortalium animos ». Cfr. A-AS. 1928. Tota ergo thesis potest dici *proxime definibilis,* imo *de fide catholica* ex ordinario Ecclesiae magisterio. Accedit demum Encyclica « Mystici Corporis », AAS. XXXV, p. 203.

II. *De Catholicitate Ecclesiae*: *a*) Ecclesiam esse catholicam fide profitemur in symbolo CP.: *b*) *Unitas catholica* docetur a Concilio Vaticano (DB. n. 1794), ibique exhibetur ut *perpetuum* motivum credibilitatis: *c*) Catholicitas *perpetua et simultanea* nullibi expresse docetur ab Ecclesia, sed ea videtur iugiter supponi in laudatis documentis. Ceterum, si argumenta *biblica,* a nobis allata, sunt efficacia, haec quoque catholicitas dicenda esset *de fide divina.*

Notae bibliographicae

Ad ipsam thesim: *D'Herbigny,* o. c. v. II, n. 226-236; 244-254; *Dorsch,* o. c., 558-582; 953-607; *Wilmers,* o. c., n. 291-295; 325-334; *De San.* o. c., n. 110-124; 142-158; *De Guibert,* o. c., n. 110 sq.; *Murray,* De Ecclesia, I p. 369 sq.

De unitate Ecclesiae: *S. Hurtevent,* L'Unité de L'Église du Christ (1930); *Thils,* Les notes de l'Église... 1937, p. 154-211; *Congar,* Chrétiens désunis, 1937, ch. II, p. 59-113; I. *Moehler,* Die Enheit in der Kirche... *caute legendum*. Datur versio gallica praeparata a A. *Lilienfeld,* L'Unité dans L'Église... Occasione memoriae centenariae *Moehler* recenter editus est a P. *Chaillet* liber sub titutlo: *L'Église est Une,* 1939. Ubi amplam et utilem materiam circa unitatem Ecclesiae reperies. Prima pars considerat «Le problème de l'unité»: *Sertillanges,* Religion et Universalité, p. 21-32; K. *Adam,* Le Mystère de l'Église, p. 33-52: Altera pars gerit titulum: Moehler et l'Unité de l'Église: G. *Goyau,* Joyeux effort d'une vie vers l'Unité, p. 55-60; G. *Bardy,* La voix des Pères, p. 61-81; K. *Bihlmeyer,* L'Histoire, p. 82-101; J. *Ranft,* La tradition vivant. Unité et developpement, p. 102-126; I.-R. *Geiselmann,* Les aspects divers de l'Unité et de l'Amour, p. 127-193; P. *Chaillet,* Le principe mystique de l'Unité, p. 194-220; S. *Lösch,* L'Organisation visible de l'Unité, p. 233; J. de *Montcheuil,* La liberté et la diversité dans l'Unité, p. 234-254; M.-I. *Congar,* L'héresie, déchirement de l'Unité, p. 255-269; S. *Tyszkiewicz,* La theologie moehlérienne de l'Unité et les théologiens pravoslaves, p. 270-294. Tertiae partis titulus est: «Les exigences de l'Unité»: M. *Pribilla,* Les voies de l'Unité, p. 309-331; I. A. *Iungmann,* L'Église dans la vie religieuse d'aujourd'hui, p. 332-348. — Multa quoque utilia invenies in «Settimane Sociali d'Italia», XV, 1928: *La vera Unità religiosa*: Articuli principales: L. *Tondelli,* Il concetto dell'unità della Chiesa nel Vangelo e in S. Paolo, p. 105-127; A. *Oddone,* Il vero concetto di Unità religiosa nella Tradizione, p. 129-148; A. *Masnovo,* L'Unità delle menti nella Chiesa di Cristo, p. 149-167; E.-M. *Vismara,* L'Unione dei cuori, p. 169-195; L. *Necchi,* L'Unico Pastore: Il Papa, p. 197-213.

De catholicitate Ecclesiae: M.-I. *Congar,* Chrétiens désunis, p. 115-148; *Thils,* La notion de catholicité de l'Église dans la théologie moderne in Ephemerides Theologicae Lovanienses, XIII (1936), p. 5-37; *Idem in* «Les Notes de l'Église..., p. 212-254; A. *de Poulpiquet,* La notion de catholicité in Revue des Sciences philosophiques et théologiques (1909), p. 17-36; A. *Göpfert,* Die Katholizität der Kirche... 1876; R. *Söder,* Der Begriff der Katholizität der Kirche und des Glaubens nach seiner geschichtlichen Entwicklung, 1881; A. *Garcíadiego,* S. I., Katholiké Ekklesía, Mexico, 1953.

THESIS XII

Vera Christi Ecclesia est successione etiam formali apostolica: active et passive sancta.

Ipsa thesis enuntiatio clare distinguit duas eiusdem partes. Prima tuetur *apostolicitatem* Ecclesiae; altera explicat ipsius *sanctitatem*.

I

De apostolicitate Ecclesiae

Praenotanda

Ecclesia potest dici apostolica origine, doctrina, successione.

Apostolicitas originis consistit in eo, quod Ecclesia, quae nunc est, *eadem* sit cum illa quam Christus in Apostolis et per Apostolos fundavit. Identitas intelligitur non mere specifica, sed numerica seu individua. Ad hanc non sufficit identitas capitis et Spiritus, sed requiritur identitas quoque corporis mystici et ecclesiastici. Haec porro corporis numerica identitas implicat perseverantiam omnium elementorum *essentialium* quae Christus instituit; oportet ergo ut eadem sit doctrina, eadem sacramenta, idem sacrificium, eaedem potestates sacrae seu hierarchicae, eadem demum structura seu constitutio socialis.

Apostolicitas doctrinae stat in hoc, quod Ecclesia doceat ac profiteatur eandem doctrinam, quam Apostoli docuerunt sive scriptis inspiratis, sive orali ac insonanti praedicatione. Huic identitati minime obstat progressus sic dictus dogmaticus, cuius natura et indoles alibi describitur; ceterum supponit haec identitas revelationem *publicam* clausam tempore apostolico.

Apostolicitas successionis seu regiminis in eo posita est, quod Ecclesia iis semper rectoribus gubernetur, qui sint veri Apostolorum successores. Porro successio potest esse mere materialis, vel formalis. Apostolicitas *mere materialis* importat solum factum successionis continuae nude sumptum. Ad hoc vero sufficit ut in aliqua

Ecclesia apostolicae olim originis (saltem mediatae) adsint episcopi *valide ardinati,* serie non interrupta aliis succedentes, quamvis a certo quodam tempore legitima missio, hinc et iurisdictio, defecerit. Successio erit *formalis* si ad materialem addiderit *legitimam missionem* et consequenter veram iurisdictionem et authenticum magisterium. Haec ut facilius intelligas, advertas Christum instituisse in Collegio apostolico sacrum ministerium, magisterium et imperium, quam triplicem potestatem continuatam voluit usque ad consummationem saeculorum. Potestas porro ordinis transmittitur *sacramentaliter* i. e. ritu sacro ordinationis. Potestas vero iurisdictionis et magisterii transmittitur per *legitimam missionem.* Sane missio legitima nonnisi in vera Christi Ecclesia dari potest; consecratio vero valida fieri potest extra Ecclesiam veram, puta si fiat ab episcopo, qui legitime olim in Ecclesia ordinatus, sive per haeresim notoriam, sive per schisma ab ea se separavit.

Criteria legitimae missionis si quaeris, distinguas duplicem hypothesim primatus vel inclusi vel exclusi a via notarum.

a) *Si supponis primatum,* habes probationem facilem compendio veritatis. Missio erit legitima, si fiat intra communionem cum cathedra Petri « e qua venerandae communionis iura dimanant » (Ambrosius). Hoc est *criterium primarium,* nostris maioribus familiare ac consuetum.

b) *Si praescindis a primatu,* habes probationem thesi praecedenti innixam. Missio nempe erit legitima, si fiat *intra unitatem catholicam,* quam Christus voluit ac praedixit perennem Ecclesiae suae proprietatem.

c) Ergo missio erit illegitima si fiat: *vel* extra communionem cum sede Petri; *vel* extra unitatem *socialem;* vel extra unitem *catholicam.*

d) Novum ac facile criterium dabit ipsa origo schismatis vel separationis attente considerata, quippe in qua punctum rupturae cruentum obtegi vix poterit.

Apostolicitas successionis formalis adhuc duplex distinguitur: *directa* nempe seu immediata, et *indirecta* seu mediata. Directa habetur, quando series pastorum legitimorum sine interruptione ascendit usque ad aliquem Apostolum, tamquam ad primum illius ecclesiae episcopum. Habes huius apostolicitatis exemplum illustre

in ecclesia Romana, quae Petrum habuit fundatorem nec seriem pastorum interrupit usque ad nostrum Pium XII^{um}. Indirecta est apostolicitas ubi ecclesia non est fundata ab aliquo apostolo, sed ab alio aliquo legitimo Apostoli successore: cogita ecclesias americanas remotioris insertionis in truncum apostolicum

Si tres apostolicitates initio commemoratae ad invicem comparentur, apparet: apostolicitatem *originis* includere in suo conceptu apostolicitatem quum doctrinae, tum regiminis; — apostolicitatem *regiminis* implicare *formaliter* ipsam potestatem sacram, quae ex culmine sanctae et individuae Trinitatis descendit in Christum, et inde defluit ad Apostolos eorumque legitimos successores; at haec apostolicitas infert *consequenter* duas alias apostolicitates. Perseverantia namque ministerii, magisterii (infallibilis) et imperii necessario supponit vel infert perennem in Ecclesia perseverantiam doctrinae, sacramentorum, sacrificii, potestatis et constitutionis socialis primaevae. Vides iam quare in thesi explicite agatur *tantum* de apostolicitate successionis apostolicae.

Positio adversaria

Protestantes Lutherani et Reformatores: *a*) apostolicitatem *regiminis* reiiciunt, quia non admittunt regimen *iuridicum* a Christo in Apostolis fundatum in posteros successione (formali) transmittendum; — apostolicitatem *doctrinae* admittunt, imo et premunt, non tamen doctrinae *totalis,* sed restrictae ad quosdam articulos fundamentales; — apostolicitatem *originis* quod attinet, vides genuinum et adaequatum eius sensum enervari ac deturpari in ecclesiologia Protestantica. *b*) Reiecta ergo via *successionis,* statuitur via *electionis* democratice instituendae pro his qui singulas communitates locales debent gubernare; ipsam viam electionis complere student per recursum ad *missionem extraordinariam.* Sic *Confessio Gallicana* decernit: «Nemo debet se ingerere propria auctoritate ad gubernandam Ecclesiam, sed ... hoc debet fieri *electione,* in quantum possibile est et Deus permittit. Quae exceptio ideo additur imprimis, quia aliquando et etiam diebus nostris, in quibus status Ecclesiae interruptus erat, necesse fuit ut Deus su-

scitaret homines *modo extraordinario* ad restaurandam Ecclesiam » K. Müller, o. c., p. 229.

c) Difficultas probandi missionem divinam extraordinariam ansam dabat novae cuidam et singulari theoriae, secundum quam Ecclesia haeretica et idololatrica (qualis erat Romana) poterat legitime vocare ministrum, qui vicissim posset posthac Ecclesiae mittentis abusus denuntiare, ei resistere, ab ea demum se separare. Sic *Du Moulin*: « les premiers réformateurs, ayant reçu dans l'Eglise romaine la puissance et le caractère de la prêtrise et ayant ensuite reconnu les erreurs et les abus de cette Eglise qui les avait ordonnées, ont pu s'elever contre ces abus; et qu'ayant été excommuniés par elle sur cet sujet, ils ont pu excommunier elle-même, se séparer, et se maintenir malgré elle dans le charge de pasteurs, parce qu'elle n'avait pas le pouvoir de leur ôter ». Apud *Nicole,* Préjugés legitimes, p. 124 sq.

Orientales quod attinet: *a*) Graeco-Russi universim admittunt Ecclesiam apostolicam origine, doctrina, successione; nisi quod legitimitas successionis explicatur non tam per missionem canonicam, quam per χειροτονίαν seu validam consecrationem per episcopos orthodoxos.

b) Ceterum tres typos seu classes definitionis apud theologos Orientales exhibet *Iugie* o. c. p. 574 sq. Alii solam apostolicitatem *doctrinae* commemorant. Sic *Plato Levkhin* in Christianae theologiae compendio: « Ecclesia vocata est *apostolica,* quia integram custodit scriptam et non scriptam verbo traditam doctrinam apostolorum necnon prophetarum, quibus apostoli consentiunt teste apostolo Paulo, qui dicit veros christianos superaedificatos esse super fundamentum apostolorum et prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu ». — Alii notant tantummodo fundationem vel diffusionem ab Apostolis: Sic Simeon Thessalonicensis. Alii premunt etiam apostolicitatem *successionis* non interruptae per communicationem charismatum sacerdotii. Sic *Philaretus* in Catechismo maiori: « Ecclesia vocatur *apostolica,* quod sine interruptione et mutatione ex apostolis servat et doctrinam et hereditatem donorum Spiritus Sancti per sacerdotalem ordinationem. Sub hoc respectu Ecclesia etiam vocatur *orthodoxa* ... Appellando Ecclesiam *apostolicam,* symbolum fidei nos docet firmiter retinere

doctrinas et traditiones apostolicas, necnon etiam doctrinam doctoresque illos vitare, qui fundamentum non habent in doctrina apostolorum ». Apostolicitatem regiminis expressius effert *Audrutsus*: « Apostolicitas manifestatur tum professione eiusdem fidei eodemque regimine, quae retinebat Ecclesia primigenia, tum successione dicta *apostolica*, nempe serie episcoporum qui apostolis successerunt, *si tamen in Ecclesia canonice constituuntur*. Haec duo intime inter se connectuntur et se invicem supponunt. Quemadmodum enim apostolica doctrina est fundamentum successionis apostolicae, ita et apostolica successio est criterium externum veritatis alicuius Ecclesiae eiusque consonantiae cum primitiva Ecclesia in doctrina et regimine ».

c) Ex praedictis apparet conceptum Orientalem apostolicitatis prope accedere ad catholicam eiusdem conceptionem. Discrimen fundamentale manet in modo iudicandi de legitimitate successionis apostolicae. Orientales contendunt non ex legitimitate sedis probandam esse veritatem doctrinae, sed ex veritate doctrinae legitimitatem successionis. Notat vero scite *Spacil*: « Concedunt autem theologi separati communiter ordinationem esse etiam apud Romanos, et recentissime nunc etiam apud Anglicanos: quos tamen utrosque fere cuncti docent esse extra ecclesiam veram, quae sola possit secundum plerosque saltem Graecos sacramenta et ipsum baptisma valide administrare: quam *contradictionem* theologis quoque russis obicit Melnikov ». Orientalia Christiana, Vol. II.-2, p. 78.

Probatur thesis

Thesis potest probari in utraque hypotesi sive inclusi sive exclusi primatus:

Supposito primatu: Christus instituit totam suam Ecclesiam super primatum Petrinum, eumque voluit ac praedixit fore perpetuum. Ergo vera Christi Ecclesia debet necessario gubernari a legitimo successore principis Apostolorum. Porro, supposito hoc primatu, nulla ecclesia particularis potest esse genuina et orthodoxa, nullus episcopus potest esse legitimus, quin servet communionem cum sede apostolica Petri, et eo ipso participet ipsius apostolicitatem.

Praescindendo a primatu argumentatio procedit sic: Christus instituit sacrum ministerium, magisterium et imperium in Collegio Apostolorum. Voluit autem Christus et promisit hoc Collegium futurum perpetuum: « Ego *vobiscum* sum usque ad consummationem saeculorum ». Ergo vera Christi Ecclesia debet necessario gubernari ab iis qui sint legitimi apostolorum continuatores et successores, ab iis qui *eandem personam moralem* Apostolorum sustineant. Atqui in hoc praecise consistit apostolicitas successionis. Ergo

Paulo aliter sic potest proponi argumentum: Nemo potest legitime regere Ecclesiam Dei, nisi sit missus a Christo, cui data est omnis potestas in caelo et in terra; unde intelligitur quod ille qui non intrat per ostium, qui est Christus «*fur est et latro*». Atqui nemo potest dici iure missus a Christo, si non sit successor formalis Apostolorum. Solis namque Apostolis Christus promisit (Mt. 18, 18), et contulit (Mt. 28, 18-20; Io. 17, 18; 20, 21) suum sacrum ministerium, magisterium et imperium. Ergo ...

Nota bene: Eadem conclusio obtineri potest via indirecta instar corollarii ex thesi 6ª. Profecto ostendimus veram Christi Ecclesiam esse indefectibilem, hinc substantialiter immutabilem. Substantiale porro Ecclesiae elementum est potestas hierarchica triplex quam Christus instituit perenniter continuandam (thesis VII). Huius potestatis *identitas numerica* haberi nequit perenniter in Ecclesia nisi vel repetita identidem personali Christi missione et donatione, id quod nemo admittit, vel statuta lege perpetuae successionis apostolicae.

Patrum testimonia notissima sunt. Caeteros ordine praecedat *Clemens Romanus*, qui contra seditiosos illos perturbatores corinthiacos ordinem divinitus statutum tumultuarie evertentes scribit: « Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo, Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et apostoli a Christo. *Et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei.* Itaque *acceptis mandatis* et per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti, Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus fiducia egressi sunt annuntiantes regni Dei adventum. Per regiones *igitur* et urbes verbum praedicantes primitias earum Spiritu cum probassent, constituerunt epi-

scopos et diaconos eorum qui credituri erant ... Et quid mirum eos, quibus in Christo *a Deo hoc munus commissum fuit*, praedictos constituisse?... Apostoli quoque nostri per Iesum Christum dominum nostrum cognoverunt contentionem de nomine episcopatus oborituram; ob eam ergo causam, perfecta praescientia praediti, constituerunt praedictos ac deinceps ordinationem dederunt, ut cum illi discessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent. Itaque qui constitui sunt ab aliis vel deinceps ab aliis viris eximiis consentiente universa ecclesia ... hos iudicamus munere suo non iuste deiici ». Epist. ad Cor. 42, 1 sq. En ergo ordinem successionis iuridicae clare promulgatum: Christus mittitur a Deo, apostoli a Christo, viri eximii et episcopi ab apostolis. Inde iure concludit rectores ecclesiae corinthiacae fuisse iniuste depositos seu reiectos. Cf. RJ. n. 42 sq. necnon Funk, Patres Apostolici, I, p. 153 sq.

Ignatius A. in omni fere epistula premit et urget obedientiam episcopo debitam. Auctoritas porro episcopi non aliunde venit, quam ex divina missione (Ad Ephes. VI, 1; Funk, o. c. p. 219), non certe immediata et personali, sed mediata et hierarchicae successioni innixa.

Irenaeus quoque apostolicitatem successionis formalis alte proclamat. « Agnitio vera est apostolorum doctrina et antiquus ecclesiae status in universo mundo, et *character corporis Christi secundum successiones episcoporum, quibus illi* (apostoli) eam quae in unoquoque loco est *ecclesiam tradiderunt* » (adv. haer. IV, 33, 8). Ideo « iis qui in ecclesia sunt presbyteris oboedire oportet, his *qui successionem habent ab apostolis* ... » (ibid. 26, 2). « Non enim per alios dispositionem salutis nostrae cognovimus, quam per eos per quos evangelium pervenit ad nos ... Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam, in omni ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre; et habemus annumerare eos *qui ab apostolis instituti sunt episcopi, et successores eorum usque ad nos* Etenim si recondita mysteria scissent apostoli, quae seorsim et latenter a reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, *quibus etiam ipsas ecclesias committebant* » (ibid. III, 1, 1; 3, 1).

Tertullianus non minori alacritate et constantia urget et premit successionis apostolicitatem. Sic enim dirigit praescriptionem contra haereticos: « Si Dominus Iesus Christus apostolos misit ad praedicandum, *alios non esse recipiendos praedicatores,* quam Christus instituit; quia nec alius Patrem novit nisi Filius, et cui Filius revelavit, *nec aliis videtur revelasse Filius, quam apostolis* quos misit ad praedicandum, utique quod illis revelavit. Quid autem praedicaverint, id est, quid illis Christus revelaverit, et hic praescribam *non aliter probari debere* nisi per easdem ecclesias, quas ipsi apostoli condiderunt ... Ceterum, si quae (ecclesiae haereticae) audent interserere se aetati apostolicae, ut ideo videantur ab apostolis traditae, quia sub apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines ecclesiarum suarum; evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem. *Hoc enim modo ecclesiae apostolicae census suos deferunt* » (de praescriptione haeret. 21 et 32: cfr. RJ. n. 293 et 296). Quae cum ita sint, constat veritatem nobis adiudicandam esse, quicumque in ea regula incedimus, quam ecclesia ab episcopis, episcopi ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit; haereticos vero omnes utut ad scripturam provocantes, repellendos esse. « Ad quos merito dicendum est: Qui estis? Quando et unde venistis? quid in meo agitis, non mei? qua licentia, Valentine, fontes meos transvertis? qua potestate, Appelles, limites meos commoves? Mea est possessio; olim possideo; habeo origines firmas, ab ipsis auctoribus, quorum fuit res. Ego sum heres Apostolorum ... Vos certe exheredaverunt semper et abdicaverunt ut extraneos, ut inimicos » (ibid. 37: RJ. n. 298).

Cyprianus plene concordat et vehementer inhaeret successioni apostolicae. Etenim « Dominus noster, cuius praecepta metuere et servare debemus, episcopi honorem et ecclesiae suae rationem disponens in evangelio loquitur et dicit Petro: Ego dico tibi, quia tu es Petrus ... *Inde per temporum et successionum vices,* episcoporum ordinatio et *Ecclesiae ratio decurrit,* ut ecclesia super episcopos constituatur » (epist. 33). « Christus unus est et una ecclesia et cathedra una super Petrum Domini voce fundata.

Aliud altare constitui et sacerdotium novum fieri praeter unum altare et unum sacerdotium non potest. Quisque alibi collegerit, spargit » (epist. 43). Unde intelligitur quod alibi scribit: « Factus est Cornelius episcopus ... cum nemo ante se factus esset, cum Fabiani locus, id est, cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret: *quo occupato* et de Dei voluntate atque omnium nostrum consensione firmato, *quisque iam episcopus fieri voluerit, foris fiat necesse est,* nec habeat ecclesiasticam ordinationem, qui ecclesiae non tenet unitatem » (epist. 55). Hinc indubitanter concluditur Ecclesiam Christi non esse apud Novatianos. « Si enim apud Novatianum est, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano episcopo *legitima ordinatione successit* Novatianus in Ecclesia non est *nec episcopus computari potest,* qui evangelica et apostolica traditione contempta *nemini succedens a se ipso ortus est* » (epist. 69). Cf. RJ. n. 571, 573, 575 et 589.

Pelagius I, Cypriani vestigia premens, sedes apostolicas episcopales cum sede apostolica matrici et principali aptissime nectit, ita quidem ut successio principalis necessario inferat legitimitatem successionis in reliquis sedibus quae cum priori communionem servant, et recessio schismatica a sede principali importet recessionem a reliquibus sedibus apostolicis. Sic enim scribit ad episcopum quendam schismaticum: « Adeone te in summo sacerdotii gradu positum catholicae fefellit veritas matris, ut non statim *schismaticum te conspiceres, cum a sedibus apostolicis recessisses?* Adeone populis ad praedicandum positus non legeras super *Apostolorum principem* a Christo Deo nostro Ecclesiam esse fundatam, ut portae inferi adversus ipsam praevalere non possent? Quod si legeras, ubinam praeter ipsum esse credebas Ecclesiam, *in quo uno omnes scilicet apostolicae sedes sunt?* Quibus pariter sicut illi, qui *claves* acceperat, ligandi solvendique potestas indulta est. Sed idcirco uni primum, quod daturus etiam omnibus, dedit, ut secundum beati Cypriani martyris id ipsum explicantis sententiam una esse monstretur Ecclesia ». Iaffe, 998, cf. DB. n. 230.

Pelagii II demum verba gravissima ad episcopos schismaticos Istriae notentur: « Nolite ergo amore iactantiae, quae superbiae semper est proxima, in obstinationis vitio permanere; quando in

die iudicii nullus vestrum excusare se valeat... *Ubi namque sit Ecclesia constituta, licet ipsius Domini voce in sancto evangelio sit apertum* [Mt. 16, 18], qiud tamen beatus Augustinus eiusdem dominicae memor sententiae definierit audiamus: *In his namque, ait, esse Dei Ecclesiam constitutam, qui sedibus apostolicis per successionem praesulum praesidere noscuntur,* et quicumque ab earundem sedium se communione vel auctoritate suspenderit, esse in schismate demonstratur ». Mansi IX, 897. Cf. DB. n. 247.

II

De sanctitate Ecclesiae

Praenotanda

Sanctum est nomen analogum, quod praedicatur tum de Deo, tum de creaturis. Analogatum princeps est Deus, qui est sanctus per essentiam; hinc merito de eo dicitur: « tu solus sanctus ». At creaturis quoque adscribitur sanctitas, licet sensu analogico et imperfecto, et quidem tum rebus tum personis.

Res dicuntur sanctae: Primo ratione *consecrationis* per quam cultui divino dedicantur: sic templa, altaria, domus, vasa... Ubi specialem considerationem merentur animalia in sacrificium deputata, quae Deo oblata, immolata atque ab eo acceptata, transeunt in manicipium divinitatis, cuius sanctitate velut imbuta, eam communicant participantibus in convivio sacrificali: — Dende res dicuntur sanctae ratione *destinationis et virtutis,* quam habent ad homines sanctificandos: sic sacramenta, sacrificium eucharisticum, doctrinae revelatae, leges divinae, ipsa demum hierarchia seu *sacer principatus*: — Tandem res dicuntur sanctae ratione *manifestationis;* quatenus inserviunt ad manifestandam sanctitatem servorum Dei: sic miracula, prophetiae, dona charismatica multiformia...

Personae quoque dicuntur sanctae multifariam multisque modis: *Per substantiam* est sancta, sanctitate inquam substantiali, sola humanitas Christi inter creaturas...: — *Per habitus* fiunt

sancti homines. In quibus potest distingui sanctitas habitualis duplex. Primo quidem illa generalis quam habent omnes christiani ratione characteris baptismalis, quo, secti e corpore Adami peccatoris, inseruntur in Christum eiusque sacerdotio initiantur, gens sancta, regale sacerdotium. Deinde vero sanctitatem maxime conferunt gratia sic dicta sanctificans et habitus infusi fidei, spei et caritatis cum praesentia et activitate Spiritus S. inhabitantis in nobis.: — *Per actus* constituitur sanctitas actualis sita in fuga peccati et exercitio virtutum. In quo possunt distingui varii gradus: *Communis* seu vulgaris, qui est proprius eorum qui nituntur vitare peccata gravia: *eximius,* cuius cultores a levioribus quoque naevis se mundos custodiunt, et alias virtutes necnon consilia evangelica exercere satagunt: *heroicus,* ad quem spectat difficillima quaeque, maxime vero opera caritatis et zeli, prompte, constanter, hilariter perficere. Quibus praelibatis, determinandus est

Status quaestionis

Quaeritur iam quo sensu et gradu Ecclesia Christi dicenda sit sancta. Quae cum sit compacta ad modum corporis organici vivi, tria possunt in ea distingui: anima, caput, reliqua membra.

a) *Constat omnino* et evidentia immediata patet Ecclesiam esse ontologice et moraliter sanctam tum ratione *animae,* qui est Spiritus *Sanctus,* tum etiam ratione *capitis,* qui est Christus sanctus, impollutus, segregatus a peccatoribus, factus praeterea hostia viva nostrae salutis, in cruce immolata, gloria resurrectionis clarificata, in sacrarium divinitatis traiecta, ubi oportet eum regnare ad dexteram Patris donec ponantur omnes inimici sub pedibus eius.

b) *At contendimus* Ecclesiam esse sanctam etiam ratione reliquorum membrorum. Quorum magna omnino multitudo sanctitatem *communem* seu vulgarem assequetur; non pauci ad *eximiam* quoque sanctitatem conscendent; nec deerunt qui *heroica* etiam sanctitate fulgeant: quin imo *charismatica* quoque seu miraculorum sanctitas convenienti quadam mensura semper efflorescet in Ecclesia.

c) Tota haec sanctitas debet esse in Ecclesia et *per Ecclesiam* i. e. debet esse effecta per media a Christo posita in sua Ecclesia. Cui proinde, praeter passivam, *activam* etiam seu mediorum sanctitatem tribuimus.

Positio adversaria

Protestantismus sanctitatis ecclesiasticae conceptus e diametro opponitur catholicae conceptioni quam supra exposuimus, sive activa sive passiva sanctitas spectetur.

Activam sanctitatem quod attinet, primo quidem cultus Dei per *sacrificium eucharisticum* e medio tollitur, quippe quod sacrificio crucis iniuriosum reputatur; — *Sacramentorum* dein numerus extenuatur, dynamismus vero (ex opere operato) enervatur; — *Doctrina* demum de natura humana essentialiter corrupta peccato protoparentum, de extincto libero arbitrio, de sola fide iustificante, de inutilitate bonorum operum ad omne meritum etc., latam viam aperit laxismo morali.

Sanctitatem passivam Ecclesiae exaggerare prima fronte videntur Protestantes eliminando peccatores a censu membrorum Ecclesiae, quippe quae solis iustis aut solis praedestinatis constet. At notetur primo hanc sanctitatem esse proprietatem Ecclesiae *invisibilis*. Notetur vero quam maxime quid ferat sanctitas in theologia Protestantica. Sancti dicuntur ii quorum peccata *non tolluntur,* sed solum teguntur; nec anima in iustificatione *intrinsecus renovatur* per iustitiam sibi inhaerentem, sed iustificari censetur per sanctitatem Christi extrinsecus imputatam. Cum his logice cohaeret quod sanctitas membrorum *in gradu maiori, heroico, charismatico* vix urgetur in ecclesiologia protestantica.

Orientales separati rursus accedunt ad genuinum et catholicum sanctitatis conceptum. Triplex tendentia ceteroquin notatur a *Iugie* apud theologos Graeco- Russos. Alii premunt sanctitatem Ecclesiae *tum activam* seu mediorum, *tum passivam* seu membrorum. Sic E. Bulgaris, A. Parisiensis, I. Ossinin, Malnovskii. — Alii solam commemorant sanctitatem *membrorum.* Sic P. Levkhin, Ph. Gumilewkii, Nectarius Hierosolymitanus. — Alii demum Au-

ctores loquuntur de sola *mediorum* sanctitate. Audiantur aliqui insigniores:

Th. Gorskii: « Sanctitas Ecclesiae tota collocatur in doctrina et professione fidei et morum. Ecclesia dicitur sancta tum intuitu doctrinae, quam profitetur, tum legum quibus regitur, immo et cultus divini cui addicta est; simul vero tum *ob imputatam sanctitatem Christi,* tum ob inhaerentem, seu sanctitatis et virtutis studium. Hinc non venit in censum *sanctitas personarum externa,* quam multi prae se ferre conantur. Annon saepe hypocrisis induitur nomine et larva sanctitatis?... ».

Cathechismus Philareti: Ecclesia dicitur sancta « quia a Iesu Christo sanctificata est per eius passionem, eius doctrinam et orationem necnon per sacramenta ».

M. *Bulgakov* vult Ecclesiam esse sanctam: *ex suo principio* et fundamento secundum doctrinam Pauli ad Ephes. 2, 19-20. — *Ex sua structura ac constitutione;* eius caput est Christus, sanctus sanctorum; in ea habitat sanctissimus Spiritus cum suis donis, quibus nos sanctificamur; verbum Dei sanctum et sanctificans nos edocet; sancta et sanctificantia nos sacramenta peragit; suo regimine ad sanctitatem ac pietatem nos ducit; constat membris lavacro aquae mundatis ac sanctificatis, ex quibus quidam et vita sancti sunt et templum perpetuum exstant Spiritus Sancti; — *ex suo fine* ac sua missione. Cf. de his Iugie, o. c. p. 540 sq.

Probatur thesis

I. *Sanctitas activa* seu mediorum in primis facile demonstratur:

Primo instar corollarii ex thesi de fine Ecclesiae. Probabimus finem, a Christo Ecclesiae praestitutum, situm esse in sanctificatione animorum: « Ergo elegi vos, ut eatis et fructum afferatis, et fructus vester maneat » (Io. 14, 16). Ergo eo ipso constat Christum posuisse in Ecclesia media sanctitatis et salutis.

Deinde Christus ipse pastores Ecclesiae appellat *sal terrae;* ipsam vero Ecclesiam comparat cum *fermento,* quod acceptum mulier abscondit in farinae satis tribus, donec fermentatum est

totum (Mt. 13, 33). Atqui hae comparationes indicant Ecclesiam esse praeditam vi sanctificatrici. Ergo ...

Tertio res tota probatur enumeratione mediorum salutis. Habet enim Ecclesia: *praecellentem doctrinam* religiosam de Deo, de mundo, de homine eiusque officiis erga suum conditorem, erga se ipsum, erga alios ...: — *sanctissimum moralitatis codicem,* ubi salubria praecepta graviter urgentur et strictior consiliorum via sternitur iis omnibus, qui ad altiora se ferri praesentiunt: — quibus adde *sanctionem efficacissimam;* in praesenti quidem vita pax quae exuperat omnem sensum, quam in patria excipiet vita aeterna, cuius suavissimas delicias nec oculus valet intueri, nec auris audire, nec intellectus potest apprehendere, sed Deus praeparavit his qui in patientia et spe perseverantes ad optatam metam perveniunt: — huc etiam spectat *ipsa hierarchia* seu sacer principatus. Posuit quippe Deus in Ecclesia primum apostolos, alios prophetas, alios evangelistas, alios pastores et doctores ad consummationem sanctorum: — Huc demum et maxime spectant tum *sacrificium* eucharisticum, quo cultus suavissimus sanctae Trinitati offertur, tum *sacramenta,* quibus omnis aetas, omnis vitae gradus sanctificatur.

II. *Sanctitas passiva* seu membrorum probanda iam venit et quidem in triplici gradu superius proposito: communi, eximio, charismatico:

Antiquum Testamentum multa debit pro sanctitate *saltem vulgari.* Siquidem « orietur in diebus eius (Messiae) *iustitia et abundantia pacis* » (Psal. 71, 7). Consonat Isaias scribens 2, 2 sq. « Et erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini ... et ibunt populi multi et dicent: Venite et ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas *et ambulabimus in semitis eius* ... et iudicabit gentes et arguet populos multos; et conflabunt gladios suos in vomeres, et lanceas suas in falces ... ». Similiter in cap. 11, 1 sq. ubi praedicitur mirabilis hominum conversio et transformatio; scientia quippe practica Dei, sicut aquae maris operientes, implebit Ecclesiam: — *Ieremias* (31, 31 sq.) describit foedus novum, quod erit in diebus novissimis seu messianis, « non secundum pactum quod pepigi cum patribus eorum ... quod irritum fecerunt ... sed hoc erit pactum quod

feriam cum domo Israel post dies illos, dicit Dominus: *Dabo legem meam in visceribus eorum, et in corde eorum scribam eam;* et ero eis in Deum, et ipsi erunt mihi in populum. Et non docebit ultra vir proximum suum, dicens: cognosce Dominum; omnes enim cognoscent me a minimo eorum usque ad maximum ... ». Nec minus clare *Ezechiel* (11, 17-20): « Et dabo eis *cor novum, et spiritum novum tribuam* in visceribus eorum; et auferam cor lapideum de carne eorum, et *dabo eis cor carneum.* Ut in praeceptis meis ambulent, et iudicia mea custodiant, faciantque ea: et sint mihi in populum et ego sim eis in Deum ».

Ex Novo Testamento pauca nunc sufficiant, quum plura sint dein afferenda ad probandam sanctitatem eximiam et heroicam. Teste Paulo « Christus dedit semetipsum pro nobis ut nos redimeret ab omni iniquitate, et mundaret sibi populum acceptabilem, sectatorem bonorum operum ». (Tit. 2, 14). Quibus consonat quae scribit ad Ephes. 5, 25 sq. « Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret ut sit sancta et immaculata ». Atqui Ecclesia nequit carere eo fine propter quem est a Christo instituta. Ergo sanctitas passiva seu membrorum, saltem vulgaris, dicenda est necessaria Ecclesiae proprietas.

Accedit ratio theologica obvia inde desumpta, quod potestas sanctificatrix Ecclesiae a Christo communicata non potest carere effectu suo aliquatenus proportionato: nec enim portae inferi praevalebunt adversus eam. Atqui talis potestas frustraretur effectu suo, nisi produceret ac maturaret sanctitatem membrorum saltem in gradu illo infimo seu vulgari. Ergo ...

Sanctitatem eximiam et heroicam evincent sequentia argumenta:

1° Talis sanctitas dicenda est proprietas Ecclesiae, si continetur intra finem eiusdem, et adsit auxilium efficax ad illam obtinendam. Atqui utrumque obtinet. Ergo

Prob. min. Nam Christus ipse consilia evangelica praedicavit, opere heroico eadem complevit, seipsum exemplar imitandum fidelibus proposuit, iussit quoque ea praedicari, et ad horum omnium exitum felicem auxilium suum promisit (Mt. 28, 20). Ergo

numquam deerunt in Ecclesia qui, ad Christi exemplum et vota, illa consilia adimpleant.

2° Christus oratione absoluta et efficaci postulavit a Patre pro Ecclesia sua hanc sanctitatem eximiam. Ergo Ecclesia semper fulgebit hoc praecellenti sanctitatis gradu.

Prob. antec. ex oratione Christi sacerdotali (Io. 17, 19 sq.). Hanc orationem fuisse absolutam et efficacem superius ostendimus. Postulari in ea sanctitatem eximiam patet: *a*) Nam petit ut fideles sint consummati in unum, et quidem tali unitate, quae sit analoga unitati quae viget inter tres personas S. Trinitatis. Hinc supponit perfectam unitatem seu concordiam et mentium et voluntatum. Atqui haec tanta unitas implicat sanctitatem eximiam: nec enim alia potest esse analoga unitati trinitariae. Ergo ... *b*) Haec unitas et sanctitas debet esse motivum credibilitatis pro universo mundo: « Ut credat mundus quia tu me misisti ». Hinc debet esse verum miraculum morale. Atqui haec talis sanctitas nequit esse vulgaris, utpote in qua nec splendet divinae omnipotentiae opus, nec elucet vis apologetica sufficiens ad ostendendam divinam Christi et Ecclesiae missionem. Ergo ...: *c*) Accedit quod haec unitas, ut antea notavimus, debeat esse effecta praesentia, influxu et operosa activitate Christi inhabitantis in nobis: « Tu in me et ego in eis ».

3° Ecclesia secundum doctrinam Pauli (Ephes. 4, 11-17) est corpus Christi mysticum, quod Spiritu S. animatur *ut vitam capitis* participet, continuet et referat donec *pleroma Christi efficiatur*. Atqui Christus fuit sanctissimus sanctitate eximia, heroica, proveniente ex iugi observatione consiliorum evangelicorum. Ergo Ecclesia eius corpus, eius Spiritu animatum, de eadem sanctitate participet necesse est.

Item apud eundem Paulum (Ephes. 5, 22-23) Ecclesia exhibetur ut *sponsa Christi*, pro qua Christus se tradidit in mortem ut eam sanctificaret et efficeret mundam et immaculatam. Porro Christus eam *fovet ac nutrit ut carnem suam,* eamque diligit tali amore, ut eum voluerit significatum seu praefiguratum unione omnium perfectissima, qualis est maritalis, in qua duo, relictis patre et matre, fiunt una caro. Atqui sanctitas propria talis spon-

sae nequit esse mere vulgaris, sed eximia, sed splendida sit oportet. Sane Christus quo gradu eam diligit, eandem nutrit et fovet; quo gradu fovet et nutrit, sanctificat eam. Sed illam diligit amore eximio, tenerrimo. Ergo ...

4° Tandem ex parabola seminantis (Mt. 13, 23) constat partem seminis cadere in bonam terram. In qua fructum reddit non solum trigesimum, sed sexagesimum quoque et *centesimum*. Atqui haec fructificatio iterum supponit sanctitatem eximiam et perfectam. Ergo haec numquam deerit in Ecclesia.

Probatur sanctitas charismatica seu miraculis confirmata:

1° Ex Mc. 16, 17-18: « Signa autem eos qui crediderint, haec sequentur: in nomine meo daemonia eiicient: serpentes tollent; et si mortiferum quid biberint, non eis nocebit; super aegros manu imponent et bene habebunt ». Unde fit argumentum: Promissio, de qua agitur in textu, est generalis et non restricta ad certum aliquod tempus. Atqui in hac promissione continetur sanctitas charismatica. Nam verba Christi generalia sunt et nullo temporis limite restringuntur nec explicite, ut per se patet, nec implicite seu ex natura rei aut contextu. Etenim agitur de signis quae sequentur *eos qui crediderint,* non sane singulos credentes singillatim sumptos, sed coetum eorum qui sub hierarchia apostolica et ecclesiastica crediderint. Ergo ...

Eodem spectare videntur quae Paulus scribit (I Cor. 12, 28): « Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum Apostolos, secundo prophetas, tertio doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum interpretationes sermonum ». Ubi videtur asseri proprium esse Ecclesiae non tantum primaevae et nascentis, sed subsequentis etiam et adultae habere haec dona charismatica. Ad rem *Irenaeus*: « In Ecclesia, inquit posuit Deus apostolos, prophetas, doctores *et universam reliquam operationem Spiritus,* cuius non sunt participes omnes, qui non currunt ad Ecclesiam ... Ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; et ubi Spiritus Dei, illic Ecclesia *et omnis gratia* ». Adv. haer. III, 24, 1. Vides supponi a s. doctore permanentiam

horum charismatum in Ecclesia tamquam perennem ipsius proprietatem, imo et notam.

2° Ex Io. 14, 11-13: « Alioquin propter opera credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quae ego facio, et ipse faciet, et maiora horum faciet ». Opera quae hic promittuntur non sunt virtutes morales; siquidem nemo potest in his Christum excedere. Nihil ergo remanet, nisi quod hic agatur de miraculis. Ceterum ex contextu patet Christum loqui de operibus miraculosis, quae ipse patrabat ad confirmandam suam divinam missionem: « Alioquin propter opera ipsa credite... ». Ergo numquam deerunt in Ecclesia qui haec signa convenienti quadam mensura peragant.

Testimonia Patrum videri possunt in enchiridio patristico.

Sanctitatem Ecclesiae extollunt *Irenaeus* adv. haer. III, 24, 1 (RI. n. 226), *Origenes* contra Celsum I, 26 (RI. n. 516), *Adamantius* seu Dialogus de recta in Deum fide, 5, 28 (RI. n. 544). *Cyrillus Hierosol.* 18, 23 (RI. n. 838).

Virtutes Christianorum celebrant easque opponunt vitiis paganorum *Epistola ad Diognetum* (RI. n. 97), *Aristides,* Apologia 15 (RI. n. 112), Theophilus Antioch. ad Autolycum, 3, 15 (RI. n. 186), *Minucius Felix,* Octavius, 31 (RI. n. 271), *Tertullianus,* Apologeticus, 38 sq. (RI. n. 280 sq.), *Origenes,* contra Celsum III, 29 (RI. n. 525), *Lactantius,* Divinae institutiones, V, 10, 15 sq. RI. n. 639 sq.). Unde intelligitur quod scribit *Liebermann*: « Stupebant omnes novam philosophiam omni alia philosophia longe sanctiorem et sublimiorem non lingua ventosam, non crepantem buccis, non sententiis affluentem, sed castam moribus et omnium bonorum operum fructibus abundantem; philosophiam quae animos ab omni cupiditate et ambitione sanaret, omnia, quae alendis libidinibus serviunt, resecaret, atque homines omnis conditionis, pueros, feminas, barbaros, idiotas doceret quod summum est sapientiae seipsos regere, dominari sibi ipsi; quae ex universo hominum genere unam efficeret familiam, ubique fontes liberalitatis uberrimos aperiret; quae quidquid humanam naturam decet, quidquid etiam et politicae felicitatis esse poterat, suis praeceptis roboraret et perficeret ». Instit. theol., 1, n. 444.

Obiectiones solvuntur

1. *Contra apostolicitatem.* Argumenta, quibus thesim probavimus, non videntur esse prorsus apodictica. Textus quippe allati hoc unum ostendunt: Christum, dum ageret in terris, tradidisse apostolis omnem potestatem ordinis, magisterii et iurisdictionis. At inde non sequitur omnem aliam posteriorem missionem esse prohibitam. Ergo non sufficienter excluditur hypothesis protestantica missionis alicuius extraordinariae ab ipso Christo excitatae, vel excitandae in utilitatem Ecclesiae. *Verbo*: verba Christi sunt *assertiva, non exclusiva.*

Resp. Dist. Conseq. Non excluditur hypothesis missionis extraordinariae, quae fiat *contra vel citra* hierarchiam apostolicam, N.; quae fiat *intra et sub* hierarchia apostolica, Trans. Christus instituit collegium apostolicum continuandum usque ad finem mundi: ex alia vero parte voluit *totam* suam Ecclesiam fundatam in Petro, huiusque supremo pastoratu iugiter gugernatam. Ergo eo ipso prohibuit et exclusit omnem aliam potestatem et missionem apostolicae hierarchiae non subordinatam.

2. Sed obstare videtur *missio Pauli.* Qui vocatus est ad apostolatum non ab hominibus neque per hominem, sed per Iesum Christum, nec venit (subiiciendus) Ierosolymam ad antecessores suos apostolos; sed abiit in Arabiam et iterum reversus est Damascum (Gal. 1, 17). Ubi continuo praedicabat in synagogis quoniam Iesus est Filius Dei (Act. 9, 20). Quin imo ipsa segregatio ad apostolatum gentium facta est immediate ab Spiritu Sancto (Ibid. 13, 2). Ergo possibilis est, imo datur missio extraordinaria citra hierarchiam collegii apostolici.

Resp. a) Prima Pauli vocatio et instructio fit *mediante Anania,* qui mittitur a Christo quaerere Paulum in domo Iudae, ut ei visum restituat et baptisma administret (Act. 9, 10 sq.) *b*) Expleto triennio arabico et damasceno, venit Ierosolymam *videre Petrum,* apud quem mansit quindecim diebus (Gal. 1, 18; Act. 9, 27), eique narravit cum suam divinam vocationem, tum primam suam evangelizationem Damascenam. *c*) Ad primam gentilium missionem in Antiochia accedit *vocatus a Barnaba,* qui vicissim illuc fuerat *missus ab apostolis* (Act. 11, 22-26). *d*) Ipsa segregatio definitiva ad apostolatum gentilium fit mediantibus prophetis et doctoribus antiochenis qui erant subiecti Collegio Apostolico (Act. 13, 1 sq.). *e*) Tandem ipse Paulus exhibet suum evangelium apostolis. Qui illud approbant et Paulo dexteras societatis dant (Gal. 2, 1-9). Constat ergo extraordinariam Pauli missionem fuisse peractam non contra vel citra hierarchiam Apostolicam, sed intra et sub ea. Nec illud omittendum Paulum splendide probasse portentis et prodigiis missionem suam quae ceteroquin tota fiebat in primordiis *nascentis Ecclesiae.* Vides nullam partitatem inter missionem Pauli et extraordinariam missionem qualem congingunt Protestantes.

3. At Ecclesia, teste Paulo, est superaedificata super fundamentum Apostolorum et *Prophetarum* (Ephes. 2, 20). Ergo non vere dicitur omnem potestatem magisterii et iurisdictionis solis Apostolis esse collatam.

Resp. Dist antec. Ecclesia dicitur aedificata super fundamentum Prophetarum ratione doctrinae praedicatae, C.; ratione iurisdictionis acceptae et exercitae, subd. citra hierarchiam apostolicam, N.; sub hierarchia apostolorum, Trans. Cf. ibid. 3, 5. Ceterum non clare apparet utrum hi Prophetae sint Antiqui, an potius N. Testamenti.

4. *Instabis*: Paulus in eadem epistola ad Ephes. 4, 11 ait: « Et ipse (Christus) dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero evangelistas... ». Unde arguitur: Gradus Prophetarum aeque immediate fuit ab ipso Christo institutus ac gradus Apostolorum. Atqui Apostoli acceperunt immediate a Christo missionem et iurisdictionem. Ergo etiam Prophetae. Ergo possibilis tandem manet aliqua missio quae fiat citra hierarchiam apostolicam.

Resp. Dist. maior. Gradus Apostolorum et Prophetarum sunt *donum* aeque immediate *a Christo Ecclesiae concessum*, C.; Prophetae acceperunt immediate a Christo *potestatem regiminis non subordinatam Apostolis* et continuandam in Ecclesia contra vel citra hierarchiam apostolicam, N. Paulus in loco allegato enumerat *diversa dona* quae Christus ascendens in altum *dedit hominibus* (ibid. 4, 7-8), sed minime vult recensere diversa subiecta, quibus Christus ipse dederit iurisdictionem aequaliter et independenter a singulis exercendam. Alioquin oporteret dicere ipsos evangelistas et pastores ac doctores ibidem connumeratos constituere totidem hierarchias independentes, id quod nemo admiserit.

5. At *successio iuridica prae missione charismatica* non sufficienter evincitur ex verbis Christi. Ergo non constat Ecclesiam debere semper gubernari ab his qui sint formales ac iuridici Apostolorum successores. Sane non apparet quare Spiritus S. non possit suscitare prophetas aliquos extraordinarios, sicuti fiebat in A. Testamento.

Resp. Negatur prorsus antecedens: *a*) Christus mittens apostolos ad docendas, regendas et baptizandas omnes gentes, promisit se futurum *cum eis* usque ad consummationem saeculi (Mt. 28, 18-20). Futuri ergo Ecclesiae sacerdotes, doctores et rectores debent constituere unam personam moralem cum apostolis seu debent esse horum successores. *b*) Christus fundavit *totam* suam Ecclesiam supra Petrum. Ipsa ergo potestas primatialis Petri debet perpetuari in Ecclesia apud aliquem qui sit *una persona moralis* cum Petro. Hinc nulla iam est possibilis missio charismatica qua quis a Deo immediate constituatur rector ecclesiarum sine subordinatione ad Petrum eiusque successorem. *c*) Tandem *Patres* iam inde a Clemente Romano legem suc-

cessionis iuridicae alte proclamant, ut videre est in testimoniis allatis ad probationem theseos.

6. *Contra sanctitatem ecclesiae.* Quod nimis probat, nihil probat. Atqui argumenta a nobis facta nimis probant: inde enim sequeretur Ecclesiam debere esse adaequate et perfectissime sanctam i. e. non habentem maculam nec rugam. Ergo...

Resp. Negatur minor. Ad probationem: Dist. assertum: Ecclesia deberet esse sanctissima sine ulla macula et ruga in stadio triumphi et gloriae, C.; in stadio terreno et militiae huius vitae, N. Ex parabolis constat bonum semen evolvi in terra ubi simul cum tritico concrescunt et zizania, in rete Ecclesiae futuros esse pisces bonos et malos, virgines prudentes et fatuas. Item constat futuros esse in Ecclesia varios cooperationis gradus ita ut alii reddant fructum trigesimum, alii sexagesimum... Ipsum sacramentmum poenitentiae est institutum pro peccatoribus etc. ...

7. *Instabis*: At si multi, si plures forte sunt in Ecclesia peccatores, quam sancti, immerito videtur illa appellari sancta. Ergo ...

Resp. Dist. antec. Si denominatio desumenda foret ex parte numerosiori, Trans., si denominatio desumenda sit ex parte potiori. N. In his quae sequuntur non molem, sed qualitatem, denominatio sumi iure consuevit ex parte potiori. Sic civitas, regio, natio dicitur opulenta, musica, etc. quamvis plerique non sint divites, musici ... Deinde Ecclesia est sancta ratione animae, capitis, mediorum salutis. Habet praeterea multa membra conspicue sancta. Illi ipsi, qui peccatores dicuntur, nec carent omni sanctitate quandiu remanet Christo inserti ratione craracteris baptismalis sub hierarchia ecclesiastica, nec constituuntur peccatores ideo quia se subiciunt normis, legibus, influxui Ecclesiae, sed ideo praecise quia huius obedientiae et directioni se subducunt.

8. Sed bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu. Ergo Ecclesia, in qua peccatores numero praevalent, non bona sed potius mala dicenda est.

Resp. Dist. antec. Bonum debet esse tale ex integra causa in his quibus inest, C.; ut Ecclesia dicatur bona ratione finis, mediorum, membrorum debet esse bona ex parte omnium, subd. si membra spectentur ex qua parte subiciuntur influxui et directioni Ecclesiae, C.; si membra spectentur ex qua parte se subducunt influxui ecclesiastico, N. Omnes hae difficultates oriuntur ex falso sanctitatis ecclesiasticae conceptu, quasi Ecclesia foret sancta sanctitate tantum passiva, eaque *quantitativa.* Ecclesia vocatur sancta praeprimis sanctitate activa et dynamica; quia habet praecellentia sanctitatis media, eaque applicat constanter, sapienter, valenter. Ecclesia dicitur sancta sanctitate etiam passiva, quia habet sanctitatem communem

late diffusam, necnon sanctitatem maiorem et eximiam semper fulgentem splendore vario, nunc maiori, nunc minori. Turba peccatorum qualiscumque et quantacumque fingatur, praefatum splendorem nedum obscurat, maiori etiam luce illustrat. Lo blanco junto a lo negro luce y campea más ...

Scholion dogmaticum. a) *Apostolicitas* Ecclesiae, generatim sumpta, est de fide catholica ex symbolis et professionibus fidei. Cf. DB. n. 86, 271, 288, 336, 423, 464, 468: — Petrum habiturum esse iure divino perpetuos successores est doctrina definita in Concilio Vaticano, DB. n. 1825: — Ceteros Apostolos debere habere successores docetur a Tridentino (DB. n. 690), a Pio IX (DB. n. 1686), a Concilio Vaticano (DB. n. 1821, 1828), a Leone XIII in Encyclica « Satis cognitum », a Pio X (DB. n. 2050).

b) *Sanctitatem* Ecclesiae fide profitemur in symbolis (DB. n. 86, 336, 423, 646, 468): — *Eximiam* sanctitatem membrorum et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem praedicat Concilium Vaticanum (DB. n. 1793 et 17994). — *Charismatica Ecclesiae* sanctitas nullibi expresse docetur; at si argumenta *biblica* sunt efficacia, et ipsa dicenda est de fide divina.

Notae bibliographicae. Ad totam thesim conferri possunt: *d'Herbigny,* o. c. n. 261-267; 236-243; *Dorsch,* o. c. p. 607-614; 583-593; *Wilmers,* o. c. n. 351-364; 371-376; *Billot,* th. 4, 8, et 9; *Bainvel,* De Ecclesia Christi (1925), p. 72 sq.; *A. Michel* in Dict. Théol. t. 27, c. 841-870; *A. de Poulpiquet,* L'Église Catholique, p. 153-205; *S. Tyszkiewcz* in Nouvelle Revue Théologique, 1936, p. 449-479; *Ch. Journet* in Revue Thomiste, t. 43 (1937), p. 167-200.

THESIS XIII

Quatuor his proprietatibus sola inter hodiernos Christianorum coetus fulget Ecclesia Romana. Unde iterum evincitur eam esse veram et legitimam Christi Ecclesiam.

Status quaestionis

In thesibus praecedentibus vidimus proprietates quibus vera Christi Ecclesia debet insigniri. In hac thesi fit applicatio harum proprietatum ad varios aemulantes coetus religiosos, non quidam

omnes, sed *christianos*, ad eos nempe qui aliquo modo appellant ad Christum, tamquam ad suum fundatorem. Utile tamen erit in tota hac controversia de notis Ecclesiae prae oculis habere conspectum generalem sive religiosum sive christianum.

Conspectus religiosus in universo orbe per partes centesimas exhibitus secundum A. *d'Espièrres* hic fere est: Catholici 19%; Protestantes 8, 9; Orientales separati 7, 1; Iudaei 0, 9; Mahumetani 13; Buddhistae 10, 8; Confucionistae 16, 4; Hinduistae 12, 1; Sintoistae 0, 9; Pagani 6, 6; Areligiosi 4, 1; Ignoti 0, 2. Sic in « La Religion dans le différents Pays du Monde », 1930.

Conspectus christianitatis universae secundum eundem Abbatem *d'Espièrres* (1934) huiusmodi est. Damus tantum numeros referentes mm = miliones: Adsunt in toto mundo:

Catholici 373 mm. Ex his in Europa 209 mm.; in America 136 mm; in Asia 19 mm; in Africa 6 mm; in Oceania 2 mm.

Protestantes universi 185 mm: Ex his in Europa 127 mm; in America 39 mm; in Asia 5 mm; in Africa 6 mm; in Oceania 6 mm.

Alii Christiani (maximam partem Orientis separati) 143 mm. Ex his in Europa 110 mm.; in America 414.019 christiani; in Asia 23 mm; in Africa 8 mm; in Oceania 364.041 christiani. Alias tabulas statisticas dabimus in Scholio.

Ordo et limites quaestionis. Theodicea ostendit falsitatem omnis religionis *Polytheismo adherentis*: Tractatus de vera Religione seu de Christo vero Dei legato et Messia demonstrat falsitatem *Monotheismi non christiani*: Tractatus apologeticus de Ecclesia debet probare falsitatem omnis *Christianismi non catholici*, id quod in praesenti thesi demonstrare intendimus via notarum. Iamvero ridiculum foret in controversiam vocare parvas illas ecclesias angulum terrae vix occupantes, quales sunt Iansenistae, Valdenses, Mariavitae... Idem dic de ecclesiis Orientalibus praphotianis, quales sunt Nestoriani et Monophysistae. Tres sunt coetus christiani maiores, qui in hoc magnum notarum certamen iure convocari possunt: Protestantes, Orientales separati, Romano-Catholici. Porro demonstratio sic praecedit: Osten-

ditur quatuor enumeratas proprietates unitatis, catholicitatis ... I. abesse in Protestantismo: II. necnon in Oriente christiano separato; III. adesse omnes in coetu Romano-Catholico.

I

Coetus Protestantes

Praenotanda

Nota est divisio hodierni Protestantismi in Orthodoxum (sic dictum) et Liberalem. Hic vix habet aliquid genuini christianismi praeter nomen. Orthodoxus porro Protestantismus sub *aspectu sociali* exhibet tres formas: episcopalianam, presbyterianam et congregationalistam; sub aspectu vero *doctrinali* iterum formae tres; Lutherana, Calviniana, Anglicana.

Lutheranismus servavit veram orthodoxiam in dogmate Trinitario et Christologico; at induxit ingentem innovationem in reliquam Theologiam universam, alibi describi solitam. — *Ecclesiologiam* quod attinet, tria pronuntiata maiora determinant genuinam eius figuram. Salus ex sola fide. — Fides ex sola Scriptura. — Scriptura ex solo examine privato sub interna Spiritus illustratione. Hinc nullum verum sacerdotium, nullum magisterium authenticum, nullum imperium a Christo in collegio apostolico institutum. Vera Ecclesia promissionum est *invisibilis,* ab his, qui Christo per fidem adhaerent, constituta i. e. *Communio Sanctorum.* Sancti seu fideles efformantur per verbum Dei et per sacramenta (Baptismum et Coenam), hinc sponte coadunantur in coetus seu communitates locales, in quibus iurisdictionem detinet Princeps saecularis titulo membri principalis.

Calvinismus conservavit praecipua capita doctrinalia Lutherana; at ingentem rursus innovationem provocavit tum alibi, tum vel maxime in doctrina de *Praedestinatione,* prout suo loco describitur. — *In ecclesiologia Calviniana* admittitur duplex Ecclesiae conceptus biblicus. Ecclesiae stricte dicta est coetus *praedestinatorum,* hinc *invisibilis.* Ecclesia late dicta est visibilis,

eamque constituunt singulae communitates locales, quarum moderamen spectat ad doctores, pastores, praesbyteros et diaconos, prout alibi exposuimus. Hanc porro ecclesiam visibilem volebat Calvin a potestate civili independentem.

Anglicanismus initio manebat fere catholicus. At subito inficitur Lutheranismo et Calvinismo; hinc induit formam hibridae mixturae ex Catholicismo et Protestantismo. *Formula fidei* anglicanae continetur in notis XXIX articulis, addito sic dicto libro precum: *Prayer book*. Ad haec: *Doctrina Trinitaria et Christologica* est catholica: — *Doctrina soteriologica* est protestantica, recepto dogmate de sola fide iustificante; — *Doctrina de Praedestinatione* est Calviniana: — *Doctrina sacramentaria* est protestantica i. e. duo tamen sacramenta ,nullum sacrificium, Christus in Euchar. recipitur modo spirituali et caelesti: — *Doctrina Ecclesiologica* partim protestantica admisso principio de libero Scripturae examine; partim catholica retento principio de hierarchica collegii apostolici successione in Episcopatu. Hisce praelibatis sit iam gradus ad huius primae partis probationem.

Demonstratio

Unitas in Protestantismo. Defectus unitatis in Protestantismo est adeo pubblicus et notorius, ut otiosum videatur diutius distineri in longiori demonstratione. Sufficiat ergo summaria totius rei expositio.

Unitas regiminis imprimis non datur apud Protestantes *universim consideratos.* Estne aliquis qui sibi tribuat potestatem regendi *omnes coetus* protestanticos quaquaversus diffusos? Quis est hic, et laudabimus eum? Nec adest unitas regiminis inter *ecclesias episcopalianas.* Ecclesiae quippe episcopales Americanae non obediunt nec primati Cantorberitano, nec Regi imperii Britanici. Idem dicas de ecclesiis Lutheranis et Reformatorum, in quibus nemo sibi attribuit hanc talem potestatem. Idem a fortiori de ecclesiis Congregationalistis.

Unitas communionis non datur sine unitate sociali. Atqui unitas socialis nequit consistere sine unitate regiminis. Ergo unitas stricte communionis abest in Protestantismo.

Unitas fidei formalis nequit admitti ubi negatur divina institutio magisterii authentici: — Unitas fidei *materialis et totalis* non datur apud Protestantes universos, ut evidenter ostendit ipsum tentamen theoriae de *Articulis fundamentalibus*: Nec putes dari unitatem fidei saltem *apud Anglicanos,* quippe qui acceptent omnes XXIX articulos fidei anglicanae. Interpretatio namque horum articulorum permittitur libero singulorum examini. Hinc triplex forma Anglicanismi dispertiti in Ecclesiam superiorem (High Curch), quae ad romanos accedit, in Ecclesiam inferiorem (Low Church), quae Calvinismo maxime inhaeret, in Ecclesiam latiorem (Broad Church, quae semirationalismo inficitur: — Unitas fidei *partialis,* apud *omnes* coetus Protestanticos vigens, probari vix poterit, quum nullum sit dogma, ne Trinitarium quidem, ab omnibus unanimiter receptum. At non est quare in re evidenti diutius immoremur.

Ipsi Protestantes hodierni defectum unitatis *splendide demonstraverunt* spectaculum facti angelis et hominibus, instituto duplici *experimento coram.* Primum celebratur a. 1925 in Civitate Stockholm sub lemate *Life and Work.* Aderant quinque Patriarchae, undecim metropolitani, sexaginta episcopi, sexcenti delegati, repraesentantes sectas centum tres, nationes triginta septem. Porro in hoc Congressu *tota quaestio de unitate fidei suppressa est ut prorsus innecessaria.* Princeps hereditarius Svetiae in oratione inaugurali sollemniter proclamabat: « Iste Congressus *egregie ostendit* unitatem fidei inter christianos nullatenus esse necessariam ad creandum spiritum honae voluntatis et mutuae concordiae et comprehensionis inter homines. Sufficit agnitio idealis Christiani... Unitas confessionalis non est necessaria nostris ecclesiis ». Fortiora sunt quae scribit unus e coriphaeis in congressu: « Error inauditus per viginti saecula inveteratus hic fuit, ut Christianismus consideraretur ut *Religio,* ut *Ecclesia.* At Christianismus nihil est aliud quam forma culturae demum futurae, regnum Dei universale et laicum praeparatum a Carolo Marx, Darwin, Isaia; quo demum absorbebitur ipsa Ecclesia cum suis dogmatis, suo clero, suo cultu » (Monod). Habes ergo confitentes adversarios.

Sequebatur alterum experimentum a. 1927 in civitate Lausane sub Lemate *Faith and Order*. Agitur in hoc Congressu de praeparanda unione omnium christianorum, qui dogma de divinitate Christi admittunt. Examini conciliari subiiciebatur problema quadruplex: De confessionibus fidei — de Sacramentis — de Hierarchia — de Sacerdotio et Episcopatu. Vides quaestionem de unitate fidei in hoc congressu minime eliminari, sed in primo loco collocari. Quali exitu? Audias ultimam declarationem officialem missam ad singulas ecclesias repraesentatas in Congressu: « Iste Congressus fuit convocatus ad examinandas quaestiones fidei et discipline. Congressus declarat se *numquam voluisse definire conditiones unionis futurae*. Finalitas Congressus fuit *notare et mensurare* illa puncta in quibus conveniunt et dissentiunt singulae sectae, necnon indicare quasdam normas utiles pro *futura quadam* atque ampliore unione ». Vides quaestionem de unitate fidei optima voluntate inductam quidem, at minime solutam. Rem totam candide et apostolice fatetur episcopus Bombay (Anglicanus): « Nos deberemus dicere gentilibus: Ecce Ecclesiam Christi: At id dicere non possumus, si quidem prohibemur nostris internis dissensionibus. Protestantismus habet professiones fidei contradictorias. Ex his illae quae sunt falsae deberent eliminari, non tam ratione fovendae unionis, quam reverentiae veritati debitae. Delegati in Lausane noluerunt assumere responsabilitatem proclamandi nomine ecclesiarum quas repraesentabant: Versabamur in errore. Ex huiusmodi Congressibus numquam poterit oriri unio ecclesiarum ». Quam sit hoc veraciter dictum ostendit duplex novum experimentum tentatum in congressu *Oxford* et *Edimbourg*, necnon subsequentes congressus panchristiani celebrati ab a. 1927 ad nostros usque dies.

Novam lucem affert *Relatio* recenter praeparata et edita (Doctrine in the Church of England) a quadam 25 theologorum societate, cui erat commissum munus examinandi discrepantias doctrinales in Ecclesia Anglicana exsistentes, necnon quaerendi media apta ad has divergentias, quoad fieri possit, eliminandas. Porro Relatio praefata ostendit graves infiltrationes rationalisticas: in inerrantia biblica — in miraculis et vaticiniis evangelicis

— in ipsa existentia miraculi — in auctoritate narrationis evangelicae — in existentia angelorum et daemonum — in vera Incarnatione Verbi — in conceptu virginali Mariae — in vera Christi resurrectione — in Ascensione Domini — in aeternitate paenarum — in iudicio universali.

Demonstrationem graphicam dissolutae unitatis in Protestantismo reperies in adiecta tabella statistica Protestantismi.

Catholicitas fit iam impossibilis apud coetus Protestantes defectu unitatis. Vera quippe catholicitas implicat *unius eiusdemque Ecclesiae* latam per orbem diffusionem cum conspicua membrorum multitudine. Hinc probatio facilis compendio veritatis: Ubi nulla unitas socialis, ibi nulla vera catholicitas. Atqui ex dictis nulla in Protestantismo unitas socialis. Ergo nec vera catholicitas. Habent quidem coetus Protestantes omnes universim sumpti sat amplam diffusionem tum numericam, tum geographicam. At diffusio sine unitate est larva catholicitatis.

Apostolicitatem successionis quod attinet, distinguas inter ecclesias episcopalianas et non episcopalianas, quales sunt Lutheranae, Presbyterianae et Congregationalistae. Hae non possunt habere apostolicitatem successionis, ne quidem materialis, quia non admittunt nullam regiminis potestatem episcopalem a Christo institutam in Collegio Apostolico, successione transmittendam. — Defectum apostolicae successionis *formalis* in ecclesiis episcopalianis ostendit criterium triplex legitimae missionis supra stabilitum. Missio quippe legitima debet fieri *vel* in communione cum cathedra apostolica Petri — *vel* (seposito primatu) intra unitatem *socialem* — *vel* intra unitatem *catholicam*. Novus legitimitatis defectus recurrit in episcopatu Anglicano agnoscente in Caesare ea quae non sunt Caesaris. Num sit admittenda apostolicitas *materialis* apud sedes episcopales Anglicanas, pendet a quaestione de validitate ordinationum anglicanarum; quae de re cf. D. B. n. 1963-1966. De apostolicitate *originis* advertas eam esse impossibilem sine apostolicitate successionis tum materialis tum formalis, ut superius notavimus.

Sanctitas remanet examinanda. Sanctitas imprimis *activa* seu mediorum vehementer deprimitur in Protestantismo, ubi *sacri-*

ficium eucharisticum supprimitur, *sacramentorum* numerus quidem extenuatur, dynamismus vero enervatur. *Doctrina* porro de sola fide iustificante, de inutilitate aut supererogatione bonorum operum, de corruptione naturae, de extincto libero arbitrio, de matrimonii dissolubilitate ... facile fovet laxismum moralem. — *Passivam* seu membrorum sanctitatem quod spectat, sanctitas quidem vulgaris plus minus diffusa et firma admitti sine dubio potest apud tot christianos suae sectae bona et indisturbata fide adhaerentes. De forma quadam sanctitatis superioris, qualis innotescit in Ecclesia altiori sive Anglicana (High Church) sive Germanica (Hochkirche) sufficiat notare: eam esse numerice et geographice valde restrictam — ipsam esse tardiorem imitationem cultus et fervoris ecclesiae romanae — eandem demum vix cohaerere cum genuinis principiis doctrinae Lutheranae et protestanticae.

Novum ac brevius argumentum contra Protestantismum posset concinnari sic: *Principium fundamentale* totius Protestantismi *rigidioris* stat in doctrina de « sola fide iustificante sine operibus ». Porro hoc tale principium aperte opponitur doctrinae revelatae qualis apparet in N. et A. Testamento:

Audiatur Jacobus Apostolus: « Quid proderit fratres mei si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat. *Numquid poterit fides salvare eum?* Sic et fides, si non habeat opera, *mortua est in semetipsa* ... Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita et *fides sine operibus mortua est* » 2, 14 sq.

Audiatur et Paulus: « In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed *nova creatura* », Gal. 6, 15. Quid gerat nova creatura clarissime dicitur ibid. 5, 6: In Christo Iesu neque circumcisio aliquid valet, neque praeputium, sed *fides quae per caritatem operatur* (δι᾽ ἀγάπης ἐνεργουμένη). Similiter in I Cor. 7, 19: « Circumcisio nihil est, et praeputium nihil est; sed *observatio mandatorum* ». Nec alia est doctrina epistulae ad Rom. 2, 13: « Non enim auditores legis iusti sunt apud Deum, sed *factores legis iustificabuntur* ». Cf. 2, 6-7.

Audiatur vero quammaxime Christus: « Filius enim homi nis venturus in gloria Patris sui cum angelis suis: et tunc redde'

unicuique *secundum opera eius*». Mt. 16, 27. Quaenam sint haec opera explicat ipse Christus in epilogo sermonis eschatologici. Mt. 25, 34-46. — Iamdudum Psalmista haec duo ex ore Dei audierat: «quia potestas Dei est, et tibi Domine misericordia: qui *tu reddes unicuique iuxta opera sua*». Ps. 61, 12-13. Vides in «pura verbi Dei praedicatione», quae est *nota princeps* in ecclesiologia protestantica, aperte et iterato condemnari fundamentale Protestantismi principium de sola fide iustificante.

II

Oriens Christianus separatus

Praenotanda

Prima germina schismatis Orientalis apparent iam saeculo IV in oligarchia Eusebiana saeviente contra Athanasium patriarcham Alexandrinum et papam romanum Iulium. Haec germina optimum evolutionis campum reperiebant in Byzantio per Constantinum elevata ad dignitatem sedis imperialis (nova Roma). Hinc primi fructus et manifestationes erumpunt in Concilio Constantinopolitano I, cuius canon tertius statuit: «Constantinopolitanae civitatis episcopus habere oportet primatum honoris post Romanum episcoporum, *propterea quod ea sit nova Roma*». Novae et sollemniores manifestationes exhibentur in canone 28 Concilii Chalcedonensis, necnon in canone 36 Concilii Trullani. Schisma Acacianum et turbidae quorundam machinationes contra Formulam Hormisdae in C. Constantinopolitano IV ostendunt virulentiam invalescentem morbi Byzantini. Aperta iam schismatis proclamatio inchoatur a *Photio* saeculo IX, et plene demum consummatur opera *Michaelis Caerularii* mediante saeculo XI.

Conspectum doctrinalem Orientalium manifestant libri symbolici et opera Theologorum.

Libri symbolici praecipui Orientalium sunt: Confessio fidei Gennadii scholarii — Responsa Patriarchae Ieremiae a. 1576 data Theologis Tübingensibus — Orthodoxa confessio fidei Dositaei

— Orthodoxa Confessio fidei catholicae Petri Moghilae — Confessio fidei Metrophanis Critopuli — Responsio Antimi VI ad Pium IX — Responsio Antimi VII ad Leonem XIII — Cathechismus Philareti.

Theologia Orientalis proxime accedit ad nostram Catholicam. Praecipua discrepantiae capita sunt. Processio Spiritus Sancti ex Patre *Filioque* — Primatus et infallibilitas Romani Pontificis — Doctrina de Purgatorio et retributione immediate post mortem — De epiclesi, cui vis consecratoria tribuitur — Immaculatus conceptus M. V — Accedunt discrepantiae quaedam liturgicae.

Ecclesiologia Orientalis magnam similitudinem cum nostra prae se fert. Admittunt nempe Orientales fundatam a Christo Ecclesiam visibilem, perennem seu indefectibilem, unam, sanctam, catholicam et apostolicam. Admittunt quoque triplicem potestatem hierarchicam ordinis, magisterii, et iurisdictionis in Collegio Apostolico a Christo repositam, in Collegio episcopali continuatam. — *Discrimen princeps* stat in negatione primatus Petri et Romani Pontificis. Rationes porro negati primatus sunt: Primo quidem et maxime quia Christus est *unicum caput* corporis mystici et ecclesiastici — Spiritus dein evangelicus obstat primatui — *Petrus* nullum habuit iurisdictionis primatum, nec potest talis primatus demonstrari ex verbis Christi sive promissoriis, sive collatoriis. Petra, super quam aedificata est Ecclesia, non est Petrus, sed Christus, vel Apostoli, vel Petri fides et confessio — In Ioanne 21, 15 sq. non confertur Petro pastoratus supremus, sed restituitur potestas apostolica amissa per triplicis negationis peccatum — Nullum ceteroquin exercitium primatus recurrit in tempore apostolico; vix concipias Ioannem Apostolum Clementi R. subiectum — *Romanus ergo Pontifex* nonnisi primatum quendam honoris possidet — Tertio saeculo apparet doctrina de sede romana cathedra Petri — Saeculo IV et V inducitur primatus iuridicus, qui a Nicolao I demum canonizatur — Transmissio ceterum huius primatus foret impossibilis defectu sacramenti.

Oriens christianus s. hodiernus constituitur sedibus patriarchalibus, ecclesiis authocephalis, autonomis. *Patriarchatus* sunt: Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymita-

nus, Russus, Serbus, Rumenus. *Ecclesiae autocephalae* sunt: Graeca, Bulgarica, Polonia, Cretensis, Georgiae, Albaniae, Ciprii, Lituanica. *Ecclesiae autonomae* sunt: Finlandiae, Esthoniae, Lettoniae, Tchecoslovaquiae. Accedit Archiepiscopatus Montis Sinai, Archiepiscopatus orthodoxus in Iaponia et Ecclesia autonoma Russa sub Archiepiscopo N.-Americano. Hisce praestitutis, accedamus ad probationem huius secundae partis.

Unitas fidei et confessionis strictior sine dubio est apud Orientales separatos, quam apud coetus protestanticos; suis tamen naevis et imperfectionibus minime caret. *Primo* quidem haec unitas est *nimis restricta,* quippe quae nostris potissimum temporibus fere coarctetur ad ea quae continentur in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano et septem priorum Conciliorum definitionibus: — *Deinde* haec unitas vix potest dici unitas fidei *formalis* et *vitaliter progressivae;* siquidem Orientales separati iam inde a tempore scissionis *carent practice* magisterio ecclesiastico *vere infallibili*: — Demum haec unitas est *non parum obscurata* et turbata tot dissensionibus quibus implicantur non tantum theologi privati, sed ipsi quoque episcopi et patriarchae. Qui omnes nullatenus conveniunt in determinando canone Scripturarum, in vi et auctoritate concedenda variis Confessionibus fidei, in definienda validitate sacramentorum ab haereticis collatorum, etc. ... Hae omnes vacillationes et dissensiones clare ostendunt absentiam apud Orientales magisterii authentici et infallibilis, quod capax sit definire controversias fidei, suasque decisiones cunctis acceptandas imponere. Advertas quod vel ex hoc solo capite possit construi argumentum efficax contra Orientales in hanc fere formam: Vera Ecclesia accepit a Christo facultatem docendi infallibiliter perpetuo duraturam (Mt. 28, 18-20). Atqui Ecclesia graeco-russica, ex quo ab Ecclesia romana se segregavit, facultatem docendi infallibiliter *de facto amisit.* Ergo nequit esse vera Christi Ecclesia. Sic plus minus argumentatur Jugie.

Unitas regiminis non datur apud Orientales separatos, ut evidenter probatur ex facto obvio tot ecclesiarum *autocephalarum* seu plene independentium. « On compte donc, à l'heure actuelle, 18 Eglises independentes issues de l'ancienne Eglise byzantine,

dont 12*autocéphalies* proprement dites et 6 *autonomies* Il faudrait dire 28 Eglises et plus, si l'on tenait compte des groupes autonomes sortis de l'Eglise russe depuis 1917 ». *Jugie*, Dict. Theol. t. 27, c. 1386. Similitudo specifica constitutionis hierarchicae, vel etiam existentia canonum antiquorum non sufficit ad unitatem *numericam* regiminis. Appellatio ad concilium oecumenicum tamquam subiectum supremae potestatis est practice vana, quia nec conveniunt Orientales inter se circa possibilitatem et conditiones Concilii oecumenici, nec potuerunt tam longo saeculorum decursu vel unum tale Concilioum celebrare.

Unitas communionis supponit unitatem socialem. Atqui diversae autocephaliae Orientales non constituunt *unam societatem.* Ergo unitas communionis *stricte* talis in Oriente christiano separato non datur. Accedit quod excommunicationes latae ab una authocephalia non semper ratihabentur ab aliis. Hinc fit ut una ecclesia possit abrumpere communionem cum alia authocephalia, servata communione cum aliis ecclesiis. Celebritatem quandam nactus est casus Ecclesiae Bulgaricae, quam ecclesiae quidem graecae anathematizant et schismaticam habent, utpote philetismi ream, caeterae vero ecclesiae slavicae et rumenica in fraternam communionem admittunt. De ecclesiis russis recentibus scribit toties laudatus *Jugie*: «Depuis 1917 l'Eglise russe, tant par l'effet de l'atroce persécution dont elle a été l'objet, qu'a causa des éléments de division qui la minaient sourdement depuis, longtemps, est en plein désagrégation. On ne compte plus les schismes, les factions, les Eglises rivales qui se sont formées depuis vingt ans tant à l'intérieur des Républiques soviétiques que parmi les Russes émigrés à l'étranger. Plusieurs de ces Eglises n'ont eu qu'une vie éphémère et ont déjà disparu. Une dizaine environ subsistent encore qui hier s'anathématisaient les unes les autres ou continuent de le faire tandis que les autres Eglises autocéphales observent à leur égard les attitudes les plus contradictoires, chacune d'elles reconnaissant les unes et rejetant les autres sans aucune unité de vues. *C'est la destruction totale, au sein de l'Eglise dissidente, de ce qu'on appelle l'unité de communion* » o. c. c. 1375-1376.

Veram catholicitatem frustra requiras apud coetus graeco-

slavicos. Etenim: *a*) Ubi nulla unitas regiminis et communionis, ibi nulla vera et stricta catholicitas. Atqui... Ergo *b*) *Diffusionem numericam et geographicam* quod attinet, Orientales facile superantur non tantum a Romanis, sed ab ipsi etiam Protestantibus; *c*) *Ipsa catholicitas iuris* seu qualitativa non parum obscurata est apud separatos Orientales. Siquidem diversae autocephaliae nimis sunt obnoxiae potestati civili, et apparent tinctae colore vehementer nationalistico. *Zelum missionum* exterarum vix ullum ostendunt. Hinc *Jugie* merito redit ad argumentationem facilem: « Vera Ecclesia munus a Christo acceptum et impositum habet docendi omnes gentes, praedicandi evangelium usque ad ultimum terrae, secundum illud: Euntes docete omnes gentes... Atqui, ex quo schisma perfectum est, id est, inde a saeculo XII, Ecclesia graeco-russica officium praedicandi Evangelium gentibus infedelibus vel heterodoxis ex toto fere neglexit, et adhuc negligit, si parva illa et infelicia missionum tentamina excipias, quae Ecclesia russica recentiori tempore iniverat ». Theol. Dogm. Christi. Orient., IV, p. 593.

Apostolicitas successionis materialis minime deest in Oriente separato. Ubi dantur episcopi valide ordinati serie non interrupta ascendentes usque ad originem apostolicam saltem mediam. Sed deest in omnibus autocephaliis apostolicitas successionis *formalis* seu legitimae missionis. Sufficiat in memoriam revocare criteria legitimae missionis supra stabilita. Vera quippe missio nequit dari extra communionem cum sede Petri, vel seposito primatu, extra unitatem socialem et catholicam. Meram cheirotoniam non sufficere ad legitimam missionem evidenter constat ex eo, quod potest episcopus legitime intra catholicam consecratus fieri haereticus vel schismaticus publicus, hinc desinere esse membrum Ecclesiae, quin tamen amittat facultatem valide consecrandi alios episcopos.

Nota bene: Etiam *iurisdictio* in foro interno et sacramentali Poenitentiae admitti potest apud Orientales separatos ex tacita concessione successoris Petri.

Sanctitas activa minime deest in Oriente christiano separato, si *copia mediorum* spectetur. Possident quippe Orientales praecellentia sanctitatis media: sacrificium, sacramenta, Scripturam

sacram, Traditionem, antiquos canones, hierarchiam, cultum Mariae Virginis et Sanctorum, splendidum apparatum liturgicum. At non sufficit habere media sanctitatis; oportet *eadem adhibere et applicare* sapienter, constanter, ferventer. Applicatio porro horum mediorum apud graecos-slavicos non paucis naevis ac defectibus obscuratur.

Sanctitas matrimonialis imprimis graviter dehonestatur, admissa vinculi coniugalis dissolubilitate. Audiatur *Jugie*: « Or, dans l'ancienne Eglise byzantine et ses filles, les Eglise autocéphales modernes, on constant une *violation constante* de cette loi pour des raisons tellement nombreuses que le contrat matrimonial, élevé par Jésus-Christ à la dignité de sacrament, y paraît comme l'une des conventions sociales les moins stables et les plus faciles a résilier ». Dict. Théol. t. 27, c. 1454.

Praedicatio verbi divini vix urgetur maxime in paroeciis ruralibus. De ecclesia Russa scribit canonista *Sauvorov*: « Jusqu'à nos jours, dans les Eglises paroissiales, et spécialement dans les paroisses rurales, elle a présenté un caractère occasionel, si on la compare à la prédication ecclésiastique en Occident ». De aliis autocephaliis scribit *Jugie*: « Les autres authocéphalies n'ont pas connu cet entrave [censurae praeviae], mais la prédication n'y a pas été plus prospère. On y prêche encore quelques fois dans les paroisses citadines. Dans le paroisses rurales, le sermon est une rareté. C'est que les prêtres capables d'annoncer la parole de Dieu manquent. En pays grec, il n'est pas rare que la chaire sacrée soit occupé par des laïcs instruits. En 1925, le métropolitaine de Belgrade, Dimitri Polovic, devenu depuis patriarche des Serbes, constatait qu'on ne prêchait en Serbie que deux fois l'an, aux fêtes de Noël et de Pâque. Seul l'Eglise métropolitaine de Belgrade se donnait le luxe d'un sermon à toutes les grandes fêtes », o. c. col. 1455.

Administratio sacramenti poenitentiae similes lacunas et defectus exhibet, sive *integritas* confessionis spectetur, sive ipsa sacramenti frequentia et facilitas consideratur: « Il ne faut point chercher dans les églises autocéphales la pratique de la confession et de la communion fréquentes. Les confesseurs y font encore

plus défaut, que les prédicateurs. En beaucoup d'endroits, les prêtres mariés sont privés du pouvoir de confesser et les *Pères spirituels* sont uniquement choisis par les moines ». *Jugie,* ibid.

Notetur demum carentia potestatis communis et centralis vere independentis. Hinc illa impotentia ad disciplinam novis necessitatibus et circumstantiis accommodandam, ad coercendos serpentes in dies abusus, ad restaurandam reformationem ecclesiasticam, ad totam cultus et pietatis vitam identidem renovandam.

De sanctitate passiva seu membrorum in Oriente Christiano separato iudicium proferre est res delicata et ardua nimis. Hic ergo quam maxime premenda vestigia illorum qui in his rebus auctoritate pollent singulari passim agnita. Sanctitas praeprimis *vulgaris* seu ordinaria sat ampla et diffusa non est quare denegetur Orientalibus. Forma vero *sanctitatis altior* maxime innotescit in Sanctis canonizatis, in Ordinibus et Institutis religiosis, in Clero, in zelo et dynamismo missionario.

De Sanctis graeco-russis ut aequum iudicium feratur, oportet prae oculis habere tum *processum canonizationis,* tum *numerum* horum sanctorum. Primum quod attinet, distinguuntur in eo periodi tres: *a*) A saeculo XI finiente usque ad a. 1457 canonizatio fit praxi populi venerantis cadavera incorrupta sanctorum; *b*) Ab anno 1475 ad a. 1721 canonizatio peragitur primo quidem a metropolitanis moscovitis, deinde vero a patriarchis cum suis conciliis. Probatio vero praecipua et sufficiens reputatur incorruptio cadaveris. Ab a. 1721 usque 1919 solemnis sanctorum canonizatio promovetur ab imperatore, Sancta Synodo praeparante decreta. Praecedit investigatio de miraculis ad tumulum sancti patratis, in quibus multum attenditur ad incorruptionem cadaveris. Apparet hunc processum sanctificationis esse sat labilem et laxum, si comparetur cum severitate romana tum in iudicio *virtutum heroicarum,* tum in examine *miraculorum.* — Numerus Sanctorum quorum cultus sit agnitus certo ac publico auctoritatis ecclesiasticae documento est relative parvus. Pars facile numerosior pertinet ad Ecclesiam Russicam: in qua tamen numerus sanctorum ex Historia Canonizationis *Golubinsky* vix pervenit ad 150 pro toto tempore se protendente a conversione Russiae usque ad a. 1914.

Monachismus Orientalis. Vitae religiosae et monachalis languescentis primum indicium habetur in diminuto vehementer numero monasteriorum et monachorum. En quaedam data statistica allata a *Jugie*: Aderant in Russia a. 1910 monasteria virorum 526: in quibus *professi* 9.137; novitii 8.266. Monasteria mulierum 300. In his *professe* 12.652; *novitiae* 40.275. Post persecutionem sovieticam « la vie religieuse est a peu près anéanti sur le sol de la Russie ». — In Monte Athos aderant anno 1913 monaci 6.345. Anno 1928 hic numerus decrescebat ad 4.858. — In antiqua Graecia aderant anno 1830 monasteria 593, in quibus monaci et moniales 3.000. Hic porro numerus a. 1919 erat ita restrictus, ut monasteria computarentur 151, monachi vero et moniales 1.562.

Similis diminutio ac depauratio recurrit in monasteriis Bulgaricis, Rumenis, Cypriis, Serbiae. Quod attinet Patriarchatum Alexandrinum, Antiochenum et Hierosolymitanum » on ne trouve plus qu'un nombre insignifiant de monastères presque tous dépeuplés. C'est donc partout la décadence, qui paraî irrémédiable, vu la baisse du sentiment chretien et l'abandon de jour en jour plus accentué des pratiques religieuses dans les Eglises autocéphales ». *Jugie,* o. c. col. 1463.

Novum deteriorationis signum prodit ipsa indoles monasteriorum. Quorum alia sunt severiora et proprie cenobitica, alia idiorrythmica. De his scribit *Jugie*: « Une grave dérogation au voeu de pauvreté s'introduit. Non seulement la pécule est toléré, mais sous le nom d'*idiorrythmie* c'est une manière nouvelle de mener la vie de communauté qui passe en usage et supprime pratiquement le voeu », ibid. c. 1459. In Russia monasteria idiorrythmica erant multo numerosiora, quam cenobitica.

Ipse modus selectionis ad vitam monasticam et vitae religiosae informatio tota durante novitiatu prae se fert signa declivitatis. Audias iterum *Jugie*: « Alors que dans l'Eglise catholique le choix des candidats à la vie religieuse fait en général, de nos jours l'objet d'une serieuse attention et que les conditions d'admission telles qu'elles sont clairement determinées par le droit canonique, tendent a constituer un'élite, l'Orient dissident ouvre à tout venant les portes des ses monastères... Le noviciat qui peut

durer indefinitement, consiste trop souvent à faire l'office de domestique à l'égard du *Père spirituel* qui veut bien se charger de la formation de nouveau! Le nombre des moines-prêtres ou hiéromoines est tout a fait insignifiant et determiné d'après les besoins du service liturgique. Aussi la grande majorité des religieux sont-ils ignorants et souvent complément illettrés. La plupart des athonistes ne savent ni lire ni écrire », ibid. c. 1461.

Cleri saecularis conditio in Oriente dissidente innotescit imprimis ex modo selectionis: « Comment une paroisse « orthodoxe » devenue veuve de son curé lui trouve-t-elle un successeur, en certaines régions? Les chefs de la communauté se réunissent pour le choisir habituellement parmi les paroissiens. C'est un agriculteur, un petit commerçant, un épicier qui a fait quelques études, et sera à même d'apprendre en quelques semaines ou en quelques mois à célébrer les offices liturgiques et à administrer les sacraments ... Ce mode de recrutement, hâtons-nous de le dire, n'est pas general ». ibid., c. 1457.

Formatio seminaristica, quae ut plurimum procuratur, sat defectuosa apparet. « En 1914, sur les 20.100 élèves des 58 séminaires russes, 15% à peine embrassaient l'état ecclésiastique, leur études une fois terminées. Dans les autres autocéphalies, on a essayé de créer aussi des écoles cléricales et des séminaires, mais jusqu'à ce joir une minorité seulement de prêtres séculiers ont reçu une instruction relativement suffisante. Le grande nombre n'a pas dépassée l'enseignement primaire ... Au dire du patriarche Mélétios IV, en 1923, sur les 135 prêtres du diocèse de Constantinople, 12 à peine étaient capables d'enseigner le catéchisme ... En 1921, sur le territoire de l'ancienne Grèce vivaint 4.432 prêtres. Sur ce nombre, 1708 n'avaient fait que des études élémentaires, 1919 avaient terminé leurs études primaires 323 avaient fréquenté les gymnases, 197, étaient sortis du séminaire thénien du Rhizarion, ou d'établissements similaires; une trentaine seulement avaient suivi les coeurs de la faculté de théologie de l'université d'Athènes ». ibid.

Ad aptam cleri formationem instructio intellectualis minime

sufficit. *Zeli quoque flamma* accendatur oportet in candidatis ad sacerdotium. « Or, sur ce rapport ce n'est pas faire oeuvre de dénigrement systématique que de constater que le schisme byzantine a enlevé au sacerdoce non seulement son indépendence, mais aussi cette auréole de la vertu qui inspire au peuple fidèle le respect et la vénération. Cet abaissement du clergé s'est produit moins par la faute des hommes que par celles de institutions ». ibid.

Accedit defectus coelibatus in clero i. e. in sacerdotibus et diaconis (non in episcopis). Quantopere inde praepediatur sacri numeris exercitium per se patet. Sed ex alia parte idem clerus prohibetur transire ad secundas nuptias. Novae inde difficultates oriuntur, ubi contingit uxorem decedere, relicta numerosa prole. « C'est le mettre dans une situation bien dure. Quoi d'étonnant que trop de victimes d'une législation inconséquente se laissent aller à des écarts de conduite ... Ils méritent plus le pitié que la blâme ». ibid.

Zeli missionarii languor ac defectus apud autocephalias graeco-slavicas nimis notus est ac manifestus, maxime si comparetur cum fervore et dynamismo missionario apud catholicos. Nullibi forsan clarius manifestâtur Ecclesiae Orientalis inferioritas, quae ceteroquin fructus simul et signum est vitae religiosae languescentis sive in clero, sive in ipso etiam monachismo.

III

Ecclesia Romana-Catholica

Unitas fidei formalis et totalis in coetu romano-catholico vigens patet: *a*) ex admisso ab omnibus uno eodemque magisterio authentico infallibili semper viventi et insonante pro nobis; *b*) ex definita ulterius in Concilio Vaticano infallibilitate Romani Pontificis, quem qui non audit loquentem ex cathedra, habetur iam ut ethnicus et publicanus; *c*) ex symbolis et Confessionibus fidei, inde a Nicoeno-Constantinopolitano usque ad formulam Iuramenti antimodernistici. Has porro Confessiones fidei imponit Ecclesia omnibus credendas, haereticis et schismaticis ad matrem redeun-

tibus acceptandas, laureandis in re biblica et theologica recitandas; *d*) Renuntiatio unius fere dogmatis de primatu et infallibilitate Romani Pontificis provocaret reditum Orientalium et multorum Anglicanorum in sinum Ecclesiae catholicae. Sed mavult Ecclesia iacturam pati tot fidelium et populorum, quam ut pereat iota unum aut unus apex de sacro revelationis deposito suae custodiae commisso. Legas severum responsum Pii XI ad laxiores Panchristianismi tendentias in AAS, 1928.

Unitas regiminis incurrit in oculos omnium. Sedet quippe in alto collis Vaticani successor Petri et Christi vicarius, quem omnes agnoscunt suum ducem et pastorem. Haec regiminis unitas numquam forte vividius enituit, quam in celebrato ultimo Concilio oecumenico. Ubi tot episcopi ex toto orbe catholico congregati principatum iuridicum Pontificis R. agnoverunt, iis minime exceptis qui in admittenda infallibilitate pontificia tardiores exstitere.

Unitas communionis fluit iam instar corollarii ex duplici praefata unitate. Ecclesia sane romana est ad modum organismi cuiusdam compacta. In quo capitis (visibilis) locum tenet episcopus romanus, alias subministrationis iuncturas efformant episcopi cum parochis suis cooperatoribus. Per has iuncturas decurrit virtus hierarchica ad reliqua corporis membra. Totum vero organismum animari Spiritu pacis et caritatis ostendit factum palmarium communionis socialis. Notissima enim est arcta unio vigens in tota ecclesia romano-catholica. Populus seu grex fidelis adhaeret suo sacerdoti. Parochi vicissim obediunt suis dioecesanis episcopis. Cuncti demum episcopi, qua late patent in Occidente et Oriente, obsecundant in omnibus atque parent primati romano. Hinc ecclesa romana reapse est unus grex, unum ovile, unum regnum, unum Christi corpus uno eodemque Spiritu vegetatum.

Catholicitas quoque adest in ecclesia romana. Quae proprietas nostro coetui tam altis radicibus inhaeret, ut hoc ei quasi nomen proprium remanserit; omnes enim amici et inimici romanos appellant catholicos. Merito quidem: Fulget namque apud nos catholicitas in suo elemento formali vel fundamentali, quod est *unitas* socialis. Fulget in diffusione *geographica* europaea, ameri-

cana, asiana, africana, australiana. In potioribus mundi partibus, quales sunt Europa et America, Ecclesia catholica altas egit radices; in caeteris fervet opus missionarium. Extensio *numerica* si spectetur, Ecclesia romana non solum superat ceteros coetus christianos singillatim sumptos, sed etiam fere exaequat omnes alios collective consideratos.

Quod si catholicitate *qualitativa* potius delectaris, habet coetus noster vim diffusivam multiformem vere incoercibilem. Tribus primis saeculis, licet omni fere praesidio destituta, etsi tot tantisque persecutionibus oppressa, magnam partem mundi graeco-romani penetravit. Nec sequens ac successiva dilatatio cessavit. Schismate Orientali resecta, reagebat vehementius et diffundebatur saeculo XI in Polonia, Ruthenia, Hungaria et Scandinavia; saeculo XII in Pomerania et terris Balticis; saeculo XIII protendebatur ad moros et Tartaros; saeculo XIV extendebatur per magnas Asiae partes et Africae Septentrionalis; saeculo XV proveniebat ad Americam et litora Africana; aetate subsequenti schismate et dissidio Protestantico putata, redit vegetior, et virescit in Europam, Asiam et Americam. *Statum hodiernum* catholicismi quod attinet, habet Ecclesia Romana asseclas c. 400-420 miliones (iuxta varias computationes) ex ritu latino; 8 vero milliones ex ritu Orientali: Byzantino, chaldeo, maronita, armenio, syrio (Antiocheno), copto(Alexandrino).

Apostolicitas successionis materialis est evidens *in sede primatiali,* quae episcopos numerat serie non interrupta descendentes a principe Apostolorum Petro usque ad Pium XII. Hanc successionem esse *formalem* seu legitimam rursus fit manifestum, *supposita lege divina* superius demonstrata, primatus perpetuo duraturi in Ecclesia, quum nullus alius episcopus sibi tribuat exerceatque primatum. Apostolicitas porro formalis aliarum sedium episcopalium redditur iam manifesta vel ex mero facto quod servant communionem cum sede centrali Petri. *Quod si praescindas a primatu* in tota hac demonstratione, recurrunt criteria legitimae missionis supra stabilita. Enimvero Ecclesia romana est unicus coe-

tus christianius in quo missio episcopalis peragitur *intra unitatem socialem et catholicam.*

Sanctitas consideranda iam venit. *Activam* quidem sanctitatem habet nostra Ecclesia vere praecellentem, non in mera mediorum copia positam, sed in fervida et constanti ipsorum applicatione. *Sacrificium* imprimis eucharisticum Sanctae et individuae Trinitati ubique offertur ministerio quotidiano et numquam interrupto sacerdotum. Sacramenta indesinenter, digne ac devote administrantur. Praedicatio evangelica constanter resonat opera sacerdotum, qui iuxta consilium Pauli verbum Dei opportune et importune, id est, incessanter fidelibus praedicant. *Doctrinam* quod attinet, habet Ecclesia Romana systema doctrinale religiosum integrum, uberrimum, sanctum, harmonice unum, omnibus egregie accomodatum, insigni efficacia praeditum. Accedunt instituta non tantum stricte religiosa, set tot piae associationes pro laicis, congregationes Marianae, multiformes confraternitates; magnifici dein ac splendidi congressus eucharistici; nec nostris potissimum diebus praetermittenda cooperatio laicorum sub Apostolatu hierarchico, quae *Actio catholica* audit.

Sanctitatis passivae forma eminentior manifestatur in Sanctis canonizatis ac servis Dei beatificatis — in Ordinibus et Institutis religiosis — in Clero — in ardore et dynamismo missionario.

In Sanctis canonizatis et servis Dei beatificatis duo potissimum attendenda: qualitas et quantitas seu numerus. Qualitas innotescit ex toto canonizationis et beatificationis processu. Praxis severior pro canonizatione incepit tempore Ioannis XV saeculo X. Alexander III (saeculo XII) reservavit soli Pontifici Romano iudicium de sanctis cultu publico venerandis. Strictiores regulae promulgabantur a Leone X, Sixto V, Urbano VIII, Benedicto XIV. Demum Benedictus XV expressit totum accuratissimum et minutissimum rei processum in codice Iuris Canonici c. 1999-2141. A temporibus Urbani VIII (1625) nemo, exceptis martyribus, beatificatur nisi evidenter constet saltem de duobus miraculis. Nullus beatus in album Sanctorum inscribitur. nisi duobus iterum miraculis eius interventu *post beatificationem* obtentis. Inquisitio porro

de virtutibus heroicis tanta fit severitate, quanta nullum fere solet uti tribunal scientificum. cf. Codicem I. C. c. 2191 sq.: — *Numerum* quod attinet, Ecclesia romana erexit ingentem exercitum martyrum, confessorum, Doctorum, Virginum, ut prolixe et accurate ostendunt ingentia volumina Bollandiana. Adhibita vero severa perquisitione, de qua supra, solo saeculo XIX beatificantur 356 servi Dei; canonizabantur 80 beati. Saeculo nostro XX vel solus Pius XI proclamavit 496 beatos, canonizavit 34 sanctos.

Ordines et instituta religiosa singula describere vel etiam numerare nimis longum foret. Noti sunt Ordines antiquiores, ramos suos late propagantes. At quis non iure miretur exhuberantiam vere luxuriantem tot Congregationum tempore recentiori passim pullulantium? Saeculo proxime elapso oriebantur Congregationes religiosae c. 180: Virorum c. 64; Mulierum c. 112. Aderant in sola Gallia Ordines et Congregationes: Virorum 95; Mulierum 800. Religiosi universi: 150.000 Nec putes istam exuberantiam manifestari tantum in nationibus catholicis: in ipsa Germania magnam partem protestantica aderant anno 1930 Ordines et Congregationes 112. Religiosi universi (viri et feminae) 100.000. De his familiis religionis universim valet quod de religiosis gallicis scribit *Tain* in noto testimonio: « Adsunt in Gallia plus quam 150.000 religiosi. Hi omnes sunt vi propriae institutionis benefactores et obedientes voluntarii, propria ac spontanea electione consecrati sublevandis infirmitatibus periculosis, ingratis, fastidiosis. Servitia sua praestant vel gratuito, vel pretio infimo, idque postquam proprias convenientias ac necessitates reduxerunt ad minimam quandam portionem. *Evidens est aequilibrium motivorum,* quibus nostrae liberae determinationes peraguntur, in his viribus et mulieribus *esse penitus inversum.* In interna horum hominum bylanci egoismus minime praedominatur altruismo; contra amor proximi praevalet et dominatur egoismo. Visne scire ubinam lateat secretum huius vitae? Ecce: hoc tale secretum nullum est aliud, quam Iesus Christus cognitus, amatus, in Eucharistia participatus ». De regimine moderno, t. 2, p. 112 sq.

Zelum et dynamismum missionarium luculenter ostendit ipsum factum diffusionis geographicae et numericae superius descriptum,

quippe quod fructus est operis missionarii. Utile tamen erit ad particularia descendere.

Status missionum secundum Statisticas confectas opera S. Congregationis de Propaganda Fide anno 1930 huiusmodi est.

Centrum directionis officiale est S. Congregatio de Propaganda Fide erecta a Gregorio XV a. 1622.

Territoria ecclesiastica ab hoc Centro dependentia sunt 437: quae dividuntur in sectiones sequentes: Europa, Asia Occidentalis, India, Birmania, Siam, Regiones-Indo Sinicae, Sina, Imperium Iaponicum, Africa Orientalis, Africa Meridionalis, Africa Meridio-Insularis, America Septentrionalis, America Centralis, America Meridionalis, Malesia et Insulae Oceanicae.

Instituta Religiosa missionalia sacerdotum, fratrum, sororum accedunt ad 500.

Missionarii computantur: Episcopi 282; Praefecti Apostolici 91; Sacerdotes 12.959, e quibus 8.996 e clero regulari; 3.963 e clero saeculari-adde scholasticos 48 et coadiutores 2.226. Ex Institutis supradictis adsunt: Fratres 2.886; Sorores 28.179. Summa ergo totalis 46.671.

His adduntur: Cathechistae 51.606; Magistri scholarum 38.679; Baptizatores 25.697; Medici 226; Aegrorum ministri saeculares 855. Summa ergo totalis = 163.636.

Nota bene: Haec statistica exhibet statum missionarium, qualis aderat a. 1927. Hodiernus numerus missionariorum est notabiliter maior. Statistica ultima (non officialis), quam videre potui, exhibebat: Sacerdotes 21.000; Fratres 9.000; Sorores 55.000; Cathechistas 90.000; Magistros 76.000.

Opera missionaria (iuxta hanc ultimam statisticam) sunt: Scholae 45.000; Nosocomia 800; Dispensaria seu Pharmacopolia 2.000; Asyla pro senibus 450; Asyla pro leprosis 100; Seminaria indigena 375.

Nova et recentiora data *exhibet A. Aramu* S. I. in suo opere « Guida alla Fede cattolica », 1954, hoc titulo et ordine:

PERSONALE: 26.840 sacerdoti. — 9.331 fratelli laici. — 61.567 suore. — 82.863 catechisti. — 92.111 maestri laici.

SCUOLE: Elementari = 41.632. — Medie = 3.881. — Superiori = 1,170. — Professionali = 740. — Normali = 307.

OPERE DI CARITÀ: Ospedali = 1.145. — Dispensari = 3.132. — Lebbrosari = 174. — Orfanotrofi = 1.720. — Ricoveri per vecchi = 260.

Catholici in mundo missionario sunt c. 20 milliones. Conversiones in a. 1938 fuere 450.000.

Cleri catholici superioritas prae clero Orientali dissidenti facile patet ex iis quae supra retulimus. Notetur speciatim: Cura et vigilantia in selectione candidatorum ad sacerdotium — Informatio seminaristica intellectualis et moralis valde accurata — Coelibatus sacerdotum — Praxis fere generalis celebrationis Missae quotidianae — Officium breviarii recitandi — Exercitia spiritualia frequenter paracta, etc.

Obiectiones solvuntur

1. *Unitas* videtur defuisse in Ecclesia romana toto tempore schismatis Occidentalis, maxime post Concilium Pisanum, quum aderant in ecclesia tres papae cum suis obedientiis seu subditis. Unde arguitur sic: Vera Christi Ecclesia constituebatur vel a tribus simul partibus cum suis papis, vel ab una tantum, illa videlicet cui praeerat verus ac legitimus papa. Si eligis primum, destruis omnino *unitatem* regiminis: si alterum praefers, non servas sufficienter *catholicitatem* ecclesiae. Ergo.

Resp. a) Sit prima responsio *indirecta* quidem, at sufficiens: Si vera Ecclesiae unitas dicitur defecisse apud Romanos tempore schismatis, a fortiori dicenda est defecisse in aliis coetibus antiromanis, in quibus multo minor retenta est fidei, communionis et regiminis unitas. Ergo vel periit vera Christi Ecclesia, id quod obstat promissionibus Christi, imo et placitis adversariorum, vel non alibi est conservata, quam apud Romanos. Deinde adverte totam hanc periodum, sic dictam schismaticam, constituere *brevem hiatum*, si comparetur cum reliqua transsaeculari Ecclesiae existentia.

b) Responsio *directa* varie proponitur. Seligo illam quae rationi et auctoritati videtur conformior. Quae ut melius intelligatur, licebit gradatim per partes procedere: Schisma hoc, quod dicunt, Occidentale immerito videtur hoc tali nomine designari. Nulla hic vera rebellio contra Papam (nisi forte apud paucos), sed mera ignorantia personae veri Papae, cui cognito

omnes (vel plerique) parati sunt obedire, relicto antipapa: — Durante tota hac periodo servatur in ecclesia unitas fidei, sacramentorum et regiminis *formalis*, licet non materialis. Hinc Ecclesia tota manet unum corpus, unus Spiritus, una fides, unum baptisma, ut vult Apostolus. Servatur principium iuridicum fundamentale de Romano Pontifice successore Petri in primatu. Servatur studium et fiunt tentamina et conatus ad tollendum schisma et habendum Pontificem certum: — Verus et legitimus Papa videtur fuisse ille Romanus, Urbanus VI eiusque successores Bonifacius IX, Innocentius VII et Gregorius XII. De valida electione Urbani VI sufficienter constare videtur. Si prima eius electio dicatur dubia vel nulla ob metum iniustum electoribus incussum, id dici certe non potest de altera electione facta eodem die 8 Aprilis a. 1478 a Cardinalibus cum expressa intentione eligendi verum Papam. Sequebatur inthronizatio Pontificis electi primum in aedibus Vaticanis dein in Palatio Lateranensi. Ad haec, die 18 Aprilis celebratur coronatio novi Pontificis in Basilica S. Petri. Pontificis electio pro more annuntiabatur regibus catholicis, episcopis, necnon 6 Cardinalibus Avenionensibus. Qui omnes electum Pontificem agnoverunt idque expresse significaverunt, non exclusis Clemente VII et Benedicto XIII. Hinc sequitur electiones Clementis VII et Benedicti XIII fuisse irritas: — Argumentum novum minime spernendum praebet ipsa praxis Ecclesiae Romanae. Quae in « Hierarchia catholica » a. 1904 confecta ad tramitem Libri Pontificalis suppressit nomina paparum sive Avenionensium sive Pisanorum: — Vera ergo Ecclesia constituebatur non solum ab his qui Pontificem Romanum de facto sequebatur, sed ab iis quoque qui aliis papis adhaerebant voluntate non firma et absoluta, sed potius conditionata, qua praevalenter ferebantur in verum Pontificem *Romanum*, quicumque demum ille foret. Haec talis voluntas fuisse in plerisque iure merito supponitur et legitime deducitur ex sincero studio, quo omnes verum et indubium Pontificem quaerebant: — Martini V valida electio, necnon oecumenicitas Concilii Constantiensis explicanda videtur per facultatem Patribus congregatis concessam (per suum legatum) a Gregorio XII sponte et libere abdicante. Cuius abdicationis validitas et firmitas nullatenus pendet a mente et spiritu quo nonnulli Patres Constantienses eam acceptaverunt: — Iuvat demum notare totum hoc molestum negotium egregium constituere argumentum vitalitatis et indefectibilitatis Ecclesiae Romanae. Quae propriis viribus et instrumentis incolumis evasit et superavit hanc saevam tempestatem, quae si in regnum aliquod vel institutum terrenum et mere humanum incidisset, certo certius susque deque illud evertisset. Nec immerito in facto Gregorii XII *sponte abdicantis* videris divinae Providentiae singulare consilium. Quod minime latuit virum acatholicum scribentem: « Observas in Benedicto XII lacrymabile exemplum, et in electo papa admirabile negotium ». Quibus praenotatis, sit iam *Responsio in forma*: Tempore schismatis aderant tres partes in Ecclesia adhaerentes tribus papis formaliter ut tribus, N. materialiter tribus, subd. voluntate firma, absoluta et irrevocabili,

N.; voluntate non firma sed potius conditionata et coniuncta cum studio quaerendi Pontificem indubium. C.

c) Nova et radicalior solutio habetur in sententia Straub, secundum quam vera Ch. Ecclesia constituebatur ab his tantum, qui vero papae i. e. Urbano VI eiusque successoribus adhaerebant. Catholicitas actualis restringitur quidem tempore mediante inter Concilium Pisanum et finem schismatis; at supra notavimus perpetuitatem catholicitatis esse moralem. Ceterum catholicitas qualitativa manet integra, ut apparet in subsequenti reactione ac dynamismo missionario.

2. At *catholicitas* romana videtur reapse evanuisse tempore Concilii Arimenensis, quum plures episcopi subscripserunt formulae arianae et haereticae. De quo tempore scribit Hieronymus: « Tunc usiae nomen abolitum est, tunc Nicaenae fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, et *arianum se esse* miratus est ». (Dial. adv. lucifer. n. 19). Ergo ...

Resp. Negatur antecedens. Formula omittens nomen usiae minime erat haeretica in se nec in mente Patrum subscribentium, ut patet ex ipso Hieronymo scribente ibid. n. 18: « Non erat curae Episcopis de vocabulo, *quum sensus esset in tuto* ». Lege sequentia, ubi ipse Valens orthodoxam fidem profitetur conclamantibus et plaudentibus omnibus episcopis. At Valens postea simul cum Ursacio perfidam et arianam mentem manifestavit. Tunc reapse usiae nomen abolitum est, et Nicaenae fidei damnatio conclamata est. Tunc ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est. Non quod Arianus reapse foret aut fuisset, sed quod eo, quo nolebat, modo intellectus, Arianum se publicari et audire obstupuit. « Putavimus, aiunt episcopi, sensum congruere cum verbis; nec in Ecclesia Dei, ubi simplicitas, ubi pura confessio est, aliud in corde clausum esse, aliud in labiis proferri timuimus ». Ibid. n. 19.

3. Sed *apostolicitas* non sufficienter excluditur ab aliis ecclesiis, maxime Orientalibus. Etenim sententia probabilis tenet iurisdictionem episcopalem ab ipso Christo in Ordinatione conferri. Atqui apud ecclesias Orientales Sacramentum Ordinis valide confertur. Ergo ...

Resp. Dist. maior. Sententia probabilis tenet iurisdictionem episcopis ab ipso Christo conferri *mediante approbatione seu cooptatione pontificia,* trans.; independenter ab approbatione pontificia. N.

4. *Saltem sanctitas* immerito dicitur splendere in Ecclesia Romana, in qua tot sunt peccatores, tot vitia grassantur ... Ergo ...

Resp. Negatur antecedens. Verum est in Ecclesia etiam Romana adesse, abundare homines peccatores, indifferentes, practice vix christianos. At inde hoc unum consequitur, quod iam praedixerat propheta Nazarethanus: arctam esse viam, quae ducit ad vitam; in regno Dei una cum tritico concrescere zizania. Sed quicumque fingantur in Ecclesia peccatores, quaecumque supponantur vitia, minime possunt tollere aut obscurare vigentem, splen-

dentem in multis Ecclesiae membris veram sanctitatem. Revoca in mentem quae superius diximus de ingenti et heroico exercitu confessorum, virginum, martyrum, omnis generis sanctorum, quos Ecclesia omni aetate aluit ac efformavit. Ceterum quod attinet peccata et vitia, Ecclesia numquam desiit ea vehementer reprehendere, condemnare, et, quantum potest, eradicare. Porro in hoc apparet Ecclesiae sanctitas. Vis argumenti nostri non tam innititur *maiori numero* iustorum, quam praevalenti virtuti et merito selectorum.

5. Ecclesiae Romanae-catholicae vita et expansio videtur essentialiter alligari civilizationi et culturae graeco-romanae: hinc admittenda videtur vera quaedam inadaptatio catholicismi ad gentes alterius culturae. Atqui haec talis indaptatio opponitur verae et genuinae catholicitati. Ergo ...

Resp. Dist. maior. Ecclesiae Romanae vita et expansio melius et *facilius adaptantur* culturae mundi graeco-romani, in quo demum nostra Ecclesia nata, evoluta ac quasi efformata est, C.; datur *vera inadaptabilitas* Ecclesiae ad gentes diversae culturae. N.

6. At negari non potest ingens adesse discrimen inter primaevam apostolicam Ecclesiam et nostram hodiernam, sive dogmata spectentur, sive praevalens regimen iuridicum ac hierarchicum. Ergo ...

Resp. Dist. antec. Datur discrimen aliquod *accidentale,* C.; vere *substantiale,* N. Ecclesia a Christo fuit instituta ad normam corporis organici vivi. Cuius natura et indoles non respuunt, imo postulant aliqualem progressum, sano sensu utique intelligendum. Si Christus voluit adesse in Ecclesia magisterium vivum et infallibile ad sacrum fidei depositum tuendum et explicandum; quid mirum quod aliquis detur progressus in penitiori dogmatum intelligentia et expositione? Regimen hierarchicum quod attinet, maior charismatum abundantia optime cohaeret cum ipsa natura *nascentis et dilatandae* ecclesiae; intensius vero hierarchiae exercitium necessario postulatur in ecclesia tantopere aucta et ad tot gentes dilatata.

Scholion I. *Quaestio speculativa de notis Ecclesiae*

Egimus in thesi XI et XII de unitate, catholicitate ... ut veris *Ecclesiae proprietatibus;* restat explicandum num et quatenus hae quatuor proprietates sint *verae notae Ecclesiae.*

Nota Ecclesiae sensu *generico* et universali dici potest quidquid veram Christi Ecclesiam notificat seu discernibilem inter aemulantes reddit. Nota Ecclesiae sensu *specifico* et iam technico est proprietas Ecclesiae visibilis et ipsa Ecclesia (concrete spectata) aliquatenus notior. Triplex ergo est conditio notae: Debet esse

imprimis *proprietas* seu attributum verae Ecclesiae necessario competens — Debet dein esse *externe visibilis,* sive in factis externis elucens — Demum debet esse aliquo sensu ipsa Ecclesia (concrete discernenda) *notior,* quatenus vel eam facit primo cognoscere, vel eam, plus minus notam, plenius et clarius discernibilem reddit. Vides iam discrimen inter proprietatem et notam: non omnes proprietates Ecclesiae sunt *visibiles;* vides etiam discrimen inter notam et signa seu motiva credibilitatis. Non omnia motiva credibilitatis sunt *proprietates* rei discernendae. De signis et motivis cred. agitur praeprimis in Tractatu de Revelatione christiana; de notis in Tractatu de Ecclesia.

Nota dividitur in positivam et negativam. *Positiva* est proprietas visibilis verae Ecclesiae *exclusiva,* i. e. quae in falsis sectis reperiri non potest; hinc sola eius praesentia veram Christi Ecclesiam notificat. Nota *negativa* est proprietas visibilis, verae Ecclesiae necessaria quidem, at non exclusiva, quae proinde in falsa secta christiana reperiri *potest,* v. g. apostolicitas materialis. Est ergo nota cuius *absentia* in aliquo coetu subito ostendit illum non esse veram Ch. Ecclesiam; cuius tamen *praesentia* in aliqua Ecclesia solum probat eam *posse* esse veram Ch. Ecclesiam. At notes diligenter velim notam, sic dictam negativam, sic quando contingat eam esse *praesentem* in uno coetu christiano, *absentem* vero in *omnibus* aliis coetibus aemulantibus, eo ipso *induere* vim et functionem notae positivae.

Vis probativa notarum tota quanta pendet ex Christi institutione et promissione. Supponitur ergo apologetice demonstrata divina saltem Christi legatio atque infallibilitas. Quo posito habetur hoc argumentationis schema: Illa est vera Ch. Ecclesia, quae habet omnes notas a Christo suae Ecclesiae promissas ac praedictas. Atqui talis determinata ecclesia, eaque sola, habet praefatas notas. Ergo ... Vides iam *viam notarum dirigi* tum ad illustrandos et confirmandos catholicos, tum ad revincendos illos coetus *christianos* qui admittunt divinam Christi naturam (vel saltem legationem-, necnon librorum sacrorum (maxime evangeliorum- auctoritatem saltem historicam. Via ergo notarum est inepta ad con-

vincendos *incredulos,* qui reiiciunt auctoritatem Christi et evangeliorum. Hi omnes remittendi sunt ad Tractatum de Revelatione Christiana, vel etiam ad viam empiricam.

Usus notarum est antiquissimus in Ecclesia. Irenaeus urget contra Gnosticos quum unitatem catholicam, tum apostolicitatem hierarchicae successionis, tum potentiorem Ecclesiae romanae principalitatem. Cyprianus premit contra Novatianos et Felicissimi asseclas africanos unitatem Ecclesiae e *cathedra Petri* derivatam. « Deus unus est, et Christus unus et Ecclesia una et *cathedra una* super Petrum Domini voce fundata » epistula 43. Optatus Milevitanus et Augustinus extollunt oecumenicam seu catholicam Ecclesiae diffusionem contra Donatistas in angulo Africano reclusos. Alii ad alias notas appellant pro natura et diversitate adversariorum.

Numerus quaternarius notarum est recentioris originis. Initio controversiae cum Protestantibus apologetae catholici appelabant ad notas varias: nunc duas, nunc tres, quatuor, septem, decem, quindecim, centum. Reductio notarum ad quatuor proprietates commemoratas in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano, teste Thils, fuit inchoata (ébauchée) saeculo XVI, lento gradu inducta (réalisée) decursu saeculi XVII, a theologis demum saeculi XIX et XX plene constabilita (stabilisée). Adde quandam consecrationis speciem per Pium IX in Encyclica ad episcopos Angliae (1864) cf. DB n. 1686.

Duplici modo proponi potest via notarum: *vel* concurrente simul primatu, vel praescindendo a primatu, et separando prorsus viam notarum a via romanitatis. Unitas v. g. regiminis potest intelligi, vel regiminis *monarchici,* prout fuit de facto a Christo instituta; vel regiminis *episcopalis* seu collegii episcopalis, vel generatim *unius auctoritatis* supremae. Simile quidpiam fieri potest in apostolicitate etc. Si rem *historice* consideres, ostendit Thils, viam notarum nonnisi serius fuisse separatam a via primatus, idque opera potissimum Gallicanorum vel eorum qui tendentias gallica-

nas plus minus participabant. Nostris tamen diebus usus fere invaluit considerandi notas praescindendo a primatu Petri et Romani Pontificis. Quin imo aliqui ulterius progrediuntur, contenduntque omnem primatus considerationem esse prorsus eliminandam in tota hac controversia de notis Ecclesiae. Sic praeprimis de la Brière, Bainvel, De Guibert, Schultes, alii. Non pauci Auctores praescindunt ab his distinctionibus, hinc oritur quaedam obscuritas et confusio in hac materia. Hac de causa nos in proponendis argumentis utrumque respectum prae oculis habuimus. In nullo ceteroquin documento ecclesiastico, nec in praeparato Schemate Concilii Vaticani, vidimus has notas, puta unitatem Ecclesiae, proponi separatas a primatu.

Quaeritur iam quo sensu et gradu ratio notae verificetur in quatuor praefatis proprietatibus sive singillatim, sive complexive consideratis. Responsio per gradus procedat oportet.

a) Quatuor has proprietates unitatis, catholicitatis ... *complexive sumptas* constituere notam *positivam* verae Ecclesiae docent theologi consentienter omnes, uno forsitam excepto *Urban,* qui et ipse ceteroquin suis cautelis et restrictionibus utitur. Quin imo, ratio notae positivae generatim conceditur tum *unitati catholicae,* tum *sanctitati* eximiae et charismaticae.

b) At theologi separant quod Christus coniunxit, quod Pius IX in coniunctione retinendum docuit scribens: « Vera Iesu Christi Ecclesia quadruplici nota, quam in symbolo credendam asserimus, auctoritate divina constituitur ac dignoscitur; et quaelibet ex hisce notis *ita cum aliis cohaeret, ut ab his nequeat seiungi;* hinc fit, ut quae vere est et dicitur catholica, unitatis simul, sanctitatis et apostolicae successionis praerogativa debeat effulgere ». D. B. n. 1686. Hinc oriuntur novae quaestiones subtiliores quam utiliores, quatenus nempe ratio notae verificetur in his quatuor proprietatibus *singillatim* consideratis.

Positio porro Doctorum varia est: Sunt qui quaestionem radicitus solvunt reiicientes divisionem notae in positivam et negativam. Sic prae ceteris *Schultes.* Apud quem omnis vera nota necessario est positiva, quippe quae essentialiter sit posita in facto aliquo externo et *supernaturali,* quod in falsa secta realizari nul-

latenus potest. Haec positio nobis minime probatur; ab ulteriore tamen discussione abstinendum putamus, quia brevitati consulimus, nec licet disputando vagari liberius. Nostris diebus Auctores communius admittunt divisionem notae in positivam et negativam; at mirifice variant inter se in functione positiva vel negativa *singulis* notis assignanda. Nostra opinio est:

Unitas integre spectata est nota eminenter positiva, siquidem implicat viam primatus. Unitas a Christo praedicta et suae Ecclesiae promissa est unitas regiminis primatialis: « Super *hanc* petram aedificabo Ecclesiam *meam,* et portae inferi non pravalebunt adversus *eam* ». Ad rem Pius IX in laudato superius documento: « Ecclesia igitur catholica una est unitate conspicua ... *ea profecto unitate* cuius principium radix et origo indefectibilis est beati Petri Apostolorum principis eiusque in Cathedra Romana successorum suprema auctoritas et potior principalitas. *Nec alia est Ecclesia catholica* nisi quae super unum Petrum aedificata in unum connexum corpus atque compactum unitate fidei et caritatis (communionis) consurgit ». Hinc palmarium argumentum: Vera Ch. Ecclesia est una unitate *regiminis monarchici.* Atqui sola Ecclesia Romana habet hanc talem unitatem. Ergo ...: Dices forsitan: Nonne Ecclesia v. g. Constantinopolitana habet unitatem regiminis monarchici? Ergo praefatum argumentum ostendit quidem Ecclesiam Ch. non constitui coetibus Orientalibus simul sumptis, at non probat veram Ch. Ecclesiam non reperiri in coetu Constantinopolitano.

Resp. In argumentando habemus prae oculis statum quaestionis, prout poni ab omnibus solet et debet. Nemini venit in mentem disputare vel quaerere num vera Ch. Ecclesia sit apud Romanos, an potius apud Constantinopolitanos solos, omnibus aliis coetibus Orientalibus eliminatis a censu verae Ecclesiae. Accedit quod episcopus Const. non sibi tribuit potestatem *successioni Petri* innixam. Obiecta erga difficultas est vere impertinens. — Dices iterum: At nonne superius institutum argumentum tandem incidit in *viam primatus?* — Ita quidem; at via primatus nihil est aliud quam forma brevior ac decurtata viae notarum. Ceterum Pius IX, pre-

mens vestigia nostrorum maiorum, primatum non separat a via notarum.

Unitas inadaequate considerata, i. e. praescindendo a primatu, rursus manet *nota positiva.* En argumentum: Vera Ch. Ecclesia est una unitate regiminis et communionis. Atqui sola Ecclesia Romana habet hanc talem unitatem. Ergo sola unitatis consideratione veritas Ecclesiae Romanae invicte probatur. Vix reperias auctorem (catholicum) qui non libenter concedat maiorem et minorem huius syllogismi. Quo posito, non apparet ratio quare de veritate consequentis dubitetur. Dices: Nonne fieri potest ut coetus protestantici et Orientales aliquando obineant unitatem regiminis? *Resp.* Ex defectu unitatis *actuali* in coetibus christianis acatholicis legitime concluditur veram Ch. Ecclesiam in eis nunc non reperiri. Quo posito et retento, impossibile iam fit ut vera Ch. Ecclesia aliquando fiant, quum haec sit indefectibilis et perpetua, ab initio rei christianae existens. Ut superius observavimus, notae sic dictae negativae *praesentia* in uno coetu christiano, *coniuncta* cum simultanea eiusdem *absentia* in omnibus aliis coetibus aemulantibus eo ipso induit vim notae positivae.

Novo adhuc argumento ostendi posset vis apologetica positiva implicata in nota unitatis vel ex sola consideratione *unitas fidei formalis.* Vera quippe Christi Ecclesia debet esse una unitate fidei, determinata ope magisterii authentici et infallibilis semper viventis atque insonantis pro nobis (Mt. 28, 18-20). Ecclesiae porro Protestantes non admittunt tale magisterium; coetuum vero Orientaluim magisterium laborat insanabili mutismi morbo, ut implicite fatentur ipsi Orthodoxi restringentes unitatem fidei ad ea tantum quae in septem prioribus Conciliis sunt definita. Aliis verbis: Vera Ch. Ecclesia habet magisterium infallibile perpetuo duraturum. Atqui Ecclesiae Orientales *amiserunt de facto* hoc tale magisterium, ecclesiae vero protestanticae numquam illud habuedunt. Ergo... Haec quum ita sint, unitas videtur dicenda nota Ecclesiae multifariam positiva.

Catholicitas seorsum considerata estne nota positiva an negativa? Ita quaerunt passim Auctores. At ipsa quaestionis positio videtur nobis absurda. Catholicitas nequit separari ab unitate. Quid

est catholicitas nisi *unius eiusdemque Ecclesiae* lata per orbem diffusio? *Diffusio praescindens ab unitate* non est vera Catholicitas, nec vera Ecclesiae proprietas, sicut homo praescindens ab anima non est verus homo. Hinc catholicitas *singillatim considerata* solum potest significare unitatem (socialem) per orbem diffusam consideratam seorsum ab apostolicitate et sanctitate. At quaestionis sic positae solutio omni caret difficultate. Etenim si sola unitas positive notificat Ecclesiam, qui fieri possit ut unitas catholica deprimatur in conditionem notae negativae. Adde miraculum in unitate catholica implicatum, et a Christo praedictum.

Apostolicitas si integre et adaequate spectetur, implicat iam successionem perennem in sede primatiali principis Apostolorum; hinc incidimus in viam primatus. Porro si praescindas a primatu, apostolicitas *materialis,* dicenda est nota tantum negativa. Siquidem successio materialis, potest adesse, et *de facto adest* in coetibus Orientalibus separatis. Apostolicitas vero *formalis* vix potest dici vera Ecclesiae nota, quum non sit notior ipsa Ecclesia. Seposito namque primatu, duae restant viae ad probandam legitimatem missionis: unitas nempe socialis et catholica. Cognita porro sola unitate, sive sociali, sive catholica, eo ipso iam cognoscitur vera Ecclesia. Apostolicitas ergo formalis, nedum notificet Ecclesiam, ab ipsa Ecclesia iam cognita notificari videtur, nisi forte recurras ad ipsam schismatis seu separationis originem historice consideratam, in qua, ut supra notavimus, cruentum scissurae vulnus obtegi vix poterit.

Sanctitas demum videtur nobis dicenda nota eminenter positiva, si integre spectetur; nempe quatenus importat largam mediorum *copiam,* fervidam, intrepidam, et constantem ipsorum *applicationem,* et uberem demum *fructificationem* collucentem in conspicua membrorum sanctitate non mere vulgari, sed eximia et heroica. Ex fructibus eorum cognoscetis eos. Ad hanc notam appellat Christus in sua oratione sacerdotali, postulans a Patre « ut omnes unum sint ». *Ut cognoscat mundus* quia tu me misisti. Suo loco notavimus agi in hac oratione de unitate informata splendida sanctitate, quippe quae sit fructus *vitae divinae* derivatae

ex Patre in Christum, et ex Christo in nos. « Ego *claritatem* quam mihi dedisti, *dedi eis, ut unum sint,* sicut et nos unum sumus ».

Scholion II. *De catholicitate qualitativa secundum A. de Poulpiquet*

1. Dedimus notionem catholicitatis, qualis exhiberi apud Auctores passim consuevit. At hic conceptus non placet P. Poulpiquet. Qui putat eum indigere aliquali reformatione, non quia sit falsus, sed potius incompletus. Venit ergo R. P. non solvere, sed adimplere. « La catholicité de l'Eglise se composerait, d'après les auteurs classiques, des trois facteurs suivants: *unité, chiffre considerable des adhérents, extension géographique*... Les définitions qui précèdent insistent donc uniquément sur le coôté extérieur et quantitatif de la catholicité. En epuisent-elles toute la notion? Nous ne le pensons pas. Il est bien certain que l'unité, le nombre des fidèles, l'extension géographique en sont des parties intégrants, mais, croyon-nous, ces divers elements possèdent en plus un aspect *qualitatif* qui les complète, les explique, en les rattachant à la cause intime d'où ils procedent, et permet ainsi à la catholicité de l'Eglise d'atteindre sa pleine valeur de motif de credibilité. Revue des Sciences Philosophiques et Théologiques (1909), p. 17.

2. Tria praefata elementa sunt praerequisita necessaria quidem, at minime sufficientia ad salvandam in catholicitate rationem sive *proprietatis,* sive *notae*: « Il reste donc que l'extension géographique et une quantité imposante de fidèles sont les conditions nécessaires de la catholicité. Sont-elles cependant les conditions suffisantes, soit de la catholicité-proprieté, soit de la catholicité-note? Nous ne le pensons pas. Voici pour quel motif... Le nombre et l'universalité dans l'espace appartiennet en définitif, et quoi qu'on fasse, à l'ordre de la *quantité* celui qui, dans l'échelle des valeurs ontologiques occupe le degré infime à cause de son rapport immédiat avec la matière. Il est donc difficile avec des éléments de qualité aussi inferieur, de determiner, en remontant de l'effet à la cause, la proprieté d'une societé divine et surnaturelle

comme l'Eglise. La conclusion et les premisses ne sont-elles pas séparées de toute la distance de l'ordre des corps à l'ordre des esprits? Et comme la note a pour fonction de manifester extérieurement la propriété, la catholicité-note de l'Eglise ne sera motif de crédibilité, que si cette universalité numerique et spatiale incarne une réalité d'une essence supérieur à la quantité ». ibid. p. 20-21.

Breviter ergo: Conceptus catholicitatis secundum auctores classicos implicat: *a*) unitatem fidei et regiminis; *b*) diffusionem numericam; *c*) extensionem geographicam. Hic porro conceptus est verus, sed incompletus. Adaequatus catholicitatis conceptus requirit; *d*) vim quandam secretam ac divinam quae tribus prioribus elementis tribuant rationem cum existentiae, tum motivi credibilitatis. Reliquum est ut huius conceptionis crisim breviter instituamus.

3. Tota haec theoria videtur nobis innixa multiplici falso supposito:

a) Auctores classici passim distinguunt catholicatem *iuris* et facti. Porro catholicitas iuris, prout generatim intelligitur, implicat non merum ius et officium, sed veram quoque *aptitudinem et virtutem* qua ex divina institutione pollet Ecclesia ad numericam et spatialem sui per orbem diffusionem. Hanc aptitudinem et virtutem multi Auctores explicite commemorant, notantque eam esse divinam et supernaturalem ex auxilio divino a Christo promisso derivatam. Ipse P. *Pesch,* qui est unus ex tribus auctoribus citatis a Poulpiquet, expressis verbis loquitur de hac virtute supernaturali; et quidem in ipso loco allegato a Poulp., scribens: « Ecclesia dicitur *absolute catholica,* quatenus ita per orbem terrarum propagata est, ut ubique visibilis sit; dicitur *relative catholica,* quatenus numero membrorum omnem alium coetum christianum haereticum vel schismaticum visibiliter superat. Haec altera catholicitas videtur recte iam inde deduci, quod *gratia Dei soli verae ecclesiae adest eiusque labores fructuosos reddit ultra id, quod vires humanae per se possunt* ». Praelectiones Dogmaticae, Tomus I, 1909, p. 276, n. 406. Vides catholicitatem implicare apud Auctorem classicum simul cum unitate, diffusione

numerica et geographica, *virtutem quoque divinam* ordinem quantitativum facile exorbitantem.

b) Videtur nobis errare Poulpiquet supponens ipsam extensionem numericam et geographicam iuxta maiorem partem Auctorum contineri in ordine mere quantitativo. Etenim merum factum extensionis numericae et geographicae, quale concipitur passim ab Auctoribus, supponit diffusionem dilatatam ad gentes natione, lingua, cultura, conditione intellectuali, politica, sociali diversas. Quum vero nemo admittat effectum sine causa proportionata, evidens est in ipso facto concreto praefatae extensionis implicari universalismum qualitativum i. e. secretam divinamque virtutem qua Ecclesia ita se diversis particularismis accommodat, ut omnes demum differentias transcendat et superet. Id tandem videtur concedi ab ipso Poulpiquet, apud quem universalismi qualitativi signa clarissima sunt ipsi characteres proprii proselitismi romani, quippe qui sit internationalis, constans et supernaturalis. Atqui Auctores passim hos tales characteres admittunt et commemorant ut ipse P. fatetur scribens in fine sui articuli: « Comme la *plupart des manuels classiques mettent en bonne lumière* ce triple caractère du prosélytisme romaine et montrent qu'on ne le retrouve pas, au moins à degré égal en dehors d'elle, nous nous permettons d'y renvoyer le lecteur » o. c. p. 36. Nonne hoc idem est ac palam confiteri Auctores manualium admittere universalismum sic dictum qualitativum?

c) Ipsa argumentatio Poulpiquet nobis non probatur. Supponit R. P. vim notificativam catholicitatis necessario pendere ex su charactere miraculoso et supernaturali. At hoc suppositum videtur esse falsum. Notae, quandiu intra meram viam notarum sistimus, manifestant veram Christi Ecclesiam, non praecise et necessario quia sunt externae manifestationes alicuiuis virtutis supernaturalis, sed quia sunt realizationes praedictionis et promissionis divinae. Argumentum videlicet sic procedit: Vera Christi Ecclesia secundum effata prophetica, evangelica, apostolica (et patristica) est catholica catholicitate morali et simultanea. Atqui Ecclesia romana, eaque sola, habet hanc diffusionem cum unitate coniunctam. Ergo...: Vides argumentum perfecte concludere, omisso omni re-

spectu supernaturalitatis implicatae in catholicitate. Verum quidem est Christum praedixisse et promisisse catholicitatem quae demum est fructus auxilii divini specialis; sed in argumento innixo viae notarum licet perfecte praescindere ab hoc respectu miraculoso. Etiam unitas regiminis, a Christo Ecclesiae promissa et praedicta, est unitas regiminis monarchici (Mt. 16, 18-19). Nihilominus quamplurimi Auctores praescindunt ab hoc charactere monarchico. Audias *ipsum Poulpiquet* optime argumentantem: « Il n'y a pas de véritable universalité sans unité. La diversité que nous avons constatée dans l'Eglise catholique s'allie à la plus ferme unité. Mais l'unité fait défaut en totalité ou en partie aux Eglises separées: elles manquent donc de ce chef de la condition requisée pour réaliser l'universalité ». L'Eglise catholique, p. 228. Vides argumentum facile et limpide procedere omissa prorsus omni supernaturalitatis consideratione ac respectu.

d) Dubitari demum posset num huic catholicitati qualitativae vere competat *ratio notae Ecclesiae.* Siquidem tota haec mira qualitas seu virtus divina ac supernaturalis est demum quid *internum ac invisibile,* quod eatenus potest veram Ecclesiam notificare, quatenus manifestatur fitque visibilis in externa Ecclesiae diffusione. « Que cette universalité exterieur n'exclut pas ce qu'on nomme la catholicité qualitative, qu'elle trouve même dans celle-ci la condition indispensable de son existence, nous l'accordons volontiers; mais *nous dénions à cette dernière le caractère de note de l'Eglise, et croyons au surplus qu'il n'y a pas lieu de detourner les termes de leur sens traditionnel* ». *L. Kerkhofs* in Revue ecclésiastique de Liège 1926-1927, p. 281.

e) Ipsa tandem notio catholicitatis qualitativae aliquatenus confusa apparet. Tota forte quaestio ultimatim ad modum loquendi reducitur. Nobis certe minime probatur epitheton *quantitativae* adeo insistenter ac dedignanter iteratum ad designandum traditionalem et classicum catholicitatis conceptum. Splendida Ecclesiae extensio, tanta unitate devinciens tot populos, gentes, culturas, tot demum particularismos *adeo qualitative diversos,* protestne apte dici phenomenon mere quantitativum? Quod si praefata extensio ratione sui characteris quantitativi inepta proclamatur ad

revelandam divinam Ecclesiae originem ac naturam, qua tandem arte fit, ut eadem extensio apta censeatur ad manifestandam miram illam ac secretam *qualitatem,* in qua catholicitas qualitativa demum reponitur? Quidquid de his sentias, nos libenter ac gratanter agnoscimus P. Poulpiquet integralem catholicitatis conceptum in optima luce collocasse. Nisi quod perlucida ipsius expositio a via notarum aliquatenus recedere, et ad viam empiricam propius accedere videtur.

Scholion III. - *De via notarum in recenti quodam opere*

Via notarum vehementer impugnatur a G. *Thils* in opere « Les notes de l'Eglise dans l'apologétique catholique depuis la Réforme », 1937. Huius operis tertia pars titulum gerit: « Jugements portés sur la via notarum ». At iudicia colliguntur eorum tantum scriptorum, qui viae notarum contrarii iure vel iniuria censeri possint. Apparet iam tendentia huius partis, quae tota quanta dirigitur ad dehonestandam ac enervandam viam notarum, quae demum pronunciatur confusa, deficiens inopportuna, inefficax. « Telle q'uelle est proposé au XXe siècle, la *via notarum* est complexe et confuse... L'argument de la *via notarum* est très deficient... Aussi n'est-il pas étonnant d'entendre appeler la *via notarum* un argument inopportun, ou actuellement inefficace, et en tout cas superflue, p. 342-343. Dubium tamen permittitur circa *totalem huius viae inefficaciam.* « Mais est-on autorisé pour autant, à lui dénier toute valeur? On peut, et il faut, selon nous, en douter ». p. 349. — Totius operis recensionem, et huius tertiae partis longam crisim instituimus in *Gregorianum,* vol. XIX (1938), p. 88-109; 4451468. Licebit ergo nobis impraesentiarum esse breviaribus.

Obiectiones contra viam notarum ad quinque capita revocari possunt.

1. Auctores catholici non consentiunt inter se in terminologia, in numero notarum, in conditione notae ut sic, in definitione

singularum notarum. Ergo via notarum dicenda est saltem confusa et obscura.

Resp. Qaternarius notarum numerus au XXe siècle, et multo antea recepit unanime Doctorum suffragium. Accedit quaedam consecrationis species in celebri PiiIX documento superius commemorato: cf. DB; n. 1686. Variationes in nomenclatura, si quae sint, sunt prorsus innocuae, ut ipse Thils fatetur scribens: « Les variations dans la terminologie et le nombre de notes ne portent pas à consequence, à condition que les apologistes montrent de temps à autre — comme ils l'ont fait d'ailleurs — que la réduction a quatre notes est possible, et que elle a même un fondement philosophique », o. c. p. 293. — Quod attinet dissensum Auctorum in stabilienda notione notae ut sic, oportet distinguere. Auctores unanimiter docent notam esse proprietatem Ecclesiae visibilem, ipsa Ecclesia (concreta) aliquatenus notiorem. Dissentiunt vero in admittenda divisione notae in positivam et negativam. At haec dissensio efficaciam viae notarum intactam relinquit, quum omnes admittant complexum saltem quatuor notarum esse notam positivam. — Demum quod attinet definitionem quatuor singularum notarum, auctores hodierni unanimi suffragio contestantur veram Christi Ecclesiam esse fide (totali), regimine et communione unam; catholicam universalitate iuris et facti morali, simultanea, perpetua; apostolicam origine, doctrina et successione cum materiali tum formali; sanctam sanctitate activa et passiva, eaque non vlgari tantum, se eximia et heroica. — Thils obicit graves dissensiones inter Auctores eiusdem aetatis, eiusdem familiae religiosae: P. de la Brière excludit romanitatem a via notarum. P. de Guibert includit romanitatem ita quidem, ut eam reddat elementum *formale* unitatis, et principium apostolicitatis. Ergo frater cum fratre contendit. *Resp.* Thils *totaliter deformat* positionem P. de Guibert, qui in *eadem pagina* a Thils citata iterato advertit se praescindere a primatu Petri et Romani Pontificis in questione de via notarum; quin imo appellat ad P. de la Brière *quem citat* et sequitur. Data dein, et non concessa, praefata dissensione, nihil inde sequitur contra viam notarum. Quae efficaciter proponi po-

test sive concurrente primatu, sive praescindendo ab omni primatus consideratione.

2. Via notarum supponit auctoritatem Christi, necnon librorum sacrorum vel etiam primitivae Ecclesiae a litigantibus communiter admissam. Atqui Protestantes hodierni, in rationalismum ut plurimum delapsi, haec praesupposita iam non ampluis admittunt. Ergo via notarum hodie ut inutilis et inopportuna haberi debet.

Resp. Via notarum manet etiam hodie utilis et opportuna: *a*) ad illustrandos et confirmandos in sua fide catholicos; *b*) ad revincendos fratres Orientales separatos, qui praedicata supposita retinent; *c*) ad convincendos item illos Protestantes qui divinitatem Christi et sacrorum librorum auctoritatem saltem historicam admittunt; *d*) etiam via empirica supponit possibilitatem miraculi moralis. Atqui quamplurimi Protestantes liberales non admittunt hanc possibilitatem. Ergo ipsa quoque via empirica proclamanda iam esset inutilis et inopportuna.

3. Sed via notarum innititur syllogismo cuius nec maior nec minor umquam vere et perfecte demonstrata est. « A son tuor, l'argument de la *via notarum* souffre de graves défauts. Il s'exprime, on s'en souvient, comme suit: le Christ a doté son Eglise de signes distinctif, et ceux-ci se truovent réalisés dans l'église catholique romaine et en elle seule: celui-ci en conséquence, est véritable. La majeure comporte une affirmation sur l'existence, le nombre, et surtout la notion des notes; la mineure sur la réalisation adéquate dans l'Eglise catholique. Or, ni l'une ni l'autre ont été parfaitement prouvées », o. c. p. 328.

Resp. Quod gratis asseritur, gratis negatur. Noti sunt textus prophetici, evangelici, apostolici, patristici, in quibus optimi quique Auctores, antiqui et moderni, assertam vident et praenuntiatam Ecclesiam Christi unam, sanctam, catholicam et apostolicam sensu superius descripto. Thils opinatur hanc interpretationem esse falsam aut laxiorem. At proh dolor non est dignatus aperire ubinam lateat vitium argumentationis, nec novam felicioremque exegesim indigitatam voluit. Advertas veritatem Ecclesiae roma-

nae invicte demonstrari vel ex prima tantum nota unitatis in fide, regimine et communione, quam maiorum vestigia prementes, sufficientetr demonstravimus in utraque hypothesi sive inclusi, sive exclusi primatus. Idem dixeris de catholicitate ceterisque proprietatibus in quibus etiam *singillatim* sumptis positivam notam deteximus. Idem ergo a fortiori sentias de complexu quatuor simul notarum.

4. Sed hae quatuor notae videntur reperiri etiam in aliis coetibus christianis, maxime Orientalibus. Ergo minor syllogismi, et tota demum demonstratio inefficax deprehenditur. « Certains théologiens admettent que les groupements non romains participent dans une certaine mesure des quatre notes, et cette participation, toute partielle qu'elle est, semble souffre à rendre inopérant la *via notarum* » o. c. p. 339.

Resp. a) Ad legem sanae methodi scientificae et sensus critici quaestio de harum notarum praesentia in aliquo coetu christiano non est solvenda ex concessionibus, quas *quidam* facere utcumque possint. Oportet serio et pacate examinare num horum affirmationes gravi fundamento innitantur.

b) Theologi et Apologetae catholici omnes, uno forsan quadantenus excepto Urban, negant unitatem regiminis (hinc et communionis) non tantum Protestantibus, sed etiam Orientalibus. Unanimem Doctorum catholicorum sententiam iure persentias in verbis cl. *Jugie*: « Si nous considerons ce que nous avons appellé l'Eglise gréco-russe, c'est-à-dire l'ensemble des Eglises autocéphales actuelles issues de l'ancienne Eglise byzantine, *il est trop visible* qu'elle est privée de l'unité de gouvernement ». Dict. Theol. t. 27, c. 1047. Nimis longum et otiosum feret multiplicare testimonia theologorum, eorum cumprimis qui hac in re maxima pollent auctoritate. Absentia porro unitatis socialis impossibilem reddit veram catholicitatem. Apostolicitatem formalem seu legitimae missionis concedere sive Protestantibus, sive sectis Orientalibus inter *catholicos* ausit nemo. Et quis non videt discrimen *vere specificum* inter sanctitatem romano-catholicam et graeco-russicam, sive sanctos canonizatos consideres, sive Ordines et Instituta religiosa perpendas, sive zelum et dynamismum missionarium cogites?

5. Sed Auctores, qui *sensu critico* praevalent et examinant viam notarum, in quendam scepticismum demum vergunt in tota hac controversia de via notarum. Ergo iure merito de ipsius efficacia dubitaveris. « Si des apologistes qui transcrivent en les démarquant les ouvrages de leurs prédécesseurs ne semblent manifester aucun embarras au moment où ils abordent le chapitre *De Notis,* ceux qui entreprennent l'examen critiquement ne cachent point leur déconvenue, et les articles qui relatent ses conclusions sont semblables à des cahiers de *gravamina*: qu'on lise, pour s'en convaincre, ce qu'ont écrit Urban, Spácil, et Schultes » o. c. p. 290.

Resp. a) Thils supponere videtur fere omnes Doctores catholicos — quot et quantos — aggressos esse hoc caput *De notis* sine sensu et examine critico. At haec talis suppositio videtur nobis gratuita, falsa, audax nimis.

b) Auctores, qui hoc problema de notis critice examinaverunt, sunt secundum Thils sequentes: Schultes, Spácil, Jugie, Dieckmann, De Guibert, Kleutgen, Tanquerey, maxime vero Urban. Sed estne verum hos Auctores considerasse viam notarum ut confusam, inopportunam, inefficacem? Audias v. gr. Schultes in opere « De Ecclesia catholica », 1925. Proposito *problemate methodologico* de via praeferenter ineunda ad detegendam seu probandam veram Christi Ecclesiam, sic decernit: « Apologetica melius, *efficacius et convenientius* ad finem et rationem propriam *ex notis Ecclesiae procedit,* ad probandam scilicet institutionem et veritatem divinam Ecclesiae catholicae ». Putasne has conclusiones esse vere semblables à des cahiers de *gravamina?* Quod si rationes quaeras praestitutae electionis, respondet cl. Auctor: « Multiplex utilitas et ratio suadet ut in apologetica *scientifica* ex notis procedamus. Nam primo est via *traditionalis*. Secundo controversia de veritate Ecclesiae catholicae est proprie cum asseclis aliarum ecclesiarum, sive haereticarum, sive schismaticarum, qui scilicet admittunt tum institutionem alicuius Ecclesiae, tum divinitatem Christi, tum inspirationem divinam S. Scripturae: unde argumentatio ex notis procedens erit *magis propria, efficax et perfecta* », o. c. p. 158. En rursus *gravamina* viri critici contra

viam notarum! Quod dixi de Schultes repetendum fere esset de aliis auctoribus supra nominatis, excepto Urban, qui, levissimis ceteroquin rationibus motus, opinatur viam notarum esse modificandam in controversia potissimum cum Russis. Cf. de his omnibus articulos, supra commemoratos, in *Gregorianum.*

6. Notae vel summuntur seorsum singulae, vel collective omnes. Porro si summuntur singillatim, nequeunt veram Ecclesiam positive notificare, ut clare ostendunt aeterna theologorum dissidia. Si vero summuntur collective, eatenus Ecclesiam notificant, quatenus complexus quatuor notarum constituit verum quodam miraculum morale; at tunc incidimus in viam empiricam seu transcendentiae. Ergo via notarum demum non consistit. « On pourrait croire que le recours aux autres notes pour constituer l'unité positive laisse intacte la valeur de l'ensemble des notes. Mais cet ensemble fait précisément figure de preuve, parce qu'il constitue un miracle moral ». o. c. p. 209.

Resp. Notae manifestant veram Christi Ecclesiam quum singulae seorsum, tum vel maxime collective omnes. Rem totam superius ostendimus. Unde breviter:

a) Singulae imprimis notae veram Ecclesiam sufficienter notificant. Sumas v. gr. *unitatem.* Vera Ch. Ecclesia est una unitate regiminis. Atqui sola Ecclesia romana habet hanc unitatem inter omnes coetus litigantes. Ergo vel sola unitas regiminis veram Ecclesiam notificat. *Dices*: At quare tunc Doctores litigant inter se? — *Resp.* Solutio quaestionis non debet perenniter pendere ab humanis dissidiis, sed ab obiectiva rei veritate sincere et accurate examinata. Theologos hac de re disputare et dissidere facile admitto. Sed admissa semel maiori et minori propositione, estne rationale negare consequens? Ut hanc inconsequentiam clarius videas, considera casum concretum. Aemilius *Dorsch,* proposita quaestione de vi notificandi positiva vel negativa *unitati* tribuenda, solvit quaestionem negando unitati characterem notae positivae: « Christus certe nil de modo notificandi, num nimirum unitas positive, an negative tantum cognitioni inserviat, accuratius determinavit... *Quare* unitatem magis indeterminate considerabimus,

eamque *ut notam de se negativam* defendemus ». Instit. Theol. Fundam. 1928, p. 644. Nihilominus *idem Aemilius* in eodem opere incunctanter asserit: « *De facto autem et re in concreto ordine* spectata omnes nostrae quatuor notae, *etiam pro se singulae,* munus subeunt *notae positivae* — per viam nempe exclusionis. De facto enim ecclesiam catholicam cum reliquis coetibus christiani nominis comparantes, absque negotio nobis persuadebimus nullum horum vel una ex istis notis debito modo exornatum esse praeter hanc unam ecclesiam ;*unde statim ex consideratione et applicatione vel unius notae merito veram Christi ecclesiam invenire possumus.* o. c. p. 640. Advertas unde magnam partem oriantur ista dissidia theologica: problemata ponuntur non in *ordine concreto,* qui unice in rem venit, sed in *ordine metaphysico* et possibili. Ideo superius asseruimus has quaestiones esse subtiliores, quam utiliores...

b) Quatuor notae collective sumptae veram Ecclesiam notificant *triplici titulo. Primo* quidem quatenus verum quoddam miraculum morale constituunt; tunc vero *per se seipsas,* omisso nempe omni respectu ad Christi praedictiones et promissiones, veritatem Ecclesiae demonstrant: Et haec est via empirica de qua subito sermo recurret. *Deinde* quatenus sunt proprietates externae Ecclesiae vere supernaturales *a Christo praedictae* et promissae. Sic eas considerat Schultes, ideoque contendit quatuor has proprietates tum collective, tum etiam singillatim esse totidem notas positivas. *Demum* quatuor hae proprietates ostendunt Ecclesiam veram, quatenus sunt notae a Christo praedictae et Ecclesiae suae promissae, praescindendo ab omni respectu supernaturalitatis, et considerando tantummodo actualem earum praesentiam in coetu romano, absentiam in aliis coetibus christiani nominis. Sic procedunt quamplurimi Auctores.

Nota: *a*) Thils in scriptis posterioribus semel et iterum fatetur se admittere *obiectivam* efficaciam viae notarum. Hanc affirmationem gratanter recipimus; at non clare videmus quomodo illa cohaereat cum iterata et numquam retractata assertione de via notarum innixa argumento, cuius nec maior nec minor propositio umquam demonstrata est.

b) Refutavimus obiectiones Thils contra viam notarum. At caveas diligenter ne inde iudicium sinistrum efformes de toto eius opere. In quo multa egregia et valde utilia reperies, si totum librum attende perlegeris. Suum cuique.

Scholion IV. *De via empirica seu transcendentiae*

Veram Christi Ecclesiam esse Romano-catholicam ostendimus duplici via: Romanitatis et notarum. Restat proponenda tertia via, quae *empirica* seu trascendentiae audit. In animo quidem erat hoc iucundum argumentum latius evolvere; at tempus premit, et brevitas urget nos. Quum aliunde non liceat totam hanc quaestionem penitus praetermittere, pauca quaedam puncta ordinate subiungimus, quibus lector manuducatur ad rectam intelligentiam totius argumenti, quod late evoluntum apud Auctores facile reperiet.

1. *Materiam et structuram* argumenti praebet Concilium Vaticanum (D. B. n. 1794): « Ad solam enim catholicam Ecclesiam ea pertinent omnia quae ad evidentem fidei christianae credibilitatem tam multa et tam mira divinitus sunt disposita. Quin etiam *Ecclesia per se ipsa,* ob suam nempe admirabilem propagationem, eximiam sanctitatem, et inexhaustam in omnibus bonis foecunditatem, ob catholicam unitatem invictamque stabilitatem magnum quodam et perpetuum est motivum credibilitatis et divinae suae legationis testimonium irrefragabile ».

2. *Processus ergo argumentationis* imprimis notetur. Via primatus et notarum habet processum communem: *Ex Christo ad Ecclesiam*: Ex Christo praedicente et promittente figuram Ecclesiae monarchicam — ad Ecclesiam Romanam realizantem hanc talem formam socialem (Via primatus). Ex Christo vaticinante totam compaginem ecclesiasticam unam, catholicam, apostolicam, sanctam — ad Romanam rursus Ecclesiam in qua una talis compago reperitur (via notarum). Via empirica habet processum inversum: *ex Ecclesia ad Christum.* Ex Ecclesia Romana tribuente

sibi originem divinam et christianam — ad Christum Deum confirmantem hoc Ecclesiae testimonium. Ecclesia nempe Romana testatur se esse a Christo fundatam, infallibilem sacri depositi custodem, legitimam mediorum salutis dispensatricem, unicam viam salutis. Ad hoc testimonium comprobandum appellat, sicut olim Christus, ad sua opera: ad suam nempe mirabilem diffusionem, sanctitatem, unitatem catholicam, etc. Philosophicum porro horum operum examen, ostendit transcendentiam ipsorum, quippe quae non possint explicari per solas vires naturales. Hinc sequitur Deum suo speciali auxilio sustentare ac fovere Ecclesiam Romanam, et consequenter confirmare testimonium quod haec Ecclesia sibi tribuit. Simplex argumenti forma syllogistica posset sic exhiberi: Ecclesia Romana attestatur se esse veram Christi Ecclesiam. Atqui Deus approbat hoc Ecclesiae testimonium. Ergo praefatum testimonium credibile est. Minor probatur: Ecclesiae Romanae diffusio, stabilitas, unitas, foecunditas et sanctitas implicant specialem Dei interventum. Atqui Deus prae sua veracitate infinita nequit diffundere, conservare, unire, foecundare, sanctificare Ecclesiam, quae falso sibi tribuit originem divinam. Ergo Deus approbat testimonium Ecclesiae de se ipsa.

3. *Praerogativae* seu privilegia specialia huius viae empiricae solent ab Auctoribus commemorari sequentia: *a*) Uno et eodem argumento probatur origo divina tum Christianismi tum Catholicismi; *b*) Haec forma argumentandi apta est ad convincendos tum christianos acatholicos, tum ipsos paganos, modo admittant existentiam Dei et miraculi possibilitatem; *c*) Processus argumentationis est multo simplicior, quam in via notarum; quae necessario praesupponit historice probatam tum Christi, tum librorum sacrorum auctoritatem. In via empirica, facto directe recursu ad Deum, supprimuntur omnes difficultates ex praedicta demonstratione provenientes; sed advertas in hac via implicari novas, nec parvas, difficultates provenientes ex necessitate demonstrandi characterem supernaturalem illorum operum, de quibus supra; *d*) Ipsa indoles argumenti prae sua ubertate ac venustate apta est non tantum intellectum illustrare ac convincere, sed cor etiam allicere totumque hominem commovere; inde usus eius frequen-

tissimus iam inde a primis temporibus apud apologetas, scriptores atque oratores christianos. At manet quaestio praecipua, num haec via transcendentiae sit aliis efficacior.

4. *Probationem* quod attinet, tria sunt ostendenda: *a*) Ecclesiam romanam tribuere sibi originem divinam et christianam; *b*) appellare ad illa facta supra descripta, ad propagationem nempe, consistentiam, unitatem, foecunditatem, sanctitatem; *c*) haec opera esse *reapse miraculosa*. Horum duo priora sunt evidentia. Hinc totum probationis pondus stat in puncto tertio. Oportet videlicet demonstrare phaenomenon ecclesiasticum, in tota sua compacta atque catholica unitate, sua inexhausta foecunditate, sua demum conspicua atque eximia sanctitate, esse phaenomenon vere transcendens, ideoque superans vires ac leges quibus reguntur reliqua instituta mere humana ac naturalia.

De miraculo implicato in prima Christianismi diffusione necnon in reliqua subsequenti atque immota stabilitate egimus in nostro Tractatu de Revelatione christiana (p. 246-275). — Ibidem ostendimus doctrinam quoque christiano-catholicam prae sua puritate, integritate, ubertate, sanctitate, sublimitate, harmonico partium concentu, ac multiformi, qua pollet, efficacitate, omnem vim atque inventionem humanam superare (p. 226-246). — Ecclesiam romanam fulgere sanctitate heroica et charismatica patet ex his quae disputavimus in thesi XIII huius Tractatus. Processus beatificationis et canonizationis in Ecclesia romana requirit tum severam de virtutibus heroicis inquisitionem, tum existentiam *miraculorum* bene comprobatam. Unitatem catholicam, inexhaustam foecunditatem et reliqua phaenomeni ecclesiastici elementa requirere interventum divinum, sobria et accurata indagine ostendit cl. Dieckmann, De Ecclesia, Assertio 23, p. 515-538. Ubi totam hanc materiam diligenter pertractatam reperies simul cum copioso conspectu bibliographico.

Scholion V. *De novo tentamine demonstrationis catholicae*

Novum demonstrationis catholicae tentamen recenter inauguratum est opera cl. M. Jugie in libro cui titulus « Où se trouve le christianisme intégral ». Duplex pars potest distingui in hoc tentamine: prior agit de *via notarum reformanda;* altera exhibet *novum typum demonstrationis.* Pauca de singulis.

I

De via notarum reformanda

Opinatur cl. Jugie viam notarum, qualis proponi ut plurimum consuevit, esse intrinsecus defectuosam, ideoque reformandam. Profecto processus argumentationis in via notarum huiusmodi est: vera Ecclesia ex ipsa Christi institutione praedita est quadruplici proprietate notificante: unitate, sanctitate, catholicitate, apostolicitate. Atqui inter hodiernos coetus christianos sola ecclesia romana-catholica possidet has quatuor proprietates. Ergo haec sola est vera atque legitima Christi Ecclesia.

Argumentum sic propositum laborat intrinseco defectu, qui vim ipsius apologeticam obscurat, enervat, imo destruit. Defectus oritur ex duplici capite: primo quidem et maxime ex parte propositionis minoris; dein ex parte propositionis maioris.

Minor propositio in praefato syllogismo praesupponit et asserit quatuor illas proprietates unitatis, sanctitatis, catholicitatis et apostolicitatis reperiri in *sola ecclesia* romana--catholica. Atqui hoc praesuppositum est aperte falsum; siquidem oportet sincere fateri quatuor praedictas proprietates in ecclesiis quoque dissidentibus, praeprimis in ecclesia orientali separata, certo quodam gradu et perfectione reperiri.

« Il faut reconnaitre franchement que les quatre propriétés et notes marquées au symbole ne sont pas tellement propres à la véritable Eglise qu'on ne puisse les rencontrer à l'état mutilé et imparfait dans les Eglises fausses » o. c. pag. 245.

Maior quoque propositio laborat multiplici difficultate, atque praeprimis quodam apriorismo arbitrario.

« Tout d'abord, pour que la majeure soit claire, il faut 1) définir ce qu'est un trait distinctif, une *note* de l'Eglise, en fixer les conditions; 2) dire en quoi consiste chacune des quatre notes indiquées dans le symbole, en donner une définition. Or, ce n'est pas chose si facile ni pour le premier point ni pour le second... Plus difficile est de donner une définition des quatre propriétés et de montrer comment chacune joue le rôle de marque, de trait distinctif. Sauf l'apostolicité, qui implique dans sa notion un élément historique, les trois autres propriétés sont des termes abstraits, susceptibles de bien des significations. *C'est surtout dans ces définitions que l'arbitraire peut se glisser est s'est glissé en effet* » o. c. pag. 242.

Summatim ergo: Via notarum exhiberi consuevit syllogismo, cuius minor propositio laborat vitio *exclusivitatis,* maior vero vitio *arbitrarietatis.* At inde non sequitur viam notarum esse relinquendam, ut nonnemo audacius contendit. « Est-ce à dire qu'il faille totalement l'abandonner? Nous pensons qu'il y a moyen de l'utiliser d'une manière efficace en abandonnant la méthode de l'affirmation absolue pour lui substituer la méthode comparative ou de transcendance » o. c. p. XXIII. Via ergo notarum indiget non totali eliminatione, sed apta quadam reformatione. Haec porro reformatio fieri potest modo sequenti:

a) *Ad reformandam propositionem minorem* oportet relinquere methodum affirmationis absolutae, et adhibere methodum comparativam ac transcendentem. Apta ergo syllogismi forma foret huiusmodi:

« Jesus-Christi a doté son Eglise de quatre traits distinctifs, à savoir: l'unité, la sainteté, la catholicité, l'apostolicité. Or, parmi les Eglises actuellement existantes, l'Eglise catholique romaine possède ces traits distinctifs à un degré de beaucoup supérieur. Donc, elle est la véritable Eglise fondée par Jesus-Christ. La mineure ainsi modifiée conduit-elle légitimement à la conclusion? Oui, car Jésus-Christ n'à fondé qu'une seule Eglise et il n'y en a qu'une de véritable. Il est evident que la véritable est celle qui est la plus parfaite, celle qui réalise le mieux les qualites et les condi-

tions indiquées dans l'Ecriture et la tradition » o. c. p. 246. On abandonne ainsi la méthode de l'affirmation absolue, c'est-á-dire la démonstration par les notes positives, pour lui substituer la méthode comparative. Celle-ci est sans doute efficace et concluante o. c. p. 246.

b) *Ad reformandam propositionem maiorem* Jugie proponit duplicem methodum: 1) viam historicam; 2) viam pure speculativam seu aprioristicam. Primo ergo investigatur historice qualis notio quatuor illarum proprietatum obtineret in Ecclesia tempore concilii constantinopolitani I; deinde vero analysi philosophicae subiiciuntur singulae notiones unitatis, sanctitatis, catholicitatis et apostolicitatis.

« Pour la résoudre, on peut recourir a deux méthodes: 1) à la méthode strictement historique, en recherchant quelle idée on se faisait communément, dans l'Eglise, des quatre proprietés énumérées dans le symbole nicéno-constantinopolitain, au moment où celui-ci fut composé, c'est-à-dire sur la fin du IVe siècle. 2) à la méthode purement speculative ou *a priori,* celle qu'emploient habituellement les apologistes modernes et qui consiste à épuiser, par des distinctions multiples, les concepts d'unité, de sainteté, de catholicité et d'apostolicité » o. c. p. 246-247.

Via historica obtinentur quatuor sequentes notiones:

Unitas Ecclesiae est triplex: fidei, communionis, regiminis: « Nous retrouvons ainsi par l'historie la triple unité classique de nos manuels d'apologétique: unité de foi, unité de communion, unité d'autorité suprême, gardienne des deux autres » o. c. p. 250.

Catholicitas Ecclesiae est geographica seu spatialis: « Au IVe siècle et 6 l'époque patristique en général, le terme d'Eglise catholique s'entend de l'Eglise répandue en tout lieu, par opposition aux sectes hérétiques cantonnées dans une région determinée. Il s'agit donc avant tout de la diffusion géographique, de la catholicité spatiale » o. c. p. 251.

Apostolicitas Ecclesiae est apostolicitas doctrinae et successionis, cuius necessaria conditio est unio eum episcopo romano Petri successore in primatu. « L'Eglise est apostolique, parce qu'elle

remonte aux apôtres et reste fidèle à la doctrine des apôtres : telle est l'idée générale qu'on se fait de l'apostolicité à l'époque patristique... L'union avec l'évêque de Rome, successeur de Pierre, est donc une condition de l'apostolicité plénière et complète » o. c. p. 253.

Sanctitas Ecclesiae est duplex : sanctitas dynamica seu mediorum, sanctitas passiva seu membrorum. « En un mot, l'Eglise, considérée comme telle, est sainte en tout ce qui la constitue visiblement et en tout ce qu'elle opère en vertu des moyens de sanctification dont son fondateur l'à dotée » o. c. p. 251.

Via speculativa devenitur ad sequentes notiones :

Unitas Ecclesiae est quintuplex : unitas regiminis, unitas fidei, unitas comunionis, unitas disciplinae canonicae, unitas liturgica. « Prenons la note d'unité. On distinguera diverses espèces d'unité : unité de gouvernement, unité de foi, unité de communion ecclesiastique, unité de discipline canonique, unité de liturgie » o. c. p. 258.

Sanctitas Ecclesiae est duplex : sanctitas mediorum seu activa ; sanctitas membrorum seu passiva, non tantum vulgaris, sed etiam charismatica seu miraculorum. « Suivant la méthode classique, la comparaison portera sur la sainteté réelle ou des moyens, la sainteté personnelle ou des membres, la sainteté charismatique ou des miracles » o. c. pag. 261.

Catholicitas et apostolicitas Ecclesiae qualiter sit concipienda in hac de qua agimus, via speculativa, prorsus praetermittitur a P. Jugie.

Crisis

Exposuimus querelas motas a P. Jugie contra classicam viam notarum, necnon modum reformationis ab ipso propositum ut praefata via possit etiamnum esse aptum catholicae demonstrationis instrumentum. Remanet instituendum examen totius huius doctrinae.

Primo quidem notare iuvat nobile conamen meliorandi ac perficiendi viam notarum nobis videri summa laude dignum. Minus laudanda nobis videntur tum ea quae Jugie notavit contra

classicam viam notarum, tum ea quae proposuit ad aptam huius viae reformationem. Utrumque punctum accurate examinemus.

Prima et maxima difficultas contra viam notarum petitur ex forma *absoluta et exclusiva* qua proponitur propositio minor in supra laudato syllogismo, quasi in *sola* ecclesia romana-catholica vigerent quatuor illae proprietates unitatis, sanctitatis, catholicitatis et apostolicitatis, quum evidens sit quatuor has proprietates certo quodam gradu et perfectione in aliis quoque ecclesiis dissidentibus reperiri.

Tota haec difficultas est innixa falso cuidam praesupposito. Forma argumentationis in via notarum non procedit hoc modo: Vera Christi Ecclesia est una, sancta, catholica et apostolica. Atqui quatuor hae proprietates reperiuntur in sola ecclesia romana. Ergo haec est vera Christi Ecclesia. Vera syllogismi forma est haec: Vera Christi Ecclesia est praedita *certa quadam et determinata forma* unitatis, catholicitatis... Atqui *haec talis* unitas, catholicitas... reperitur in sola ecclesia romana-catholica. Ergo... Singulas notas breviter consideremus; primo quidem unitatem. En formam argumentationis, qualem proposuimus in nostro tractatu de Ecclesia Christi, 1946, p. 392 sq., qualem videre licet in optimis quibusque ecclesiologis:

a) Vera Christi Ecclesia est una unitate regiminis monarchici Petrini eiusque in primatu successoris. Atqui haec talis unitas in solo coetu romano-catholico reperitur. Ergo...

b) Vera Christi Ecclesia est una unitate (numerica) communionis mysticae et socialis. Atqui haec talis unitas reperitur in sola ecclesia romana. Ergo...

c) Vera Christi Ecclesia est una unitate fidei totalis et formalis i. e. unitate determinata a magisterio vivo, infallibili, *perenniter* praedicante et insonante pro nobis. Atqui haec talis unitas reperitur in sola ecclesia romana. Ergo... Vides formam seu methodum *absolutam et exclusivam* posse — paene dixerim — debere retineri in classico syllogismo viae notarum ex qua parte consideratur nota unitatis. Quin imo ipse Jugie, mirabile dictu, hac forma evclusiva utitur in sua argumentatione scribens: « Prenons la note d'unité. On distinguera diverses espèces d'unité:

unité de gouvernement, unité de foi, unité de communioni ecclésiastique... *On ne trouve* pas actuellement dans l'Eglise gréco-russe, qui est un assemblage d'Eglises autonomes et autocéphales, *l'unité numérique* de gouvernement suprême. Ces Eglises n'obéissent à aucune autorité centrale commune et permanente » o. c. p. 258. Quod attinet auctoritatem centralem *transitoriam*, eadem fit aperta confessio: « En fait, *il n'a jamais existé depuis le schisme* » ibid. En formam exclusivam ab ipso Jugie adhibitam. Idem prorsus asseritur de unitate communionis: « En principe, l'unité de communion doit exister entre les Eglises autocéphales; mais en l'absence de toute autorité commune pour la règler et la maintenir, elle est exposées á être souvent rompue. C'est ce que démontre l'histoire de ces Eglises depuis un siècle. *De nos jours, cette unité n'existe pas* » o. c. p. 260. En rursus formam absolutam et exclusivam.

Notam catholicitatis quod attinet, eadem forma exclusiva potest et debet retineri. En veram et genuinam formam argumentationis: Vera Christi Ecclesia est catholica catholicitate cum iuris seu dynamica, tum facti, non quidem physica, sed morali, simultanea, perpetua (cf. nostrum tractatum de Ecclesia, p. 401). Atqui *haec talis* catholicitas reperitur in sola ecclesia romana-catholica. Ergo. Probatio minoris omni caret difficultate; vera quippe catholicitas implicat simul cum diffusione numerica et geographica realem unitatem regiminis et communionis. Atqui ecclesiae dissidentes omnes carent praefata unitate. Ergo eo ipso carent vera et germana catholicitate.

De nota apostolicitatis eadem esto forma exclusiva argumentationis: Vera Christi Ecclesia est apostolica apostolicitate successionis formalis cum in sede principali petrina, tum in reliquis sedibus apostolicis priori subordinatis et unitis. Atqui *haec talis* apostolicitas reperitur in sole ecclesia romana-catholica. Ergo...

Nota sanctitatis non adeo requirit formam argumentationis absolutam et exclusivam, sed perfecte compatitur formam comparativam et transcendentem. Hac usi sumus in nostro tractatu de Ecclesia (cf. p. 446 sq.), eamque adhibent optimi quique tractatores de Ecclesia ut ipse Jugie fatetur o. c. p. 257 in nota.

Dices: Sed notio unitatis, catholicitatis et apostolicitatis a

nobis stabilita praesupponit primatum. Ergo tandem recedimus a via notarum, et incidimus in viam primatus.

Resp. a) Obiectio gratis et falso supponit viam notarum necessario esse separandam a primatu. Via notarum, ut superius animadvertimus, potest proponi duplici modo: vel concurrente primatu, vel prascindendo a primatu et separando prorsus viam notarum a via primatus. Utroque proponendi et argumentandi modo in sumus in nostro tractatu. Si res historice spectetur, ostendit Thils viam notarum *nonnisi serius* fuisse separatam a via primatus, idque *opera potissimum Gallicanorum* vel eorum qui tendentias gallicanas plus minus participabant. Jugie, sicuti multi alii auctores, prascindit ab his distinctionibus; hinc oriuntur non parvae obscuritates et confusiones.

b) Germana via notarum, nedum respuat, admittit et requirit considerationem primatus. Via quippe notarum trahit suam naturam totamque vim apologeticam a Christi promissione, praedictione et institutione. Atqui Christus instituit Ecclesiam suam super Petrum. Primatus ergo necessario invadit veram Ecclesiae unitatem, catholicitatem, apostolicitatem, imo et sanctitatem, saltem activam, quum legitima administratio mediorum salutis nonnisi dependenter a Petro eiusque successore fieri possit. His non obstantibus, nos libenter admittimus viam notarum, et quidem retenta forma absoluta et exclusiva, posse adhiberi fructuose sine primatu in controversia cum christianis dissidentibus, sicuti moris est nonnullis apologetis praesertim in Gallia.

c) Jugie non semel in suo libro conqueritur de defectu alicuius notionis *officialis* unitatis, catholicitatis... quae apologetam catholicum dirigere apte possit in praesenti controversia. At haec *notio officialis* — si tamen illam sic compellare licet in hoc controversiae stadio — haec inquam notio publica et officialis minime deest. En primo doctrinam Pii IX in Encyclica ad episcopos Angliae (cf. DB. n. 1628). « Ecclesia igitur catholica una est unitate conspicua... *ea profecto unitate,* cuius principium radix et origo indefectibilis est beati Petri apostolorum principis eiusque in cathedra romana successorum auctoritas et potior principalitas. *Nec alia est Ecclesia catholica,* nisi quae super unum Petrum aedifi-

cata in unum connexum corpus atque compactum *unitate fidei et caritatis* (communionis) consurgit ». Eadem profecto doctrina recurrit in Concilio Vaticano: « Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in *fidei et communionis unitate* conservaretur, beatum Petrum ceteris Apostolis praeponens *in ipso* instituit perpetuum *utriusque unitatis principium* ac visibile fundamentum ». DB. n. 1821. Eandem doctrinam proponit Leo XIII in Enclclica « Satis cognitum »: « Cum Ecclesiam divinus auctor *fide et regimine et communione unam* esse descrevisset, *Petrum* eiusque successores delegit, in quibus *principium foret* ac velut centrum unitatis » DB. n. 1960. Vides publicam et officialem notionem unitatis numquam praescindere a primatu.

d) Ipse demum P Jugie ad reformandam *viam notarum* proponit notionem unitatis quae primatum Petri et sedis romanae includit: « Mais, pour subsister, l'unité de communion ecclésiastique avait besoin d'un centre régulateur. *Ce centre de l'unité était l'Église romaine, l'Église de Pierre* » o. c. p. 249.

Dices iterum: At supposito primatu seu via romanitatis, nonne via notarum prorsus inutilis censeri debeat?

Resp. a) Supposita via romanitatis, nova quaedam via nequit censeri iam *necessaria;* at multiplex convenientia atque utilitas suadet additionem novarum viarum, ut superius explicavimus, quum in hanc quaestionem sumus ingressi.

b) Sit secundo responsio ad hominem. Ipse P Jugie in suo novo typo demonstrationis catholicae, de quo sermo subito recurret, praeter notam primatus plures alias notas laudabili consilio addit.

Secunda difficultas contra viam notarum desumitur ex propositione maiore laudati superius syllogismi. Ubi primo asseritur: « pour que la majeure soit claire, il faut 1e définir ce qu'est un trait distinctif, une note de l'Église, en fixer les conditions; 2o dire en quoi consiste chacune des quatre notes indiquées dans le symbole, en donner une définition. Or ce n'est pas chose si facile ni pour le premier point, ni pour le second » o. c. p. 241.

Resp. Difficultas rursus est innixa falso supposito. Vis seu

efficacia apologetica viae notarum nullatenus pendet a prius tractata et soluta quaestione speculativa de natura seu essentia notae. Duae sunt hic quaestiones apprime distinguendae: una est quaestio *principalis* et practica; altera est quaestio *secundaria* et speculativa. Ad solvendam quaestionem principalem duo requiruntur et sufficiunt: 1° ostendere veram Christi Ecclesia, ex ipsa sui fundatoris institutione, esse praeditam quatuor illis proprietatibus unitatis, catholicitatis... 2° demonstrare quatuor praefatas proprietates reperiri in sola Ecclesia romana. Si haec duo bene demonstrantur, argumentatio habet vim irrefragabilem. — Alia est quaestio secundaria et speculativa quae posset apte appellari « Metaphysica notarum ». Ubi quaeritur quae sit intima essentia notae, quaenam necessariae et sufficientes ipsius conditiones, num sit admittenda divisio notae in positivam et negativam, et si quid huiusmodi. Haec quaestio metaphysica potest quidem utiliter tractari; at minime est necessaria ad tuendam efficaciam apologeticam viae notarum. Hinc est quod ipse Iugie sive in reformato schemate viae notarum, sive in allato novo typo demonstrationis catholicae, laudabili prorsus consilio, totam hanc quaestionem speculativam et secundariam penitus praetermittit. Simile quidpiam recurrit in multis aliis quaestionibus: ad recte ambulandum minime requiritur praevia notio metaphysica motus; ad recte theologizandum non praerequiritur notio praevia metaphysica de vera natura methodologiae theologicae, quid sit theologia positiva, quid theologia speculativa, quaenam mutua utriusque habitudo, quaenam utriusque confinia, etc. etc. Multi auctores non sufficienter distinguunt has duas quaestiones; inde oriuntur multae difficultates, confusiones et complicationes perfecte inutiles.

Secundo obiicitur arbitrarietas in definiendis quatuor proprietatibus unitatis, sanctitatis... « Le grand écueil que n'ont pas su éviter ceux qui l'ont employée a été de procéder par des définitions arbitraires de l'unité, de la sainteté... Au lieu de rechercher le sens que pouvaient bien avoir les épithètes de una, sancta, catholica, apostolica pour le commun des chrétiens, au moment de la composition du symbole de Nicée-Constantinople,

c'est-à-dire sur la fin du IVe siècle on s'est laissé entrainer à considérer *in abstracto* les notions d'unité, de sainteté, de catholicité et d'apostolicité » o. c. p. XXI.

Resp. Ad pleniorem intelligentiam huius difficultatis tria notanda occurrunt:

1° Falsum est definitionem quatuor harum proprietatum unitatis, sanctitatis ... hauriendam praeprimis esse ex consideratione historica notionis obtinentis apud christianos in fine saeculi quarti. Via notarum, ut alias observavimus, naturam et vim apologeticam praeprimis trahit ex verbo Dei scripto, quale prostat cum in effatis prophetarum A. T., tum vel maxime in dictis et promissionibus principis prophetarum in N. T. Verum stuporem movet quod Jugie ad describendam naturam unitatis, catholicitatis et apostolicitatis ecclesiasticae omnem prorsus considerationem biblicam praetermittat. Descriptio et demonstratio biblica sanctitatis nimis perfunctoria apparet. Ipsa demonstratio historica unitatis, catholicitatis et apostolicitatis ieiunior est; vix citantur testimonia historica, et argumentatio fere tota procedit non tam via demonstrationis, quam via affirmationis seu suppositionis.

2° Falsum item est auctores manualium, ut plurimum, in suis definitionibus unitatis, catholicitatis ... procedere modo aprioristico et arbitrario apellando ad considerationes abstractas. Auctores, ut plurimum, in tradendis notionibus unitatis ecclesiasticae, catholicitatis ... prae oculis habent doctrinam contentam in fontibus revelationis. Hinc est quod appellant praeprimis ad scripturam quum satagunt probare propositionem maiorem syllogismi adhibiti in via notarum. Vere dolendum est quod Iugie nullum auctorem concrete citat, in quo haec forma arbitraria et aprioristica clarius appareat. Nimis longum foret citare hic omnes vel praecipuos auctores manualium. Consideretur v. gr. modus procedendi adhibitus ab Auctore classico, *Van Noort* in suo tractatu de Ecclesia Christi, 1913, pag. 108 sq. Primo traditur accurata notio *unitatis fidei* et professionis (n. 102). Accedit probatio 1° ex verbis Christi et apostolorum ... 2° Ex persuasione antiquitatis christianae. Similis processus adhibetur in describenda et demonstranda *unitate communionis* (n. 105), et rursus appel-

latur ad auctoritatem Christi et ad persuasionem antiquitatis christianae. Eodem modo proceditur in describenda et probanda *unitate regiminis* (n. 108). Estne arbitrarius hic modus procedendi? Verbo: Auctores manualium in tradendis et demonstrandis singulis quatuor notionibus procedunt eodem modo ac procedit Jugie in reformato schemate, via nempe historica et biblica, hoc uno forsan discrimine, quod fonte biblico largiori manu utantur. Si haec talis methodus arbitraria censeatur, non apparet quare methodus adibita a Jugie non magis arbitraria censeri debeat.

3° Quod attinet *methodum speculativam* seu a priori a nostro auctore adhibitam o. c. p. 256 sq., sufficiat hic tria notasse:

a) Haec via seu methodus apparet imprimis *incompleta.* Solummodo traditur brevis quaedam notio unitatis et sanctitatis; notio vero catholicitatis et apostolicitatis prorsus praetermittur.

b) Haec methodus, utpote aprioristica, videtur esse *illegitima.* Via notarum totam suam vim apologeticam trahit ex Christi promissione, praedictione, institutione. Argumentatio innixa philosophicae notioni perfectionis, vel maioris perfectionis, non est argumentatio propria viae notarum. Haec methodus aliquatenus accedit ad *viam transcendentiae,* a qua tamen reapse differt, quum auctor non consideret in hac *maiori perfectione* rationem miraculi moralis.

c) Demum recurrit hic observatio superius facta: si fautores viae notarum iure accusentur vitii *arbitrarietatis* eo quod in suis definitionibus utantur methodo speculativa et aprioristica, quare eadem methodus a nostro auctore adhibita immunis censeatur ab obiecto arbitrarietatis vitio? Inaniter appellari ad methodum *comparativam* in propositione minori adhibendam superius ostendimus.

Summatim: Difficultas mota contra viam classicam notarum tota quanta videtur innixa falso supposito. — Methodus proposita ad depellendam arbitrarietatem a via notarum ex una parte est rursus innixa falso praesupposito, ex altera vero parte apparet inepta ad obtinendum praefatum scopum. Maneat ergo alta mente

repostum: Via traditionalis notarum, *si bene intelligatur et proponatur,* nulla indiget modificatione, nulla reformatione.

II

De novo typo demonstrationis catholicae

P. Jugie duplicem novitatem induxit in processu apologetico ecclesiologico. Primo quidem classicam viam notarum reformare aggressus est, id quod hactenus consideravimus, deinde vero novum typum demonstrationis catholicae inauguravit, id quod nobis restat considerandum. Porro nova haec forma demonstrationis procedit septuplici gressu sic progredienti:

1. Ecclesia a Christo instituta, teste Scriptura et Traditione, est societas visibilis, una, unica.

2. Ecclesia antiqua i. e. Ecclesia novem priorum saeculorum erat praedita primatu iuridico Petrino et romano.

3. Ecclesia antiqua erat instructa magisterio vivo, infallibili, iugiter insonante, apto ad dirimendas controversias doctrinales.

4. Ecclesia antiqua erat sollicita executrix mandati missionarii evangelici, zelo indefesso et splendido dynamismo missionario praedita, continua et progredienti expansione ditata.

5. Ecclesia antiqua erat societas religiosa perfecta, supranationalis, a potestate civili independens.

6. Ecclesia antiqua erat strenua custos indissolubilitatis matrimonialis.

7. Ecclesia antiqua, retenta immutabilitate substantiali, erat subiecta legi evolutionis et continui progressus.

Atqui hi septem characteres integraliter sumpti reperiuntur in sola ecclesia romana-catholica. Ergo haec est vera Christi Ecclesia et antiquae Ecclesiae continuatrix. En novum typum demonstrationis a P. Jugie recenter inauguratum, qui posset apte nuncupari via septem notarum.

Crisis

Nostrum de nova via iudicium potest ad sequentia revocari:

1° Principio iuvat huc transferre quae alibi de via notarum scripsimus: « Viam notarum quod attinet, numerus quaternarius, nostro iudicio, non est nimia rigiditate premendus. Nihil prohibet, sed multiplex utilitas suadet novos typos argumentationis apologeticae creari, novas notarum combinationes institui, diversis locorum et auditorum adiunctis magis accommodatas ». Conatus ergo modificandi et perficiendi viam notarum adhibitus a P. Jugie videtur nobis summa laude dignus, maxima gratitudine acceptandus.

2° Argumentatio haec septem notarum, qualis instituitur a P. Jugie, *universim loquendo,* videtur nobis clara, efficax, opportuna, pro multis lectoribus utilis; non tamen omnia aequo gradu laudanda videntur. Praecipuum probationis pondus stat in his quae auctor tractat in puncto secundo, i. e. in primatu petrino et romano. Demonstratio porro historica primatus romani, qualis instituitur pro saeculo V usque ad IX splendida profecto est; e contra demonstratio historica pro saeculis prioribus ieiunior est minusque accurata et robusta. Testimonia Clementis R., Ignatii A., Irenaei, praeprimis ecclesiologia S. Cypriani, quae tanti est momenti pro tota hac periodo praenicaena, nimis perfunctorie examinantur.

3° Haec nova via septem notarum tandem aliquando nihil est aliud, quam ipsa classica via quatuor notarum *aliter ordinata.* Fatetur id ipse auctor scribens: « Cette méthode historique ne peut être taxée d'arbitraire ... On pourra facilement ramener à l'une des quatre propriétés marquées au symbole tout ce nous avons dit de l'ancienne Église. A l'unité on pourra rapporter l'unicité visible, la primauté romaine, le magistère infallible; à la cotholicité l'activité missionnaire et l'indépendance vis-à-vis de l'État; à la sainteté le maintien de l'indissolubilité un mariage; à l'apostolicité, le developpement homogène » o. c. p. 263-4.

Sed protinus dices: si res ita se habet; si haec via septem notarum tandem revocatur ad ipsam quatuor notarum viam, quaenam ergo est utilitas huius viae? ut quid perditio haec? Difficultatem praevidit Auctor, cui aptum responsum tradere satagit hisce verbis:

« Mais ces éléments sont pris en dehors de toute systématisation, de toute division et subdivision, et considérés directement en eux-mêmes. Rien ne vient alourdir et compliquer la démonstration. Les Églises dissidentes ont elles, oui ou non, un magistère infallible? Observent elles le précepte de Jesus-Christ de prêcher l'évangile a toutes les nations? Maintiennent-elles l'indissolubilité du mariage, telle que Jésus-Christ l'a établie? Autant de questions nettes et précises, auxquelles il s'agit de répondre catégoriquement sans avoir á faire de comparaison entre une Église et une autre Église pour mesurer le degré dans lequel chacune participe à l'unité, ou à la sainteté, ou à la catholicité, ou à l'apostolicité » o. c. p. 264.

Habemus ergo confitentem auctorem quod nova via septem notarum in hoc demum differt a classica via quatuor notarum, quod illa caret omni systematizatione, immunis est a tot divisionibus et subdivisionibus, quibus via quatuor notarum aggravatur, retardatur et quasi praepeditur in exserendo suo dynamismo apologetico. Sed mirus est hic sermo, quum evidens cuilibet apologetae videri debeat aptam quandam totius rei systematizationem cum additis divisionibus et subdivisionibus, nedum officiat perspicuitati av vigori demonstrationis, mirum in modum conferre ad totam quaestionis claritatem plenamque ipsius probationem.

Dices: Sed nequit negari classicam viam quatuor notarum esse complicatam nimis, quippe in qua tot sint necessario instituendae comparationes inter varios christianorum coetus; contra vero, in nova via rem totam clarificari ac simplificari suppressa omni comparationis necessitate.

Resp. Omnes istae complicationes demum proveniunt ex praevia viae notarum deformatione perperam inducta. Superius ostendimus gratuitum ac falsum auctoris praesuppositum de forma argumentationis absoluta et exclusiva eliminanda, de forma compa-

rativa ac transcendenti inducenda in classica via quatuor notarum. Sicut Auctor in sua nova via proponit adversariis breves ac limpidas quaestiones quibus oportet dare breve ac limpidum responsum, sic potest apologeta catholicus in sua immutata via notarum proponere adversariis dissidentibus similes prorsus quaestiones, idque in utraque hypothesi sive inclusi, sive exclusi primatus.

Supposito primatu: Vera Christi Ecclesia est una unitate (numerica) regiminis Petrini. Habent vel non habent ecclesiae dissidentes, oui ou non, hanc talem unitatem?

Praeciso primatu: Vera Christi Ecclesia est una unitate *numerica* regiminis hierarchici et episcopalis. Habentne ecclesiae dissidentes hanc talem unitatem? Vera Christi Ecclesia est una unitate (numerica) communionis. Habentne ecclesiae dissidentes hanc talem unitatem? — Vera Christi Ecclesia est catholica catholicitate implicante diffusionem geographicam simul cum unitate regiminis et communionis. Habent ecclesiae dissidentes hanc talem catholicitatem? — Vera Christi Ecclesia est apostolica apostolicitate successionis formalis tum in sede Petrina et principali, tum in reliquis sedibus apostolicis priori unitis et subordinatis. Habent ecclesiae dissidentes vel non habent, oui ou non, hanc talem apostolicitatem? Autant des questions nettes et precises, aux quelles il s'agit de répondre categoriquement.

4° Si quaeratur num in hac nova via septem notarum contineatur maior quaedam ac splendidior efficacia apologetica, quam in via traditionali quatuor notarum, putamus respondendum esse negative. Auctor concedit has septem notas facile posse revocari ad quatuor illas classicas proprietates unitatis, catholicitatis, apostolicitatis et sanctitatis. Age iam: vis apologetica *unitatis* in nova via, nedum sit maior, quadantenus minoratur, quatenus non attenditur unitas communionis socialis. Vis apologetica catholicitatis manet fere identica, hoc uno discrimine, quod in nova via magis premitur catholicitas dynamica et missionaria, quam catholicitas facti numerica et geographica. Vis apologetica *apostolicitatis* in nova via est minor, quippe quae fere tota praetermittitur. Demum vis apologetica *sanctitatis,* nedum augetur in nova via, enervatur potius, quum fere tota reducatur ad minimam quandam expres-

sionem i. e. ad sollicitudinem custodiendi indissolubilitatem matrimonialem. His non obstantibus, concedimus novam formam argumentandi artificiose et erudite ab Auctore propositam posse habere vim quandam suasivam vere singularem et utilem pro non paucis lectoribus, iis potissimum qui iure vel iniuria laborant praeiudiciis contra viam notarum.

Conclusio

Tractatus de Ecclesia in sua parte apologetica debet demonstrare veram Christi Ecclesiam esse Romano-catholicam. Ad hanc porro conclusionem multiplici via deveniri potest. Hinc oritur problema methodologicum: quanam praeferenter via procedendum in demonstratione catholica. Theologos et Apologetas dissidere in re variis gustibus, tendentiis et ingeniis obnoxia, humanum profecto est. Gratuitis vero exaggerationibus indulgere, vaticinia quoque edere mortis iamiam imminentis huic vel illi viae, nota est vere positiva maturitatis theologicae nondum acquisitae, vel etiam formationis philosophicae vehementer deformatae.

Sunt qui magnopere delectantur via empirica. Horum dux et antesignanus iure habeatur Cardinalis Dechamps; cuius merito et labore factum esse existimo ut Patres Vaticani hanc prae ceteris viam extollerent et honestarent. Sed admiratione simul et meditatione dignum est, quod Ecclesiologi ut plurimum, non obstante exemplo et auctoritate conciliari, morosiores exstiterint in frequentanda hac via, cui practice praetulerunt classicam viam notarum. Nec desunt qui viam primatus unam omnium maxime efficacem ac opportunam putent in controversia potissimum cum Orientalibus. Sic prae ceteris Urban.

Integrum profecto cuique sit in suo sensu abundare; hoc unum vel maxime enitendum, ut serietati ac vigori argumentationis magis quam copiae et eruditioni bibliographicae attendatur. Si nobis permittatur in nostro sensu abundare, fidenter dixerim viam, praeceteris praeferendam, esse *viam integralem,* in qua appellatur ad simultaneum atque ordinatum omnium viarum concursum. Optime Thils: « Puisque tous les procédés ont chacun leurs difficul-

tés, l'apologétique catholique ne doit-elle pas prendre son bien dans toutes les *viae* à la fois? C'est aux apologistes eux-mêmes qu'il convient de résoudre ces problèmes de méthode » o. c. p. 349. Salubre hoc monitum ex nostra parte libenter acceptamus. *Philosophia* quaerens Deum utiliter ingreditur in quinque S. Thomae vias. Cultores *demonstrationis Christianae* communi omnium plausu exhibent splendidum criteriorum apparatum, facto nempe recursu ad signa obiectiva et subiectiva, interna et externa, miracula physica et moralia, Antiqui et Novi Testamenti vaticinia. Quidni similis processus adhibeatur in *demonstratione catholica* inducta iam via integrali. Singulae sane viae sunt sufficientes, si tamen accurate et severe proponantur. Veram quippe Christi sponsam signanter definiunt ac demonstrant regalis in capite maiestas, quae est via primatus; ipsa quoque corporis totius organica compago arcte connexa, per orbem dilatata, glutine hierarchico compacta, inexhausto dynanismo foecunda, conspicua venustate ac sanctitate collucens, quae est via notarum; ipsa demum vitae ecclesiasticae transsaecularis eminentia, in seipsa considerata, quae est via empirica At nonne evidens videatur vim claritatemque argumenti apologetici duplicari, triplicari ex mirabili omnium viarum in nostram Ecclesiam confluentia?

Hodiernae praeoccupationis, quae nonnullos premit et anxios reddit, duplex causa assignari forte possit. Duplex nempe cruenta vivisectio facta est opera criticorum. Primo quidem separabatur via notarum a primatu. Cuius separationis, teste Thils, auctores principes fuere Gallicani. Quid iam mirum si notam unitatis atque apostolicitatis aliquatenus obumbrari ac enervari contingat? Sequebatur altera cruenta sectio separans notas alias ab aliis. Hinc primo gravia inter Auctores dissidia atque controversiae de functione positiva vel negativa singulis notis assignanda; hinc deinde turbationes et scandala pusillorum. Ad rem Jugie: « Si haec quatuor ab invicem non seiungas, sed per modum unius sumas, ad normam alius documenti publicae auctoritatis, etsi non definientis, quod auctores aliqui oblivioni mandasse videntur, tunc breve, certum, et pro omnibus cum infidelibus, tum heterodoxis sufficiens veritatis « Ecclesiae criterium habebis ». Theol. Dogm. Christ. Vol.

IV, p. 530. Cf. eiusdem Auctoris articulum in Dict. theol cath. 14, 1466 sq.

Viam ceteroquin notarum quod attinet, numerus quaternarius, nostro iudicio, non nimia regiditate adhibendus. Nihil prohibet, sed multiplex utilitas suadet, novos typos argumentationis apologeticae creari, novas notarum combinationes institui, diversis locorum et auditorum adiunctis magis accommodatas. Cuius rei exemplum ipse Jugie in suo citato opere laudabiliter induxit.

Nostris diebus nova quaedam tendentia erumpere satagit. Cuius fautores viae empiricae primatum ita exaltant, ut traditionalem viam notarum suppressam atque eliminatam vellent. Licebit apponere monitum duplex: *a*) Viae empiricae efficacia ac practicitas *in summum discrimen adducitur,* ubi semel conceditur coetus christianos Orientales possidere quatuor notas eodem fere gradu ac Romanos, ita ut discrimen maneat mere quantitativum « de plus ou de moins ». Si eadem fere unitas, catholicitas, apostolicitas et sanctitas agnoscitur apud Orientales vigens atque apud nos, qua demum arte apologetica ostendes phaenomenon ecclesiasticum romanum esse *vere transcendens* seu miraculosum, phaenomenon vero ecclesiae Orientalis mere naturale et humanum?

e) Alterum monitum dabit cl. *Rivière* occasione libri Thils prudenter scribens:

« On assure qu'en tout cas la démonstration y [in via empirica] est plus facile, puisque soustraite par principe aux épines de l'exégèse. Mais ne serait-il pas singulier — et, pour tout dire, inquietant — que les faits susceptibles d'établir la divinité de l'Eglise catholique fussent étrangers aux intentions du Christ et, s'ils y sont conformes, qu'on ne put obiectivemente le vérifier? *Qu'on le veuille ou non, dans le discernement de la véritable Eglise comme de la véritable foi, l'enseignement du Maître et de ses interprètes doit intervenir pour sa part. Aucune raison d'opportunnité ne peut faire que ce ne soit là* [in via notarum] *forcément le critère souverain*: le seule tâche de l'apologiste est de le présenter dans de bonnes conditions ». Et in nota additur: « A une heure où le lieu commun de la critique adverse est de prétendre qu'il existerait un « fosse » entre l'Evangile et l'Eglise, on estimera sans

doute que le problème n'est pas sans quelque actualité». Revue des Sciences Religieuses (1939), p. 200. Aureum hoc monitum plene probamus. Cui illud adiungere audemus: quod l'enseignement du Maître nullibi clarius resonat, quam in sollemnibus Christi verbis:

Tu es Petrus, et super *hanc petram* aedificabo Ecclesiam *meam;*
Et portae inferi non praevalebunt adversus *eam.*

Appendix

Damus varias tabulas exhibentes: I Conspectum Christianitatis secundum varias statisticas. II Protestantismum in sectas confractum. III Orientem Christianum.

I. - Conspectus Christianitatis secundum varias statisticas

	Africa	America	A. d'Espièrres 1934 Asia	Europa	Oceania	Summa totalis
Catholici	6.256.905	136.357.425	19.196.956	209.672.679	2.085.814	373.579.779
Catechumeni	1.472.294					
Protestantes	6.872.266	39.610.824	5.047.539	127.212.452	6.711.616	185.454.697
Catechumeni	17.000					
Alii christiani	8.825.455	414.019	23.208.948	110.812.834	364.041	

	Africa	America	"World Almanac" 1934 Asia	Europa	Oceania	Summa totalis
Catholici	2.000.000	101.000.000	7.000.000	220.000.000	1.500.000	331.000.000
Protestantes	3.000.000	75.000.000	7.000.000	115.000.000	6.000.000	206.000.000
Dissidentes	3.000.000	1.000.000	20.000.000	120.000.000	—	144.000.000

	Africa	America	The Lutheran World Almanac 1933 Asia	Europa	Oceania	Summa totalis
Catholici	3.347.166	91.676.683	6.329.576	187.549.736	8.859.336	297.762.524
Protestantes	2.768.072	38.875.798	3.747.989	81.228.270	6.349.487	132.969.616
Orthod. Orien.	5.808.089	882.035	8.106.071	112.439.630		127.295.825

M. J. Congar 1937

Catholici	330.000.000	Armeniani	2.300.000
Protestantes	209.000.000	Monophysitae	4.420.000
Orthodoxi Or.	147.000.000	Sectae intra	
Nestoriani	100.000	Ecclesiam Russ.	15.000.000

Book of the Jear 1953

Christiani	750.000.000	Zoroastriani	124.000
Catholici	425.000.000	Shintoistae	25.000.000
Orthodoxi	128.000.000	Taoistae	50.000.000
Protestantes	196.000.000	Confucionistae	300.000.000
Iudaei	11.000.000	Boudhistae	150.000.000
Mahumetani	315.000.000	Hinduistae	255.000.000
		Primitivi	121.000.000

II. – Protestantismus in sectas confractus

(ex libro *M. I. Congar* « Chrétiens désunis »)

NOM DES ÉGLISES OU SECTES	ORIGINE	NOMBRE DES MEMBRES
A) Chiffres d'ensemble		
Luthériens.		45 000 000
Réformés (calvinistes et zwingliens).		13 000 000
Luthéro-réformés.		21 000 000
Église anglicane.		30 (ou 32) 000 000
Non conformists et sectes.		100 000 000
	TOTAL :	209 000 000
B) Sectes du continent européen :		
1. Vaudois ou Pauvres de Lyon.	Fin XII[e] siècle; se sont rattachés à la Réforme.	30 000 en Italie; 10 000 émigrants italiens; quelques groupes en Allemagne.
2. Mennonites (sectes anabaptiste et calviniste).	Fondée en Suisse en 1523.	500 000 dont moitié aux États-Unis, 80 000 en Hollande et Russie, 60 000 au Canada, 13 000 en Allemagne, 6 500 dans la ville libre de Dantzig, 2 000 en Alsace-Lorraine
Dans les Mennonites, une secte particulière.	Fondée en 1603 par le Suisse Jacques Amman.	50 000 en Amérique, 2 000 en France, 300 en Suisse, 150 dans le Palatinat.
3. Néobaptistes.	Fondés par Samuel Fröhlich en Suisse, vers 1835.	4 500 aux États-Unis, quelques éléments en Alsace, Bade et Wurtemberg.
4. Nazaréens hongrois.	Néobaptisme ramené en Hongrie par les frères Hemsey en 1840.	12 000 dans le sud de la Hongrie.
5. Uunitariens ou antitrinitariens et sociniens.	Secte née de l'humanisme.	60 000 en Pologne, Hollande et Prusse: 80 000 aux États-Unis; en Angleterre?
6. Arminiens ou remonstrants (calvinistes adoucissant la prédestination en faveur de la liberté; sont devenus très libéraux).	En Hollande, début XVII[e] siècle.	21 000.
7. Communauté des frères (conjonction		54 522 dont 9575 pour le groupe d'Allemagne, Suisse, Danemark et

NOM DES ÉGLISES OU SECTES	ORIGINE	NOMBRE DES MEMBRES
et du piétisme allemands).		Pays Bas; 4063 en Angleterre; 35 000 en Amérique et 6 661 en Bohême. Dans les missions: 120 000.
8. Nazaréens allemands).	Fondés par J. Wirz premier tiers du XIXe siècle.	Peu d'adhérents.
9. Société du Temple (d'inspiration piétiste antirationaliste).	Fondée par Christophe Hoffmann en 1859.	
C) Le protestantisme anglais et ses sectes:		20 000 000 en Angleterre. 3 000 000 aux États-Unis. 8 000 000 dans d'autres pays.
	TOTAL:	31 000 000
1. Baptistes et Church of God. *a*) Baptistes (différentes sectes).	V. 1640 en Angleterre et en Amérique; en 1834 pour l'Allemagne.	Angleterre? Amérique du Nord, 15 000 000; Allemagne, 65 000.
b) Church of God.	1880.	
3. Quakers (subjectivisme religieux inspiré par la lumière intérieure).	Georges Fox. 1649.	
1. Les méthodistes et la Société évangélique.		
a) Les méthodistes. Angleterre: Independent Methodist Church.	John Wesley, 1729.	
Primitive Methodist ou Ranters.		10.502
United Methodist Church.		220.806
Wesleyan Reform Union.		153.857
		10.178
Vieux Weysleiens.	En Angleterre.	519.510
	En Irlande.	29.590
	En France.	1.757
	En Afrique du Sud.	169.589
	Dans les missions.	287.759
	TOTAL:	1.403.542
Amérique: Methodist Episcopal Church.		5.152.236

NOM DES ÉGLISES OU SECTES	ORIGINE	NOMBRE DES MEMBRES
Methodist protest. Church.		188.878
Wesleyan Methodist ou Church of America.		21.500
Methodist Episcopal Church South.		2.602.313
Congregational Methodist.		1.256
Methodist Free Church.		40.251
Primitive Methodist Church.		11.905
Dix églises méthodistes pour les nègres :		
African Methodist Episcopal Church.		698.092
African Methodist Episcopal Church Sion.		412.315
Colored Methodist Episcopal Church.		331.021
7 autres églises, comptant ensemble.		67.945
	TOTAL pour l'Amérique : noirs :	8.039.339 adultes (avec les enfants, 24.000.000).
	TOTAL pour l'Amérique : blancs :	1.055.373 adultes.
Autres pays non européens :		
Canada : United Church of Canada.		692 348
Australie : Methodist Church of Australasia.		166 101
Japon : Japan Methodist Church.		29 420
En Europe : Allemagne :		29 720 adultes plus écles et oeuvres de jeunesse.

NOM DES ÉGLISES OU SECTES	ORIGINE	NOMBRE DES MEMBRES
Suisse: Autriche: Hongrie: Pays scandinav.		12 000 adultes 1 000 700 60 000
	TOTAL des méthodistes:	11 840 000 adultes. et donc 33 à 35 millions d'âmes y compris les enfants.
a) La Société évangélique (= église méthodiste indépendant)	Fondée par Jean Albrecht en 1803.	Amérique, 200 000; Allemagne, 25 000; Suisse, 8 176.
5. L'armée du salut (est interconfessionnelle).	William Booth, 1865.	24 513 officiers 105 034 officiers subalternes, 42 949 musiciens, 61 265 chanteurs, 33 109 cadets.
6. Les sectes apostoliques:		
a) La Société catholique apostolique.	Mouvement née en Angleterre à la fin du premier tiers du XIXe s.; Ed. Irwing fut l'un des promoteurs.	50 000.
b) Communauté néo-apostolique.	Née en 1865 en Allemagne d'un schisme de la précédente Société.	350 à 400.000 dont près des 3/4 en Allemagne.
c) L'apostolat de Juda (par allusion à Apocalypse, VII, 8 suiv.).	Rejeton née de la secte précédente.	
7. Le darbysme.	Fondée par Nelson Darby à partir de 1828 par opposition à tout organisme ecclésiastique.	Pas de statistique; existe en Suisse, Angleterre et Allemagne; un peu en France.
D) Sectes issues du protestantisme américain :		
1. Les normons.	Joë Smith, visionnaire, publie en 1830 le Livre de Mormon que suit la fondation d'une « église ».	700 000 rélégués dans l'État d'Utah aux États-Unis; existent en Europe, surtout en Suisse et en Allemagne où ils comptent 12 051 baptisés.
2. Adventistes.	Fondée par William Miller qui prédisait la fin du monde pour 1843-44.	
Advent Christian Church.		30 000 adultes

NOM DES ÉGLISES OU SECTES	ORIGINE	NOMBRE DES MEMBRES
Life and Advent Union.		5 000 adultes
Evangelical Adventist.		2 000 »
Church of God in Christ Jesus.		4 000 »
Adventistes du 7e jour:		
Amérique.		?
Allemagne.		37 000
Austriche et Suisse.		?
3. Étudiants de la Bible.	Fond. Charles Taze Russel († 31 oct. 1916); séparée des adventistes à partir de 1879.	87 ou 88 000

III. - Oriens Christianus

(ex « Calendario Romano-Bizantino edito dalla Associazione S. Nicola di Bari in Roma per l'anno 1938 »).

Chiesa ortodossa dissidente

Greci:	Patriarcato di Constantinopoli	120.000
	Chiesa Sinodale di Grecia	6.000.000
	Arcivescovado di Cipro	250.000
	Arcivescovado di America .	200.000
Melkiti:.	Patriarcato di Antiochia	200.000
	Patriarcato di Gerusalemme	45.000
	Patriarcato di Alessandria .	65.000
	Arcivescovado del Sinai	100
Slavi:	Russia: Chiese diverse	105.000.000
	Russia: Raskolnichi e sette	20.000.000
	Patriarcato di Serbia .	5.700.000
	Chiesa sinodale di Bulgaria	4.000.00
	Chiesa ortodossa autocefala di Polonia	3.000.000
	Chiesa ortodossa autonoma di Estonia	210.000
	Chiesa ortodossa autonoma di Finlandia	70.000
	Arcivescovado di Cecoslovacchia	45.000
Rumeni:	Patriarcato	12.000.000
Georgiani:	Cattolicato	2.500.000
Albanesi:	Shiesa sinodale	180.000

Chiesa Monofisita

Rito Antioch.:	Patriarcato A. di Antiochia	
	in Siria ed Iraq	80.000
	in India . .	225.000
Rito Alessandr.:	Patriarcato Copto di Alessandria	
	in Egitto	1.120.000
	Chiesa autonoma di Etiopia	3.500.000

Chiesa Nestoriana

Rito Caldeo:	Cattolicato di Kotchannes	
	nell'Iraq ed nell'Iran	80.000
	nel. Malabar	15.000

Cattolici di rito orientale

Rito Bizantino

Greci:	Ordinario di Atene e Costantinopoli	2.500
Italo-Albanesi:	Eparchia di Lugro	35.000
Melkiti:	Colonie di America	20.000
	Patriarcato di Antiochia	150.000
	Colonie all'estero	16.000
	Provincia di Galizia	3.800.000
	Vescovadi di Cecoslovacchia	585.000
	Administrazione Ap. di Ungheria	21.000
Ruteni:	Vicariato di Bucovina	70.000
	Colonie di America	992.000
Jugoslavi:	Vescovado di Krijevtsi	42.000
Rumeni:	Provincia di Transilvania	1.500.000
	Colonie di America	10.000
Bulgari:	Administrazione Apostolica	6.000
Ungheresi:	Vescovado di Hajduroz	142.000

Rito Armeno

Batriarcato di Cilizia	43.000
Arcivescovado di Leopoli	5.000

Rito Antiocheno

Rito siro:	Patriarcato di Antiochia	71.000
	Siri di Malabar	35.000
Rito maronita:	Patriarcato di Antiochia	260.000
	Colonie all'estero	100.000

Rito Caldeo

Patriarcato di Babilonia	70.000
Provincia di Malabar	685.000

Rito Copto

Patriarcato di Alessandria	45.000
Ordinariato di Abissinia	30.000

Nota bene: Statisticas recentiores et notiones accuratiores reperies in articulo Doctoris *H. de Vischer*: Que faut-il entendre par « Eglises d'Orient » apud Revue Diocésaine, 1953, p. 53-59.

INDEX

Thesium series

Nota bene: Alii indices dantur in fine voluminis II.

A. M. D. G.